APOLOGIA
PRO
S. Ecclesiæ Patribus,
ADVERSUS
JOANNEM DALLÆUM
De Usu Patrum, &c.

ACCEDIT
APOLOGIA pro Ecclesia Anglicana
ADVERSUS
NUPERUM SCHISMA.

AUTHORE
Matthæo Scrivenero, Presbytero.

LONDINI:
Sumptibus *Guil. Wells* & *Rob. Scott*, apud quos prostant ad Insignia Principis in vico Little Britain dicto. MDCLXXII.



Præfatio.



ANni jam fugerunt multi ex quo Viri Clariſſ. Joannis Dallæi nomen per varias Regiones volitans, ad nos quoque pervenit, ob multa in Theologiâ eruditè, ſi minus fæliciter præſtita. Quid *de Quadrageſimali Jejunio*, *De Confirmatione*, *De Ignatianis Epiſtolis*, denique *De Uſu Veterum Patrum*, &c. ſcripſit, nulli fere ignotum: De aliis, quæ Romanos abuſus propriè ſpectant, mihi vel hîc tacendum, vel non ſine debitâ laude memorandum arbitror. Scriptum tantummodo illud, *De Veterum Uſu*, mihi eò (fateor) inviſius ſemper fuit, quò magis noſtris Puritanis vehementius perplacuiſſe noveram. Neque tamen Perſonarum odium (quod nullum fuit niſi quod meritò mores & errores conciliaverant earum) neque Scriptum ipſum, niſi res nullo modo probanda ſuaderet, bilem mihi movebat. Commotum tamen me tantopere ipſâ famâ Operis

non diffiteor, ut diutiùs oculos ab eo obfirmatè dejicerem, ne revelatam Patrum Nuditatem Famoſo iſto Libello (quemadmodum Doctiſſimo Hammondo Noſtro de eo loqui ſolitum) aſpicerem. Fortè tamen obviam mihi factum aliud agenti, Exemplar Gallicanum percurrere conſtitui, nihilque ab inolitâ prius ſententiâ dimutatus receſſi ab illo. Offendi equidem Viri in eventilandis Veterum cineribus paulò modeſtiorem & mitiorem manum, quàm à multis aliis tractatam iſtam materiam facilè inveneris: Lectionem inſuper multiplicem, Methodum claram & percommodam, Diligentiam denique ſingularem: Vires autem quantas & nervos tam pulchro corpori indidit, cupiam non tam ex præproperâ & aculeatâ hîc ſententiâ latâ, quàm ipſo ſequenti Examine æſtimari: ad quod ſuſcipiendum, quid me, primùm nihil minus cogitantem, induxit, nollem ignorari.

Candente die Fauſtiſſimâ in lucem inſperatam Religionis, Reipublicæ, Regiſque Caroli Secundi, Miniſter quidam Presbyteralis Factionis celeberrimo confluxu Popularium meorum, ſermonem è ſuggeſtu habens, ſubveritusque, (quod poſtmodùm Deo favente accidit) Schiſma & Superſtitionem Presbyteralia

peſſum

pessum itura, eò omnes ingenii orisque Vires intendit, ut, evilescente Avitâ Religione Anglicâ, bullatæ nugę Reformationis nuperæ nefariis artibus ausibusque tentatæ, honestum in in animis suorum locum retinerent. Hoc verò quòd difficillimum perspiceret, reclamante universâ sanioris Antiquitatis voce, hunc offensionis lapidem, ingentem quidem, me judice, manu Domini Dallæi, nullo penè negotio sublevandum tollendumque putavit, his verbis. *Quod ad antiquitatem attinet, non est quod nimis de ea simus solliciti: Dallæus enim, Vir in Veteribus exercitatissimus, Doctissimo Tractatu, omnem ejus fregit autoritatem.* Neque si vel unus, vel solus his Prædicator, nominis & Operis hujus Dallęani mole nos reprehendentes Sectariorum vanitates actutum obrueret, tam proni in ejus reprehensionem fuissemus: sed haud aliter feruntur ictæ Lethali Arundine Caprey ad suum festinare Dictamnum, quàm divexati telis Antiquorum Puritani ad suum Joannem Dallæum, perhumanum quidem ipsum, (uti accepimus credimusque) *Inhumani istius Generis Delicias*

Nec deesse, sat scio, Viros quosdam Nobilitate, Fide & Eruditione claros, putà Digbeium, Faulklandum, Chillingworthum, qui

de Romanis non levem reportârunt victoriam, & Sectarios quam maximè sunt detestati, qui non vulgaribus encomiis Opus hoc D. Dallæi deprædicârunt: His adjungendus, Metayeri judicio, Thomas Smithus quoque, modò ex animo scripsit quæ feruntur nomine ejus in Præfatione Anglicanæ Editionis; quod afferri posse in suspicionem æquus arbiter dabit. Imprimis enim falli omninò & toto cœlo errâsse Dominum Metayerum, qui de Gallico, fecit Latinum Dom. Dallæum, certum est; qui affirmat Virum Optimum & Eruditissimum Thomam Smithum vertisse hunc Tractatum in Anglicanum Sermonem: quandoquidem non solùm testes jam superstites fidissimos Contrarii habeo, sed ab ore ipsius accepi, non se, sed Oxoniensem quendam eam Versionem adornasse; imo addidit, sibi aliquando fuisse in animo, contrario scripto Dallęum refellere, sed re maturiùs expensâ, nihil in Dallęano opere suâ dignum operâ repertum. Quod ergo ad Præfatiunculam attinet Anglicanam, crediderim (si modo author ejus dicendus sit Smithus) pro more, & rogatu Bibliopolæ expressam potius ab ipso fuisse, quam ex ingenio suo promanâsse libero. Hæc me non solum Veritati, sed Amico perc haro, tum ob varia ingenii ornamenta, tum

Metayerus in Præfat. ad Translat. Latinam.

ctum ob eandem mecum in Cantabrigiensi Academia ὁμηλικίαν, debere censui.

Ad prædictos reliquos Egregios Viros quod spectat, hoc monendum putavi: Fuisse scil. eos præstantissimos methodo recentiore Controversias tractandi, eâque superasse adversarios, sed aliquando immerito deserentes bene constitutum Antiquorum usum, non fugisse Socini Hæresiarchæ invios Labyrinthos, sed eâ maculâ ab Adversariis notatos, & quondam familiaribus, è quibus Cressius perfuga non nemo fuit. Cressius in Exomologes. An verò Laudi, an Probro dandum est Dallæo, quod Laboribus suis viam tantæ pesti Fidei præmonstret, penes alios sit. An Calvini ipsius, Lutheri, Bezæ & judicia inconstantia & incondita vehementius quam prudentius puras Scripturas obtendentium, novam methodum controversias definiendi valeant adversus tot tantósque Militantis Ecclesię Christi duces immortales, ad ipsos fere provocem.

Quantum ego in Theologia video (quod lubenter agnosco perparum esse) non possum non cum Erasmo sentire, Illos maxime (uti infra ostendimus) moratos Evangelii cursum, qui soli ex eo sapere videri velint. Nam nullos exitialiore vulnere Sanctissimas Scripturas confodisse nuper legimus quàm duos illos Galli-

canæ

canæ Reformationis Corypheos hodiernos, Ludovicum ſcil. Capellum, qui Literam infinitis ſuis emendationibus (ſi placet) Criticis, tanquam alter Eſdras cœlitùs demiſſus in reſtitutionem deperditarum fere Scripturarum, corrumpere, ſive volens ſive nolens, ſategit. Alteram autem partem, ceu Animam Sacrarum Scripturarum, profectò, quicquid in contrarium profiteantur venditentve, illi maximè dehoneſtant; qui ſenſum non conſono ſuffragio priſtinorum Doctorum eruendum docent, aut colendum, ſed ſingulari & libero placito privatorum hominum: Idem in Religione contra Chriſtum committentes, quod nunquam ſatis plangimus nuper in Repub. admiſſum à Regalis Majeſtatis inſidiatoribus diriſſimis. Docent ſcil. magno Populi plauſu, Principis non eſſe Latus ſuum armatis copiis cingere, nec vi aut armis Dignitatem aut Poteſtatem imperio gravi tueri, ſed in Cordibus ſuorum, Clementiâ & Beneficiis publicis regnare; tunc enim erit ſolùm verus & incolumis Rex, aiunt: Et hoc modo nudatos Principes juſto ſatellitio, ſtatim vi ipſi aggrediuntur coguntque ſervire ſuis legibus & conditionibus turpiſſimis: Ita ſanè de Auguſtiſſimo Biblio conſulunt hi ſimpliciſſimi Mentis Divinæ zelatores, Spiritum ſcil. divinum,

num, Scripturas per se solas nullâ ope, nullo ornamento humano volunt in omnibus quęstionibus dominari, ut ipsi continuò nudum verbum Dei cogant suis inventis suffragari, omni Traditione, (quæcunque tandem illa sit) profligata. Hoc autem alter ille summus in sua Ecclesia naviter conatus est Dallæus. Nec audienda sunt ipsius & aliorum nonnullorum verba, negantium interdum jus privatis Spiritibus judicandi de controverso sensu Scripturarum, quum reipsâ astruant factis, & disputationibus longis. Quid ita vero? Omnis Traditio incerta, labilis, & plerunque mendax. Patres homines sunt: Ecclesia defectibilis. *Si vero* (quod Vir doctus, prudens, piusque jamdudum rectè observavit in hac Causa) *quemadmodum universaliter cunctis Mortalibus innatam improbitatem agnoscimus, eam particulariter in nobis ipsis videremus, oculatiores in nostris peccatis essemus quàm in alienis reprehendendis. Sed contra fit; si nobis aliqua de causâ quid non probetur, statim occurrit,* fuisse homines, *& quia errare & labi est proclive, inter errores istius ætatis numeramus, ac si humanâ sorte essemus exempti: & nobis ipsis non posit accidere, in eo ipso quod damnamus.* His Seraviæ illa Erasmi optime conveniunt: qui *Si quid* (inquit) *apud recentiores legunt, retinent*

Adrianus Seravia Præfat. contr. Bezam.

Erasmus Præfat. in Symbol.

mordicus, si quid adfertur ex Veteribus, quos non legunt, ut sunt religiosè meticulosi, suspicantur sub omni lapide dormire Scorpium.

Cęterum & Modernos istos suæ potius existimationis, quam veritatis causâ tuendæ, infensiores fuisse Veteribus, prodit varium pro occasione consilium eorum. Quos enim accusant, contemnunt, damnantque impetentes nova sua dogmata, & formulas, quærunt sollicitè, studiosè acriterque adhibent testes contra semigrantes à suis cœtibus, & tramitem, quem ipsi noviter præstituerant derelinquentes, ad fœtus proprii cerebri alendos & provehendos in Religione Christianâ. Fecit hoc Magister Calvinus, contra Anabaptistas; Beza, Volanus, & innumeri alii fecerunt, contra Socinianos: Imo ipse funestissimus Traditionis hostis fecit: Qui nusquam non docet nihil in causa Religionis recipiendum absque Scripturarum autoritate: à discipulis verò suis postulatus, quòd Christo mero homini divinum cultum tribuerat, nulla autoritate Verbi Divini suadente, ad traditionem confugit, eamque suis objicit. At istis pertinacius Scripturarum vocem, non hominum expetentibus; tandem, instar Balaami Patris sui, his angustiis graviter pressus, Angelum Domini in Via Regia stantem agnoscit,

agnoſcit, Veterum; aiens, *Crediderunt autem* [Veteres] *ita quia animadverterunt contineri in Scripturis.* Quid autem amplius modeſtiores Catholici petunt Veterum cauſam agentes? Certè in re Fidei, vel parum, vel nihil: Revelationes ſcil. Divinas præ omnibus, imò contra omnes venerantur: Et Traditiones eo nomine potiſſimum colunt, quòd crediderint, Veteres quę poſteris tradunt, ſummâ curâ, & piâ diſquiſitione è Literis Divinis hauſiſſe. Socinus Ep. 3.

Summam hanc clariſſimamque rationem viciſſe etiam obfirmatiorem ipſius Dallæi animum, non dubitem, factis ipſius flexus. Immaturioribus Annis hoc opus in Veteres editum conjicio ex elapſis quam plurimis Annis; vigenti autem judicio & vergente in terram corpore, Tractatum bene largum ſcripſit contra Novitatem Traditionum Romanarum, & præcipue Adamum & Cottybium Jeſuitas: In hoc, 400 Paginas in Quarto (ut loquuntur) implevit, ex Veteribus; Pontificiam doctrinam Novitatis coarguens. Sine ergo hîc Domine ut te pauciſſimis ſodes agam, quærendo. Nunquid impoſſibile, quid ſenſerint Veteres de noſtris controverſiis, cognoſcere? Nunquid cognitam eorum mentem Ventis potius quàm cuſtodibus animis noſtris committere omnino decet? Si

Daille Noveautè des Traditions Romains.

 prius,

prius, quo tandem filo novo pedem ipſe tuum è Labyrintho flexuoſiſſimo extuliſti ? ſi poſterius, quanta imprudentia, vel potius inſania genium tuum, jam capulo vicinum excruciaſti labore inani ? Num, (quod infra frigide adducitur in defenſionem, poſt complures alios) *ut Os adverſariis obſtruatur, non ut triumphet veritas ?* De hoc miſero ſuffugio, ſuus erit locus in Reſponſione noſtra dicendi.

Interim hærere me vehementer perplexum, quî poſſim Virum Doctum liberare à levitate vel contrarietate dogmatum, fateor. Prædicto enim ſcripto, ſæpius ſe purgat quaſi à gravi Crimine ne videatur ad *Patres Judices* controverſiarum provocaſſe, *Teſtes* tamen & *Doctores* avidè accerſit. Hunc autem ſenſum diſerte rejicit, & totis viribus ingenii impugnat, Lib. 2. cap. 1. initio. Præterea, Quantillum intereſt, utrum Judices, Teſtes, an Doctores ambiamus Veteres, facile attentior paulo oculus perſpiciat: Nam (quod fere ad ravim contra importunas & vaniſſimas querelas ejus reſpondimus alibi) Nemo cui ſanum ſit ſynciput Judices Patres ſenſu forenſi poſtulârit. Non ſunt, proculdubio non ſunt eo modo Judices nedum Teſtes nobis litigantibus, denique nec Doctores propriè dicti, ſive intra ſive extra controverſiam

Vide cap. 1. & 2. de Nouveauté, &c.

Dall. de Uſu Veterum, &c. Lib. 2. cap. 1.

Fidei:

Fidei: Nihilominus ſenſu latiore non incommodè horum omnium munus obeant, verum ſcil. à falſo ſua operâ diſtinguendo, & laboranti lumini Divinæ Scripturæ ſuccurrendo ſcriptis ſuis illuſtribus; non tanquam Authores, aut Domini Fidei, ſed Miniſtri potius ejus ſunt, qui nobis ſunt Magiſtri. Pie fortaſſis ergo, profectò ſobriè vix dicendi ſunt illi Theologi ſapere, qui Judicium Patrum in fide rectè regendâ Cane pejus & Angue refugiunt; Teſtimonium autem paulo fortiore animo & imperterrito ſuſtinere queant. Sed quoniam de his plura inferius dicenda hîc ſuperfluum monere lectorem.

Jam qui breviter attigimus utilitatem capiendam ex Traditione, perpauca adjungamus de gravi incommodo contemptûs Veterum in negotio Fidei; atque etiam ex ipſis inimicis: quorum Princeps, non tam tempore, quam Stomacho petulanti & cæco furore, dictus *infauſtus* Fauſtus Socinus, ſuæ dementiæ, ſtolidiſſimâ hac jactatione proprii ingenii, ſic cauſam aperit, ad Squaricialupum ſuum. *Neminem ego in iis, de quibus in Reſponſione mea diſſeritur, ex iis qui hodie vivunt, nulla ex parte Magiſtrum agnoſco, ſed Deum tantnmmodo præceptorem habui; Sacraſque Literas. Quinetiam in univerſa illa divinarum Lite-* Socinus Epiſtolarum. pag. 17.

rarum scientia, (quæcunque tandem in me sit) præter unum Lælium Patruum meum, qui jamdiu mortuus est, vel potius, quædam paucula ab ipso conscripta, nullum prorsus Magistrum habere contigit. Sic ille, ibi: nec aliter ad Radecium scribens. Nec cui mirum esse debet, Hominem Aulicum Florentiâ vitam agentem, & proinde omnis Vetustioris Eruditionis penitus rudem, eâque maximè causâ, osorem; post annum autem Quadragesimum ætatis, ad Theologiam transeuntem, compendio privati sui Judicii elegisse rem totam Religionis metiri, quam insuperabile iter ingredi veritatem assequendi ex institutâ rectè Collatione Sententiarum Antiquiorum. Dein, Naturâ hominis blandiente Magistrâ pessimâ usus, perfacile delapsus est in vitium vulgare, quo, *Caput* hæresis novæ esse, quàm Antiquæ & receptæ Veritatis *Cauda*, omnes concupiscimus.

Id.Epist.8.

Hunc non minimâ ex parte secutus Episcopius, & ipse Antiquitatis (quod norunt docti) imperitus, novam Credendi, imò & Philosophandi licentiam, Regulamque affectavit: & Scripturis accuratiùs, quàm Majores omnes, exploratis, Mysteria Christianę Fidei summa, tam singulari & inaudito acumine, vel crasso potius fastu, tractavit, ut non per-

pertimeſcat liberos cuivis Fideli eos articulos de S. S. Trinitate permittere, abſque quibus, conſtans & Fœderalis Fides docuit, nullum ad vitam Immortalem aditum patere Chriſtianis: Eodemque fallente ſingularis rationis Spiritu, & illudente, progreſſus proxime eſt ad omnem delendam Eccleſiaſticam Hierarchiam, cum Socino Patre: In quo, Comites habuit Curcellæum, Salmaſium, & alios non incelebres, nec indoctos viros; qui antiquitatem Fallibilem ab interpretatione Scripturarum, callidè & ſacrilegè ſubmoventes, ſuam ipſorum Rationem mentis Divinæ, non dubitârunt ſatis immodeſtè interpretem unicam ſurrogare: & ex ſuo, *Non video quo minus hoc per Scripturas liceat*, & illo, *Videtur hoc nobis Verbo Divino contrarium*, nulla ſuſpicione inverecundię, aut Erroris, diſertè docere & tradere pugnantia cum œcumenicâ fide, & praxi Eccleſiæ. Viderunt ſcil: docti, Sanctique Patres, Paſtoreſque Eccleſiæ Chriſtianæ: Credidit totus Ordo Cœleſtis & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: Scripturas hoc ſenſu intellexerunt omnes; Uno fortaſſis diſſentiente, ut obrutâ ſtatim hæreſi ejus, innumerorum contrariis telis, Veritas Auguſtior & ſecurior in poſterum permaneat; Semi-Chriſtianus tandem non credit Socinus, Semi-Socinianus non videt

Curcellæus Præfat. in Epiſcopium. Walo Meſſalinus.

det

det in Scripturis Episcopius, ullo diplomate divino Ordines Cleri & Populi distinctos. Annon cavendum maximè putamus periculo Rationis, ne hos novos, paucosque Mirmillones lapsos fuisse existimemus, potius quam illos, præsertim Magno Calvino præeunte? cujus stomacho, & infortunio gravi, parum videri possit, universum Ecclesiæ Ordinem condari. Nullo enim ipse jure in Pastorem promotus, (quod infra particulari disceptatione probabitur) ad istas redactus est deplorandas angustias, ut Extraordinaria Vocatione suum, & sequacium Ministerium, stabilire niteretur. *His temporibus* (inquit Calvinus) *Extraordinarios Pastores & Prophetas excitat Deus.* At his concessis, quid hoc ad Extraordinarium ipsum Ministerium à Calvino introductum? Video sane eum improbasse Ecclesiarum bene constitutarum ordinis turbatores: ne scil. suæ Machinæ male sit: sed quis non prorsum communis rationis expers non pariter judicet? Aut quis non servili & præcipiti mente Calvini argutias & nugas miratus, Extraordinariam illam Vocationem plane nullam æstimet, & proinde sincerius, simpliciusque ducat, omnem penitus auferre Veram, Catholicámque Ordinationem, omnes ritus, consuetudines, & traditiones omnes, denique

Calvinus de Vera Ecclesf. Reform.

Idem ibid.

nique discrimen omne in præcedente Charactere seu Facultate fundatum inter Clericos & Laicos, nisi quod tribuerit levis Plebeculæ consensus, quodque haud graviore labore pro libitu revocet? Quid ergo fuit Calvino mentis in hac causa non multum laborandum; nec quanto studio pacem, Ordinesque Ecclesiæ prosecutus est, inquirendum est; quum extra dubium sit porrexisse eum ansam Socino & Collegis suis Anomaliam istam quam cernimus à perditis Ovibus in constituendis Pastoribus Scenicis laudari, & summo ludibrio Veræ Hierarchiæ coli.

Utinam vero extraordinarium hoc Primorum Genevensium studium Innovandi, Civilem quoque statum non corriperet, corrumperetque: sed Populo quoque Potestatem parem Principes creandi, cum illa Pastores ordinandi dederunt. Theses tamen funestas pro re natâ, loco, & tempore expromentes nudas, vel involutas, eodem artificio utuntur iis, quo solent Urbes, Pontibus Tractilibus: Jaciunt scil. & apertè ponunt, signa armaque illaturi in hostes: instructos autem hostes aspicientes, & mox transituros eadem viâ ad suorum expugnationem, sustollunt, suspensasque tenent, negantque tam perniciosa dogmata apud ipsos

 posse

posse reperiri. Plurimis exemplis fas, promptumque esset hoc Nostratum, qui Magistros omnes *Presbyteromania Anierarchicâ* correpti, inscitiâ, impudentiâ, & sacrilegiis excelluerunt, quantum Proceræ & Ramosæ Arbores semina, stirpemve excedunt, confirmare: etiamnum, ni opinio me cæca fallat, Actione Historico-Scholastica satis confirmavi: Quam, causis in Limine ejus Apologiæ Particularis redditis, Priori huic Tractatui subjunxi. In qua si ulcus Corpori Ecclesiæ multis jam annis infestissimum & pridem tantùm non mortiferum, acriore manu, & Stylo resecem, in causa haud dubiè fuit ipsum malum non diutius lucem modeste fugiens, sed Lucem ipsam pudefaciens sua immanitate. Nec ignoro me solito atrocius nonnullorum Theologorum transmarinę Reformationis, magna & pene Sancta nomina, Calvini nempe & Bezæ, quæstione gravasse. Per nos sanè viguisset, & valuisset apud suos tantorum Virorum dignitas & Autoritas, imo apud nos quoque debitis nollem invidiosius fraudari laudibus, meritisque, quæ agnosco prȩclara fuisse; Post autem multa inscitȩ admodum in Theologia ab iis tradita, superstitione tantâ, tantâ credulitate devorata, tantâ crudelitate, fasque nefasque, proposita & tandem suis ipsorum *Præpositis* imposita à Disciplinariis

Novis;

Novis; An cuipiam ęquo judici mirum, durumve videri posset, ipsam Radicem Malorum appetere, & evellere? præsertim experto, luxuriantes inde surculos extremos amputasse, parum aut nihil nobis profuisse; Dico, Profuisse? Quid si obfuisse dixero? Quid autem manifestius ex Historiis sit quam Calvini & Bezæ præceptis, monitis, consiliis, hortatibus Puritanos nostros imbutos & incensos olim tanta molimina adversus utramque Politiam agitasse? Quoties fractis animis, & viribus languentibus per Epistolas adfuerunt? Et siquando jure ab Episcopis, præsertim Whitgifto nostro, tanquam importuni Ardeliones reprehensi sunt propter falcem superbè & temerè immissam in Segetem nostram, blanda fortasse verba, & pene Catholica reddiderunt, interim tamen tacitis Literis, non cessarunt laborantes Fraterculos Disciplinâ Presbyterali formandâ, è Postico, (quantum nomen & vires suppetebant) concire. Et quibus nimium esset propriis inventis Ecclesiasticis squalere, parum visum est (invitatis à Populo forte, sed) vetitis à Præsulibus Ecclesiæ, non turbare aliena.

Neque verò Doctorum, sed Dogmatum censuram justam necessariam ad futuram nostram incolumitatem existimavi: è quibus illud pri-

mum locum exigit, quo Traditio Veterum ſpernitur, & è medio diſſidentium tollitur; more Dallęi; cui tamen ipſi ſuos in hac provincia diſplicuiſſe labores, non ſolum ex prędictis hariolari fas ſit, verum ex Collegę ſui, Viri Graviſſimi Doctiſſimique, recentiore animi ejus interpretatione, Dom. nim. Claudii; accuratiſſimâ Reſponſione ad Dominum Arnaldum *De Eucharistia.* Scribit enim (opinor, non neſcio Ipſo Dallæo) nequaquam inſtitutum fuiſſe ipſi Veteres prorſus ablegare, ſed oſtendere perquam difficile arduumque eſſe, *quid Poſitivè & Concluſivè* docuerint, ſcil. de Sacramento Euchariſtiæ: eodemque fere modo, & verbis iiſdem, (niſi quantum Gallica Latinis diſtant) quæ nos priùs conceperamus, refellentes argumenta D. Dallęi, cap. 2. Lib. 1. reſpondet. Quid ergo? Fruſtra fuimus nos in eo refellendo quod nec Authori Ipſi placet? Ad hoc reſpondeo. Verum equidem eſſe quod regerit Arnaldo Claudius, Dallæi rationes non ſimpliciter tollere uſum Patrum in Controverſia de Euchariſtiâ: Hoc aſſerimus, hoc contendimus nos quoque. Attamen non minus verum pariter eſt, argumentum Arnaldi ſumptum ex Dallæo validum eſſe, Ad Hominem diſputantis. Nam nemini non ſit perſpicuum, eò deſtinatas ſingulas

Mr. Claud Livre 1. Reſponſ. cui Livre de Mr. Arnaud de la Methode de Perpetuité, &c. cap. 5.

gulas Dallæi rationes adversus Veteres, eóque institutas, ut ostendat duplici Generali Capite Patres non posse adduci *Testes*, aut *Judices* Fidei, viz. cùm propter invincibilem difficultatem in sensu eorum, de illâ capiendo; tum propter suffragii claré & indubié pronunciati Fallibilitatem. Nam si hoc tantummodo Actione sua primâ in Veteres, vellet Vir Doctus Dallæus, quod benignus interpres ejus sententiæ tradit Dominus Claudius, viz. "Difficile esse repe-"rire per modum Declarationis Formalis & Ex-"pressæ, quę valeat, *Ego Affirmo*, aut *Ego nego*, *Ego probo*, *Ego damno*, *Ego recipio*, *Ego rejicio*, profecto, me æstimatore, meritò frangendi essent calami ipsum oppugnantium immerito. Nemo enim tam crassus turpisque Gnatho Veterum, ullo (quantùm sciverim) sæculo hactenus extitit, qui hoc præstitum in Centesima Controversiarum hodiernarum parte affirmârit. Multa tamen satis disertè & luculenter definivisse, licet non more Prætorum sententia formaliter latâ; & pluribus aliis definiendis, viam complanasse, & occasionem optimam aperuisse statuimus nos, negatque D. Dallæus.

Son sens est, quæ cela est difficile à trouver per voye do declaration formale & expresse, J'affirme; ou Je nie: J'approve ou Je condamne: Je recois, ou Je rejette. Id. ibid. pag. 53, 54, 55.

Quid ergo me primum impulit ut hanc pro Ecclesia Universali, & illam pro Anglicana, Apologiam componerem, satis supra dictum:

quod verò tam serò, post obitum Viri Clarissimi, ederem, ut Cineribus ipsis molestus sim; hæ fuerunt causæ. Diu quidem expectandum putavi Egregium aliquem Theologum, qui cum Egregio manum consereret; me obscuro, (uti par esset) intra privatos Parietes, delitente: Hujusmodi verò in arenam non procedente, tandem, quæ prius ungue in ora Libelli notaveram, dein lacessitus importuni Ministri publicato scripto, paucula Anglicano sermone exarâram, Latinæ Versioni accommodavi. Præterea, non iniquam putabam Viri emeriti quærelam contra molestissimos adversarios Adamum & Cottybium, qui fortassis opinione imbellis senii ejus, facti audaces, lassum laboribus Bovem vocarunt ad novos sudores; quod ægre tulit, sed magnifice est perfunctus. Audito tamen, quod Vir Clarissimus, & dignissimus Professor Joannes Personus Cantabrigiensis, Vindicias doctissimas Ignatianarum Epistolarum contra nuperam Do. Dallæi Censuram Prelo mandârat, peropportunum duxi lucubratiunculas nostras in Apricum proferre; & Generalem Veterum Defensionem Particulari illi adjungere. Nisi enim aliquid dandum sit Autoritati Priscorum Patrum, quando certum compertumque tenemus suffragium eorum, quid

V. Noveauté de Traditions Romains. Præface à Monsieur Adam.

quid juvet doctè & liquidò demonſtraſſe illorum eſſe genuina Opera, quæ nomina eorum pręferunt? Recognita ergo hæc noſtra, & nuperrimè aucta, à Portu in Altum ferri ſivimus: contra adverſantia maria & ventos hoc uno nos conſolati, quòd nullius, ne Modernorum quidem (contra quos videar interdum exacerbatior) nomen maculare, aut exiſtimationem lędere ſtuduimus, ſed Veterum potius famam & debitam Autoritatem labefactam & immodeſtius dilaceratam, reſarcire: Ferunt autem quędam vulnera à venenoſis Animalibus homini facta, vix aliter poſſe ſanari aut obduci, niſi obtritis prius beſtiis iſtis. Denique, accedit & illud, me labi & errare hic, ſi non cum illis, qui & aliorum invidiam & noſtram Apologiam ſuperant ſuis meritis; certe pro illis (quibuſcum ſi (quod olim Auguſtino Hieronymus dixit) optabilius non ſit errare, quàm cum aliis vera loqui) pro quibus pręſtabilius fuerit cecidiſſe, quam non contendiſſe.



Authori longiùs à Prælo agenti, quum fas non esset inabsolutas Schedas examinare, hæc Lectori benevolo emendanda occurrunt.

In Præfat.

PAg. 14. Lin. 8. lege *condonari.*

In Apologia.

Pag. 1. Lin. 1. Lege in Margine, *August. lib. 2. c.* 23. *Confess.* p. 2. l. 12. lege *possimus.* p. 6. l. 3. lege *reperiri.* ibid. lege *vanissimo.* p. 11. l. 19. lege *Infallibili certitudine.* p. 24. l. 5. lege *vanissima.* p. 60. l 3. lege *nulla.* p. 61. l. 13. lege in Margine, *Id. Origin. Par.* 2. *Sect.* 71. p. 67. l. 32. lege *dimittens.* p. 79. l. 34. lege *aut* pro *nec.* p. 81. l 26. lege *quem.* p. 81. l. 32. dele *Veterum.* p. 93. l. 16. lege *qua.* p. 96. l. 29. lege *quæ.* p. 97. l. 10, 11, 12. dele notulas ad initium linearum. p. 115. l. 7. lege Italico Charactere ad finem sententiæ. p. 129. l. 33, 34, 35. lege *necessaria, vera, vera.* p. 131. l. 7. lege *credendos.* p. 152. l. 7. *post habent,* adde *est accusandus.* p. 153. l. 34. dele *enim.* p. 161. l. 16. transpositam ad pag. 164. citationem Vossii lege post *videatur.* p. 163. l. 34. dele *Colon.* p. 220. l. 33. *cupiam.* p. 221. l. 1. lege *agi.*

In Actione.

Page 98. line 27. lege *ipsos. Perscrutamini.* p. 121. l. 15. dele *deinque.* p. 131. l. 20. lege *concessum.*

APO-

APOLOGIÆ PRO VETERIBUS PARS PRIOR,

Complectens Generalem Responsionem ad Tractatum Viri Clariss. *Joan. Dallæi,*

De Usu Veterum Patrum, &c.

Caput primum.

Brevis Dicendorum Propositio.

"DUo sunt (Patrum acutissimus, inquit, "Augustinus) in omnibus dissensio-"nibus genera, cùm aliquid à nunciis "veracibus per signa enunciatur: U-"num si de veritate rerum, alterum "si de ipsius, qui enunciavit, voluntate dissensio sit. De priore quidem vel levissima, vel nulla est controversia. In hoc enim non modo fideles, sed à fide Christianâ alienissimi nobiscum consentiunt, Deum, (cum sit ipsissima & incommutabilis veritas) à vero devium nihil posse pronunciare. Quòd verò Scripturæ à Deo originem traxerint plurimi vel negant, vel ignorant. Prætereà, Inter ipsos fideles acer-

rimè dimicatur de voluntate Dei signis Literarum divinarum comprehensâ. Cui malo mihi sunt visi parum satisfacere, qui, quùm de ipso Verbo Dei tota lis sit, ad Verbum ipsum revocandam litem istam putant. Quasi lippis & Luscis perspicuum non esset, Nullius (vel Divinissimæ) Regulæ esse, res mensurandas sibi rectè applicare, sed aliunde rectè appositas dijudicare: h. e. judicandas æquis arbitris exponere, & præire.

Hinc ergo primùm dicere constituimus de optimo medio controversias in Religione dirimendi, quâ possim brevitate & lucubentiâ: postea, Speciali examine ventilabimus, quæ contra optimum illud medium, Veterum scil. traditionem & suffragium, D. Dallæus disputavit.

Priùs autem quàm ad hæc duo accingemur, opportunum hic erit totius operis fundamenta jacere ex ipso Dallæo, tam causam, quàm rationem Instituti sui explicante. Quæ verò ipsum rationes moverent, hæ fuerunt. *Homines Aulici pro Romanâ fide contra Reformatam objectârent Antiquitatem & Vetustissimorum Doctorum consensum, ita ut nihil frequentiùs aut procaciùs quàm hæc nomina jactarent.* Hinc autem magnopere sibi, & suæ Reformationi non immeritò formidans Vir Doctus, duplicis viæ non ignarus Adversariorum reprimendi fastus, Illius, quâ Patres instar Joseph in Ægyptum deportatos justis redimeret vindiciis; hujus verò, quâ Parthorum more fugiens conditionem pugnæ, tolleret subjectum Certaminis, alióque pertraheret; posterior ei tutior est visa, quâ scil. Veteres in Cæritum Tabulas referendos esse operosissimè probaret. Quod duplici ratione hic conficitur. Prima est, *Quia si non impossibile, saltem difficillimum est, quid super illis senserint Veteres, liquidò & definitè constituere.* Altera est, *Quia eorum sententia*

(*etiamsi*

(etiamsi certò de eâ constet) cum non sit infallibilis, nec extra erroris aleam omnem constituta, non habet tantum authoritatis, ut eâ acquiescere possit animus; qui in iis, quæ ad Religionem pertinent, nec potest, nec debet alia credere quàm ea de quorum veritate, sibi certò constat. Harum priorem Thesim undecim argumentis amplificat, Libro primo comprehensis: Posteriorem verò sex rationibus communire studet. Quibus nos duas in Genere Theses contrarias opponendas duximus: quas partim Procemiali seu generali disquisitione, quæ jam instat; partim particulari examine singula decurrendo, dabimus confirmatas.

Prima sit hujusmodi: *Non magis est impossibile vel difficile liquidò vel definitè constituere, quid de plurimis maximisque controversiis fidei senserint Antiqui Patres, quam quid in suo genere vel Philosophi, vel Historici, vel demum Sancti Divinorum Librorum Scriptores tradiderunt de hodiernis in Religione Controversiis.*

Altera sit hæc: *Ut animus in fide acquiescat in Verbo Dei fundata autoritate vel ministerio Veterum eam nobis annunciantium tradentiumque, nequaquam postulari ut infallibiles ipsi sint, seu ab erroribus omnibus usquequaque immunes.* Quibus duabus verissimis propositionibus probatis, nemini non fiat perspicuum quàm frustra sit in suâ operâ, D. Dallæus.

Caput secundum.

Status Controversiæ aperitur : & distinctio inter Judicem & Legem in Sacris etiam necessaria esse ostenditur.

Fulgent. contra Arrian.

ASsertionis defectus agnoscitur (inquit Fulgentius) *quando quis fidei alterius destruere nititur regulam & credulitatis suæ formam nolit proferre.* Hoc autem maximè omnium commisit Dallæus, abdicariam prorsum texendo orationem, quâ quidem, quæ hactenus sunt ædificata magnificè, destrueret; ipse tamen intereà temporis nihil stabile exædificaret; nisi quod Tyronibus tam in ratione quàm fide probatum, jure displicuerit, & contemnatur: quod sequentia manifestò docebunt.

Nobis autem, ne eodem vitio laboret sermo noster, visum est primò Quæstionem generatim evolvere, nostramque sententiam post Aliorum describere: dein ad speciale revocare examen, quæ à D. Dallæo contra Veterum suffragium dicuntur.

Dicturis autem de summâ omnium controversiarum, Judice videlicet Controversiarum, requirendus imprimis videtur verus Quæstionis status; eoque magis, quòd Viro Doctissimo consilium erat eundem vel datâ operâ obtenebrare & fugere; vel, quod invitus dixerim, ignoraverit; aut quod omninò necessarium esset, non attenderit.

In hoc ergo, nihil, me æstimatore, magis solet nubem clarissimæ alioquin diei inducere, quam vulgaris & promiscuus Judicis & Legis abusus, quo penè sublata sit fundatissima illa in Naturâ rerum diversitas.

ſitas. Et ex iis non pauci, qui in rebus humanis & naturalibus non illubenter eam admittant, improbant planè in Sacris & Divinis controverſiis; ſicuti quàm plurimæ diſputationes inter Reformatos & Pontificios palam nobis faciunt. In quibus Romanenſes ab illa diſtinctione ferè ſemper auſpicandum putârunt; ſanè non iniquè. Adverſarii autem, neſcio quem anguem in herba latentem ſuſpicati, illam prætimidè refugerunt: Et in ſuæ meticuloſitatis defenſionem ſolent (me ſtupeſcente) plerique quod nuperrimè fecit Johannes Strangius Scotus, in ſuis diſputationibus De Scripturis (alios ut taceam) Apoſtoli Pauli illud huc attrahere, *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax & omni gladio ancipiti penetrabilior*: undè latiſſimum diſcrimen colligunt ponendum inter Legem, ſeu Normam humanam quamvis, & Divinam. Illa enim mortua cùm ſit Litera, nequeat ſimul Normæ & Judicis vices obire, Hæc verò quum vivus ſit ſermo, utrumque præſtabit munus. Nec facile inolitum hunc veternum excuſſeris his, oſtendendo manifeſtum tropum Apoſtoli. Hebr. 4. 11.

Cùm enim vox Judex dupliciter vulgò uſurpetur; Propriè, & Metonymicè; is proculdubio ſolus eſt Judex propriè dictus, quem attinet, (vel ex jure vel ex Diſſidentium electione) Litem dirimere: Impropriè autem & figuratè dici ſolet Judex quicquid involutum explicat, dubium definit, obſcurum elucidat, aut, ut verum à falſo, rectumque ab Obliquo & curvo dignoſcatur, ſuo lumine, & rectitudine agnitis, efficit. Hoc autem quum tam Judex quàm Lex (diverſo tamen actu) faciat; idem nomen plerunque uterque ſortitur. Præterea, Judicis & Legis diverſa admodum ſunt munera, eò quod Judex non ſolùm Legem exponat, (quod & doctor fortaſſis melius peragat) ſed Cauſis terminum ex officio

imponit, quod neque Lex valeat præstare, neque doctissimus interpres: quod rectissimè notavit Gratianus his verbis, *Aliud est Scripturas sacras diligenter exponere; aliud Causis terminum imponere. In negotiis definiendis non solum est necessaria scientia, sed etiam potestas.* Unde strictè loquentibus nulla alia potestas judiciaria est quàm quæ ad Præpositos jure pertineat. In cunctis autem Legibus, seu Regulis tam credendi & sciendi, quam vivendi, Autoritas quædam Moralis est, quæ ut primum innotuerit, adsensum obsequiumque exigat, quæ tamen quoties in quæstionem venerint, sive jure, sive injuriâ protinus perit Litigantibus. Ex duobus autem constari Autoritatem scribit Joachimus Stegmanus (qui è familia Socini cum esset, acutè & disertè quidem scripsit Tractatum imperfectum De Judice Controversiarum, sed non perinde solidè: quod paucissimis mox demonstrabitur.) Ex admiratione & Metu: Ex Admiratione vel Patientiæ, vel Eruditionis; Ex metu autem dominii; Indignè quidem Rationis Magistro; cujusmodi Sociniani cupiunt se videri. Dominium enim Legitimum satis, & solùm tribuit cuivis Autoritatem subditum sibi judicandi. Quòd verò liberè quis suæ Causæ elegerit Judicem, id non raro ab Admiratione Peritiæ nec tamen duntaxat Peritiæ, sed & Probitatis opinione provenit, quod probavit quoque Stegmanus.

Gratianus Decret. Pa. 1. Dist 21.

Joach. Stegman. lib. 1. De Jud. Controvers. ca. 2. pa. 40.

In ratione autem Regulæ explicandâ quam nuper multo sudore & Præsumptione Papistæ nostrates Anglicanis scriptis tentârunt, turpiter solent errare, & contra ipsam Philosophiam peccare. Existimârunt Præter Absolutam illam Divinæ Naturæ Regulam omnis Entis & Veri, reperire posse Normam aliquam vel Sciendi, vel Credendi, vel Vivendi; quod vanissimè nituntur strepitu verborum ostendere.

Con-

Conditiones autem Regulæ duas potissimum statuunt esse, ut Recta sit: dein, ut nota: plures adjiciunt, sed deterioris multo notæ. Offendunt autem fastuosi isti Sophistæ utrâque parte. Hinc quòd omittunt maximè essentialem conditionem; quæ est ut recipiatur, & recta (licet fortassis secus se res ipsa habeat) agnoscatur à Metientibus: Illinc, quòd simpliciter necessarium statuunt, ut Recta sit Norma, quod optandum potius quam sperandum in Rebus innumeris humanæ & Divinæ notitiæ. Qui duo errores ab hoc primo fluxerunt, quòd de Lege, seu Norma ita judicârunt ac si quid absolutum essent, & non semper Relativum, respectum ad aliquid dicentes. Deus quidem pariter & Scripturæ seu Verbum Dei sunt Entia absolutè Vera; sed non quatenus Regula: Nisi enim prius quis fide admiserit, Regula Ei non sunt actu. Nam Turcis & Judæis & Paganis Scripturæ neutiquam sunt Regula. Salva enim divina ipsa Essentiâ, ex naturâ rei illud quod communiter Regula dicitur, non minus ad Rem mensurandam examinis ergò dirigatur, quam vice versa, hæc ad illam: nec natura quidquam alteri Normam præstituit, sed Consilium, quod contraria possit, ubi libuerit, decernere. Arbitrii enim plane est, non necessitatis Naturalis, quod Scripturis deferimus. Porrò neque verum est quod Recta sit Regula necesse est. Nam ex pacto possunt homines suas subjicere causas homini, vel Scriptis à Recto maxime deviis, unde tamen non minor concordia nascatur quàm si ab ipso Veritatis Oraculo sententia petatur, feraturque, quod quotidiano usu venire videmus. Quod verò idem Stegmanus inter Arbitrum distinguat & Judicem, *Quòd iste nobis etiam invitis sententiam de nobis ferendi jus habeat, Ille non nisi à nobis ipsis nostra sponte electus & constitutus; aut saltem ab aliis nominatus, quum rejicere possemus,* Idem.pag.48.

mus, liberè admissus; Primum magni momenti erit rescire quis *iste*, & quis *ille*, quod mihi fateor incertum: ex ordine verò verborum *iste* ad *Arbiter* referatur, ille ad *Judex*: & proinde contrarius sensus longe verior: Judex enim erit Legitimus, cujus Autoritas obsequium acquiescentiæ in litigantibus jure exigit; Arbiter, qui ad placitum constituitur, & dimittitur. Paulò aliter Cicero, *Aliud est Judicium, aliud Arbitrium: Judicium est rei certæ; arbitrium est rei incertæ. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus. Ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum quantum postulamus, consequamur.* Veruntamen licet ex Civili sanctione ita fiat, ut volens nolens quis vel Legem vel Judicem cogatur admittere, revera tamen neutrum tale sit ex ratione rei. Sed obtineat per me formula loquendi, quæ nostram neutiquam vel juvat, vel impedit disputationem: ad quam de Judice & Lege distinguendis propius redeundum est.

Cicero pro Roscio Comœd.

Frustra enim de suâ Causâ sibi subblandiuntur, qui istam non servandam in Sacris putarint, quod tam Philosophi cum vulgo loquentes, quàm doctores, & Patres iisdem nominibus utrumque insigniant. Nam sensu vulgari, non Judiciali Cicero dixit Magistratum esse Legem loquentem: Legem autem esse Magistratum mutum: & Aristoteles (qui à Chamiero & aliis citatur) immeritò huic errori patrocinari cogitur in Ethicis, qui distinguit in Libro de Rhetorica, & de Animâ ut mox Patebit. Ex Patribus item legimus Clementem Alexandrinum, Mosem Νόμον ἔμψυχον appellasse, quo scil. ritu notat Doctissimus Pater Sanctum Paulum Νόμον Παιδαγωγὸν dixisse. Isidorus Pelusiotes pariter unâ periodo utramque appellationem est complexus. *Ὥσπερ βασιλεὺς ὑπὸ τῶν νόμων ἀρχόμενος, καὶ ἔμψυχος ἐστὶ νόμος, οὕτω καὶ ὁ Ἱερεὺς ὑπὸ τῶν θεσμῶν βασιλευόμενος, Κανὼν

Cicero de Legibus.

Aristo. lib 1. ca 14. Rhetoricæ.

Clem. Alexan. Stromat. 1. pa 350.

Isidor. Pelus. lib. 3. Ep. 306.

ἐστὶν

τὸν ἄφθογγον. Et tritissima sunt Optati verba, quibus ad Scripturas quasi Judicem provocat. Denique hâc utitur phrasi Scriptura ipsa dicens, *Nunquid Lex nostra quempiam judicat, priusquam audiat?* Et Christus ad Judæos apud eundem Evangelistam, haud aliter; *Est qui accusat vos Moses in quo speratis:* ubi Lex Mosis Moses dicitur. Quæ singula solvuntur respondendo Metonymicè dicta fuisse, & propriam formam posuisse: non tamen propterea æquum esse ut prorsus desinant naturâ ipsâ distingui.

Optat. Milev. Cont. Parm.

Joan. 7. 51.

Joan. 5. 45.

Scripturam enim formaliter vel seipsam interpretari, uti mox dicetur, vel de sua Literâ judicare non posse, hinc ratione manifestissimâ colligitur; quod quum singuli sententiæ ejus subjici se, suaque velint, tamen in partes infinitas scinduntur de eâ inviti: Nec alio quàm sui ipsius testimonio egemus. *In iis enim* (Petrus affirmat) *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem.* Cujus vocem sequuntur Patres sancti, & Viri Gravissimi: Vincentius enim Lyrinensis sic, *Quanquam sit perfectus Scripturarum Canon, sibi satis superque ad omnia sufficiens, opus est tamen, ut ei Ecclesiasticæ Intelligentiæ jungatur autoritas; quia nimirum Scripturam Sacram pro suâ altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt; sed ejus Eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines tot illic sententiæ erui possint. Aliter namque illam Novatianus, aliter Photinus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit: aliter Arrius, Eunomius, Macedonius, aliter Apollinaris, Priscillianus, aliter Jovinianus, Pelagius, Cælestius, aliter postremò Nestorius.* Hæc Vincentius. Cui lucem prætulisse videatur Hilarius Pictaviensis scribens, *Forma fidei certa, sed quantum ad Hæreticos omnis sensus incertus est.* Quod etiam non solùm agnovit ipse Calvinus, sed his verbis docuit. *Nullus tam perspicuus Scripturæ locus, qui ad*

2 Petr. 3. 16.

Vincent. Lyr. Commonitor. cap. 2.

De Trinitate lib. 2.

Calvin. de Scandalis pag. 10.

ad Lesbiam hanc Regulam inflexus [*Romana Ecclesia*] *vel, ut magis propriè loquar, detortus, non alienam formam induat?* Num soli Ecclesiæ competat Romanæ propriè errare de Scripturis, vel easdem detorquere? Nonne & cæteræ idem possent solentque committere? Possunt sanè, solentque, eodem Calvino teste diserto. *Nulla enim (inquit) tam crassa in quæstionem venit absurditas, cui non inducunt colorem,* scil. ex Scripturâ, de quarum abusu ad portenta Religionis ornanda agebat. Rectè ergo Whittakerus, *In hoc cardine versatur tota Quæstio,* [*inter Pontificios & Reformatos*] *de Scripturis. Unde vera Scripturæ interpretatio sit petenda.* De hoc ergo sequitur ut diligentius disputetur.

Calvinus Respo. ad Versipellem. Opusc.p.411.

Whittakerus de Scriptu. Qu.5. ca.3.

Caput tertium.

Primus modus lites de Religione motas determinandi explicatur & refellitur.

QUidam inter nos Romanæ partis, secum paulo fidelius considerantes multa à Scholasticis infaustissimè disputata in Controversiâ Fidem resolvendi: singulari acumine sibi saltem visi sunt ipsis omnes procul amovere difficultates, novo opinionis portento, prioribus sæculis inaudito, nostroque inviso. Traditionem quidem, ut & Alii, optimum Ecclesiæ medium ponunt rixas in Religione componendi, sed non vulgarem illam, verùm adspectabilem, & veluti manibus palpandam. Hujus Commenti, ut plurimorum aliorum paradoxorum Whitus, seu Albius primus (ni fallor) inventor fuit, qui non temnendam partem Anglo-Romanensium adversus Jesuitas sibi adjunxit. Principem horum locum mereri

reri videatur Henricus Holden conterraneus noster, Parisiensis autem Professor: quem recentior Refuga Cressius in sua Exomologesi, licet nutanti animo, secutus est: Hos autem Author triobolaris Chartæ à Bruxellis dari fictæ, & Sergeantus quidam disputator fervidior, quam sobrius de Regulâ Fidei. Quoniam verò otium mihi non sit singulos excutere, sat fuerit, opinor, unum Holdenum, virum proculdubio gravem & doctum paucis alloqui.

Hic libro qui *De Resolutione Fidei*: seu *Analysis* dicitur, primum Fidei Romanæ fundamentum sæpius quidem jactitatum nondum autem solidè jactum hoc ponit, viz. *Unius sensûs operationem & in uno Individuo debitè exercitam* posse rectissimè fundare assensum fidei ab omni erroris periculo immunem. Et mox pergit. *Quæ sensus externi annunciant certissima sunt. Nam hæc ipsa certitudo est totius vitæ & societatis humanæ basis & fundamentum.* Quis negat? Certissima quidem sunt: non tamen propterea Infallibili nituntur. Nihil autem minus Infallibili Certitudine pollicetur Ecclesia Romana: quam ego reperiri in Sensuum externorum testimonio apertè nego, cum Academicis Antiquis. A quâ sententiâ me minimè patior dimoveri vanissimo illo Aristotelicorum effato: *Sensus externi non falluntur circa proprium objectum:* Tot enim & tam dubiis conditionibus illud gravârunt, quæ non minus eos in suspicionem trahant, quam Academicorum & Arcesilæ argumenta: & dum rectè dicitur primum & evidentissimum omnis notitiæ fundamentum, sensûs testimonium; aliud prius supponendum, & cognoscendum, quàm sensus rectum testimonium perhibuisse certò constet. Ex se verò, clariore & certiore in luce positum est, sensus rectè percepisse, quàm servatas istas rectè sentiendi conditiones, De proprio objecto, debitâ distantiâ, Organo, & medio

Henricus Holden Divinæ Fidei Analys. lib. 1. ca. 3.

bene dispositis. Vel enim hæc ratione dignoscuntur, vel sensibus: si ratione; Quî poterit idem sensus esse Causa & Effectus, origo, & Consequens rationis certæ? si sensibus, Sensus sunt probandi, Quis tandem erit finis, vel potius principium sentiendi? Et sequeretur sensibus nos prius percipere quàm revera sentimus. Mihi fateor tollere videntur omnem vel ipsorum Infallibilitatem sensuum, quæ Cicero acutissimè disputat ad mentem Academicorum & Arcesilæ: Optimam tamen basim & fere unicum vinculum humanæ societatis esse non diffiteor. Eos verò non dubitem Manichæis veteribus propiùs accedere, quàm Catholicis, qui incredibili typho propriæ rationis elati, Christianæ fidei articulos singulos suis Proselytis tam perspicuè & solidè demonstrandos pollicentur, ac si oculis & digitis solummodo ad claram eorundem notitiam opus esset: quod Doctor ille prædictus his gradibus molitur. *Sit, inquit, fixum ratumque, quod medium, quo revelata Christianis ut plurimum communicanda sunt, debeat esse talis naturæ & conditionis, ut sensibus externis sit adeò facile dignoscere, adeoque evidenter compertum, ut nemini relinquatur locus dubii, An sit, seu existat.* Denique ad calcem libri primi Resolutionis fidei, hoc modo singula in unum colligit. *Ex quibus hanc Christianæ fidei Analysim haud incidere in Labyrinthum vulgarem, & circulare perfugium, patet, quo solent Theologi passim involvi, qui fidei resolutionem parum attentè opinionem construunt, aut effingunt: Quærenti enim unde noverunt Scripturam esse Verbum Dei? Respondent, Ex universâ consentientis Ecclesiæ assertione. Quibus si iterum fiat interrogatio, Unde scirent unanimem hanc Ecclesiæ assertionem Catholicæ esse ab errore liberam seu infallibilem, Respondent, Ex revelato Dei verbo; adeo ut non audentes fidem Divinam in certitudine aut evidentiâ naturali fundare, in circulum hunc inevitabilem illabuntur,*

Cicero Acad. Quæst. lib. 2. Id. De Orat. lib. 3.

Henr. Holden ibid.

&

& in orbem turpiſſimum ſaltantes, fidem, quam ipſa prima ratio format, & efficit, rationis expertem reddunt, voluntque homines rationales mentis ac judicii participes in fidei aſſenſu certiores eſſe quam ratio poſtulat, vel approbat. Hactenus ille; alibi autem opus hoc novum coronat directè affirmans. *Fidelem oportere teſtimonio Eccleſiæ & traditioni firmiter adhærere, non quantum Eccleſiæ, ſed quatenus tot homines ſunt.* Bellè omnia: niſi fere Senſus externi mediocriter attendentibus monſtrarent certam ruinam his intentari toti machinæ Romanæ ſuæ Eccleſiæ, ab Architectis ſummis hactenus conſtructæ: quod hic ſuperfluum eſſet fuſius demonſtrare, & ab Inſtituto remotius. Pauca hæc autem in gratiam verè Catholicæ Eccleſiæ animadvertiſſe, ſat erit. Falſiſſimum enim eſt quod toti operi ſuo ſub ſternitur, viz. Ea quæ communi hominum aſſertione fundata in ſenſibus externis traduntur, nequaquam cedere Evidentiæ quam nos ipſi ex propriis ſenſibus adipiſcimur. Ratio noſtri diſſensûs prima eſt. Quia hoc ipſum aliorum teſtimonium non niſi miniſtrantibus noſtris ſenſibus in animum noſtrum derivatur, Auditûs ſcil. operâ, qui facilè à viſu vincitur evidentia & certitudine nunciandi. Secundò, planè eſt impoſſibile ut quiſpiam pari certitudinis gradu ſit præditus, alium ſenſuum beneficio gaudere, quàm quod ipſe, vel quod alius demonſtrationem ſit nactus, quàm quòd ipſe eâ utatur. Quam quidem certitudinem fidei nullis humanis ſuffragiis pendere ſimpliciter, aut principaliter, magnifico hoc Bonaventuræ elogio fidei docemur. *Certificatur enim fides in hoc quod mens ſenſibiliter ſe ſentit trahi infallibili notitia in illum, qui eſt ſolus deſiderii quietativus; & hoc ſit ita verè, vel veriùs quam oculus materialis videat materiale objectum.* Affirmat hîc Doctor Seraphicus certitudinem nihilo infirmiorem eâ quæ hodiè cæpit aſtrui, ſed longè alio

Bonavent. Myſtic. Theolog. ca. particula 1.

fonte petitam; quod sequentia etiam luculentius explicant. *Sed cum mens per istam sapientiam, de multis quæ ad fidem, licet adhuc misera, certificetur ad plenum, sciat qualibet fidelis anima, quòd ex quo mens ad istam sapientiam pertingit, si omnes mundi sapientes, omnes philosophi protestarentur & confiterenter & dicerent: Tua fides non est vera fides, quinimo, deciperis; ipse contrariò responderet, Vos omnes fallimini, & ego solus veram fidem teneo, multò fœlicius quam rationes & investigationes, per amoris unitionem in corde habens infallibile firmamentum, ut dicat cum Apostolo, Scio cui credidi: & Certus sum: sic certificatur fides per hanc sapientiam.* Hæc Bonaventuræ siquis torquenda putet ad fidei sinceritatem, seu moralem potius quàm Metaphysicam & objectivam veritatem, Ferri possit; quoniam ratio eadem erit in utraque. Accedit his tertia difficultas ex incertis, si non falsis suppositis. Quod talis contingat unquam hominum universalis consensus, cui nullus refragatus est: Ab exemplo à Viro Doctiss. adhibito disputemus, si placet: Fama latè diuque vulgatissima volitavit Civitates esse dictas Romam & Constantinopolim: Petavius quidem Augustinum hoc modo scribentem citat, *Nam conditam Romam tam certum in rebus humanis quam Constantinopolim: quum Romam viderim oculis meis, de illa vero nihil noverim nisi quod aliis testibus credidi.* Quæ verba licet ibi desiderentur, ubi peteret Petavius, idem tamen alibi scribere & sentire non nescio; & præcipue in libello seu Epistola ad Paulinum de Videndo Deo; quod hîc referre longum esset. In humanis rebus autem, cautè (ut solet) admodum inserit: subinnuit enim proprium genus adsensûs, Morale putâ, (ut loqui amant Recentiores) quod non manat à principiis necessariis, sed omnimodâ probabilitate. Præterea multum interest inter exempla data, & rem Religionis. In iis enim, nullis vel favoris

Dionysius Petavius part 2. Ration. Tempor. lib. 1. ca. 14. ex August. Civit. Dei lib. 13. ca. 3.

voris lenociniis flecti, vel curvari præjudicii ponderibus homines ſolent ut non perhibeant fidele & conforme ſuis ſenſibus & judicio teſtimonium: In negotio autem Religionis, hominum animi præoccupati, & in alterutram defixi partem, & credere & tradere pleraque ſolent, aliter quàm vel res ipſa poſtulat, vel animus proprius inclinet. Ejuſmodi urbes florentiſſimas dari in Europâ quas Romam, & Conſtantinopolim vocitant homines, quid ni credant, qui nunquam oculis uſurpârunt eas? Neque quicquam quempiam moveat, eorum quæ nuſquam ſunt, Famam prædicare, niſi ut ſplendidè mentiantur, quos refutare gaudent homines, & ſtatim extinguere rumorem. Sed Chriſtum fuiſſe Meſſiam, eximiaque miracula edidiſſe, licet pauci præſentes conſpexerint, & teſtimonium reddere poſſint veriſſimum, univerſale non potuiſſent. Nec defuerint qui vel falſos vel fallaces ipſos teſtes dixerint. Nam (ut ipſe Auguſtinus tradit in Evangelium Joannis) *Et qui viderant Chriſtum, in iis laudata eſt fides eorum, quia credebant quod non videbant, Filium Dei.* Eſt enim Fides (uti Apoſtolus) propriè dicta Argumentum non apparentium: h. e. vel noſtris vel aliorum ſenſibus.

Auguſt. in Evang. Joan Tra. 95. Hebr. 11. 1.

Cum ergò nec ipſis primis fidei nunciis capitula ejus tam perſpicua eſſent, quàm propria objecta ſenſibus eſſe conſueverunt, quàm in tenues fumos exit tam inſolidè ſtabilita, & magnificè deprædicata Traditionis evidentia, præſertim ſi, quod res eſt, fateamur, viz. Longa temporum ſerie labeſcere potius, quàm meritò adaugeri fidem Traditorum, certi novimus.

Tertiò, huc attinet, quòd vel nulla, vel leviſſima & rara diſcordia naſcatur de iis quæ ſenſibus ſe noſtris ingerere ſolita ſunt. Undè ergo tam crebra, tam gravia oriantur diſſidia de rebus in Religione traditis,

nedum

nedum de ipſa Traditione, ſitne, vel fingatur potius eſſe? Quæ autem externi ſenſus nobis commendant, potiùs neceſſitate, & inviti quàm volentes & liberi credimus; unde rectè Gulielmus Pariſienſis. Non autem ſunt omnia manifeſtè vera [in Religione ſeu fide] quoniam tunc nulla eſſet in fide diſſenſio, nulla Hæreſis, nulla omnino Contradictio. Manifeſte enim veris nemo contradicit, &c.

De Fide, ca 1.

Quartò manente iſtâ de Traditionis certitudine & evidentiâ, opinione, non modo ſuperfluæ, ſed & ſtultiſſimæ eſſent cunctæ Quæſtiones & Lites pluſquam forenſes De Judice Controverſiarum, Quis? Qualis? Unde ſummus ille Arbiter eſſet? Quorſum enim, quæ ſummè evidentia ſunt, fatigamus nos ipſos, quærendo è regionibus remotioribus & perobſcuris? ſenſum repudiamus, & rationem ambimus?

Quintò, Quid hi Fidei Chriſtianæ Traditores reſpondeant, ſi poſitâ hâc manifeſtâ certitudine periret penitus ipſa fides divina? Ejuſmodi autem fuiſſe conſtitutam rationem fidei ab optimis Theologis certum eſt, quòd tum deſierit Divina eſſe, quum principiis naturæ lumine præclaris promanet. Quod bene Reuchlini Philolaus his explicavit verbis. *Nihil tam diſtat quam eſſe divinitùs revelatum, & eſſe humanitus inventum. Unde in mera fide purè credibilium Credere & Scire ſunt maximè diſparata: ubi nunquam concluſio evidentior fieri poteſt præmiſſis; etiamſi præmiſſis evidentia certa miſceatur, tamen ſemper concluſio ſequitur partem infirmiorem. Rectè igitur vel hoc affirmamus quod in eodem ſubjecto, & reſpectu ejuſdem veritatis non poteſt ſimul ſtare habitus fidei acquiſitæ, ac habitus ſcientiæ per demonſtrationem genitæ.* Huc uſque ille. Enim verò, ſi hoc unum primum (quantum ego video) Fidei Chriſtianæ principium [Scripturas eſſe divinitus revelatas] ratione, lumine naturali, ſenſibus, aut experientiâ,

Reuchlin. De arte Cabaliſt. lib. 4.

Apo-

Apodicticè possit probari, necessum esset singulos ejusdem fidei Articulos, qui tanquam totidem ramusculi ab illâ radice pullulant, ejusdem generis esse, h. e. humanâ fide credi. Unde fateor me magnopere demirari nuperrimum, & acutissimum Virum Rogerum Boyl Decanum Cogagiensem apud Hybernos, qui brevissimo compendio de hoc subjecto tractatum edidit, quid moverit, ut contrarium, his verbis statuerit, *Quod si cui subtilius rimanti duplex hic compareat fides, Divina, quâ creditur verbis quæ sunt Dei; & humana, quâ creditur ea esse Dei verba, non contendo.* Sane ego vel maximè contenderim, immeritò dici illam fidem Divinam, quâ credimus verbis Dei. Nam qui assensus communi synteresi hominibus omnibus est insitus, nequaquam titulo divino, sed humano dignandus est, nisi quicquid operis Dei sit in naturâ Divinum appellemus: sed fides illiusmodi omninò Humana est, siqua alia. Quid enim altius naturæ calamo animis hominum inscriptum est quàm Deum veracissimum esse, & proinde verbis ejus adhibendam fidem plenissimam? Equidem Deum esse minus notum Gentibus est, quam, dato quòd sit, quod neque fallere neque falli potest: Fides verò quâ creditur Dei esse verba v. g. quæ Christiani tali venerantur fide, potius ex adverso, Divina est, quod neque ratione naturali, neque revelatione communi, possit constare, utut Plerique Theologi libenter mussitent contrarium; sed miserè confirmant. Ex hinc autem manifestò mihi liquet integrum quasi corpus Fidei Divinæ hoc primùm assensu animari, & per hoc subsistere, viz. nullo argumentorum pondere cogente, nullo lumine naturali ostendente, credimus Scripturas esse verbum Dei. Vulgò enim illud Gregorii M. in Scholis recipitur. *Nullum fides haberet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum:* Est

Inquisitio in Fidem Christianorum hujus sæculi, pag. 21.

Gregor. Ma. Hom. 26. in Evang.

D namque

Clem. Alex. lib. 2. Stromat.

namque fides, prout pulchre Clemens Alexandrinus, πρόληψις ἑκόντος: unde eodem Authore, Græcis, κοινὴ καὶ βάρβαρος dicebatur, quia Philoſophicis argumentis non nitebatur. Et optime Auguſtinus in Confeſſionibus.

Lib. 6. ca. 5.

"Perſuaſiſti mihi, inquit, non qui crederent libris tuis quos tanta ferè in omnibus gentibus authoritate fundaſti, ſed qui non crederent eſſe culpandos, nec audiendos eſſe, qui mihi forte dicerent, Unde ſcis illos libros unius veri, & veraciſſimi ſpiritu eſſe humano generi miniſtratos? Id ipſum enim maxime credendum erat. Idem etiam alibi. *Rectè igitur Catholicæ diſciplinæ Majeſtate inſtitutum, ut accedentibus ad religionem fides perſuadeatur ante omnia.* Et paulò inferius: *Hos verò quis ferat ad Chriſtum ſe pertinere profiteri, qui niſi apertiſſimam rationem ſtultis de Deo protulerint, nihil credendum eſſe contendunt.* Patres quoque illud Iſaiæ malè è fontibus redditum, haud malè interpretati ſunt, viz. *Niſi credideritis, non intelligetis*, de neceſſitate fidei abſq; momentis Rationis: *Intellectus enim* (inquit idem) *eſt merces fidei: Ergo noli quærere intelligere ut credas, ſed crede ut intelligas, quoniam niſi credideritis non intelligetis.* Luculentius tamen Patribus Scholaſtici Romani hanc ornârunt Provinciam: Duos in eo grege non incelebres Doctores adducam. Durandus docet nos oportere non ſolum credere Revelatis, ſed ipſam Revelationem. Et alio in loco. *Ipſe actus*, inquit, *credendi cum meritis circumſtantiis eſt opus meritorium.* Itaque non ſolùm proponuntur nobis talia ut credantur, ſed etiam ipſum Credere proponitur ut actus meritorius vitæ æternæ. Eſtius multò adhuc apertiùs hoc diſputat, "Si quis vel ſola ingenii naturalis ſagacitate, vel argumentorum vel rationum pondere, vel ſenſûs vel etiam ſignorum tantùm evidentiâ convictus, aſſentitur eis, quæ divinitus ſunt revelata, non pertinebit

Idem de Utilitate credendi, cap. 13.

August. Tractat. 29. in Joan. Idem Tractat. 36. 69. & 78.

In Sententiis lib. 1. diſt. 1.

Eſtius lib. 3. Diſtin. 3. ca. 5.

"ille

"ille assensus ad fidem Christianam. Ex his autem concluditur primò adversus nuperrimos defensores Romanæ fidei, sensibilem hanc Traditionis certitudinem, quam tantâ pompâ suorum, & contemptu aliorum ostentant, fidei, neque habuisse olim, neque nunc dierum habere locum apud probatos Theologos; sed putida nugamenta vulgò vendi vice purissimæ fidei: deinde, sicubi nasceretur illa certitudo, non nisi occasu fidei verè Christianæ oriri: & tamen longe falsissimum est hujusmodi Traditionem in Ecclesia Catholica extitisse. Quod infinitæ pene Hæreses & dissidentiæ in Ecclesiis, quæ Traditionem obtendebant, satis superque probant.

Quomodo autem se his expediant difficultatibus scire cupias? A Magistro hujus artis Whito accipe. Cui cum quis (ut fertur) è Suis objectaret, Hæreses contra ipsam Christi Deitatem in variis & magnis Patrum consessibus fuisse constitutas; quod nullo modo potuit accidere clarissimâ luce imperturbatæ Traditionis oculos eorum perstringente; Respondet, Catholicam quidem Traditionem satis conspicuam fuisse, sed noluisse eos eam admittere, aut sequi. Quid autem hoc rei est? Credibile est tot viros veritatem manifestam odisse? Fidem ad salutem pernecessariam datâ operâ abnegasse? Prodidisse nefariò Traditionem? Decipi elegisse, & Posteris perniciosi erroris authores fuisse, quo & propriæ, & horum animæ certâ & ineluctabili damnatione perderentur? Sin autem invitis occæcatæ sint eorum mentes, inviti concedunt novi Doctores Albigenses, non tam necessariò aut liquidò fluere cursum Traditionis Eccclesiasticæ, quin de eâ dubitari possit, & ab ea recedi? Vel si sponte in errorem ruerint Nebulonum spectatissimus confluxus, quo novo argumento demonstrabunt, Viros verè Ecclesiasticos, & Catholicos non

Tradidi Vobis, pag.

posse, vel nunquam juxta ac Isti, velle contra Traditionem decernere? Si dixerint, Morum pravitati, & intelligentiæ discrimini Spiritum Sanctum Ecclesiæ promissum succurrere optimè posse, & revera adesse, Non repugno; Quæro autem, in quantas se difficultates conjiciunt homines isti qui omnia aperta & probata sensibus reddere modò sunt polliciti, virtute decantatissimæ Traditionis, dum coguntur perplexitates, & prolixitates disputationum de natura, jure, & privilegiis Ecclesiæ prius devorare, quàm credant Spiritum Sanctum, extra sortem, hunc vel illum cætum constituere, errandi. Adde, quod Vir gravissimus scribat, Ecclesiam non tam ductu Spiritûs extraordinario Fidum esse Custodem Traditionis, sed simplici natura hominum. Homines verò fuisse etiam Hæreticos inficiari quispiam novorum Catholicorum possit? Quare ergo Ecclesia vel ignoret, vel nequeat deserere & vitiare Traditiones Apostolicas perinde ac Hæretici, restabit in æternum requirendum: vel veriùs, si Maldero Antwerpiensi Theologo non ignobili credamus, extra dubium erit. Ecclesiam enim ipse tripliciter distinguit. Primo, ut cætus hominum proborum: Secundo, ut signis & Miraculis confirmata: Tertio, ut Spiritu Sancto directa. "Dico ergo, inquit, Fidem nostram non resolvi in "authoritatem illam primam Ecclesiæ, quæ tantùm "civilis, moralis, & humana est. Quamvis enim "illa sufficiat, ut credatur Ecclesiam in propositi- "one fidei non fallere mentiendo, non sufficit ta- "men ut firmissimè eam credamus non falli invitam. His quidem verbis Tragico, non Logico argumento Cressii in suâ Exomologesi, & aliorum satisfit, qui nescio quas cumulantes calumnias simplicium animos non justis argumentis ducere, sed variis & horrendis sui cerebri spectris conterrere sperant in fidem suam;

Malderus Episcop. Antwerp de Virtu. Theol. Instit. & Religione Quæst. 56

ſuam; clamantes Eccleſiam debere conſpirare, & ſtudiosè prodere fidem, ſi errores tradiderit ſuis, vice Sanctæ Fidei; quum niſi regimine Spiritûs Divini dirigatur, Eccleſia, facile nolens labi poſſit, & humano modo errare. Ductu autem S. Spiritus moveri Eccleſiam, eſt Propoſitio Fidei, non Concluſio rationis.

Denique, Perergi hujus mantiſsâ hæc claudatur diſſertatio. Patet enim, quod bonus Vir Doctor Holden candidè profitetur, noſtros optimo jure Pſeudocatholicos Circuli, ſeu vitioſiſſimæ vertiginis hactenus accuſaſſe. Quibus ſolenniter, & doctè ludere uſitatiſſimum fuit, probando Eccleſiam eſſe ab errore immunem ex Scripturis: Et Scriptutas, vice verſa, Infallibile Dei eſſe verbum, ex teſtimonio Eccleſiæ. Quod quidem inſanabile ulcus in Romana fide fruſtra ſatagunt curare dictus Malderus, Becanus, & alii diſtinguentes inter fidem quoad nos, & fidem inter ſe ſpectatum. Fides enim in ſe nulla eſt proprie dicta, ſed quicquid id ſit, objectum tantummodo fidei dicendum eſt. Et præterea, tota diſputatio procedit de fide quoad nos, illâ ſcil. fide, quâ creditur vel Eccleſia vel Scriptura. Hanc autem aſtruere poſſe niti verbo Divino, ubi de Eccleſiâ ſit diſceptatio; & rurſum Eccleſiâ, ortâ quæſtione de Scripturis, pluſquam nugantium eſt, & pluſquam ſtupentium recipere: niſi prius vel hoc, vel illud firmiter credatur. Nam Credenti Scripturas à Deo fuiſſe profectas authore, haud erit difficile Statuere Eccleſiam Infallibilem: & vice verſa.

Caput quartum.

De Ratione Judice Controversiarum.

AGrè indignéque ferentes facultatem istam, quam nobiscum communem sortiuntur animalia, summam judicandi sedem tenere, hoc munus divinæ potius facultati Rationis nobis è naturâ ingenitæ deferendum existimant; rati, opinor, se ipsos ob egregium acumen, & cæteras insignes animi dotes quibus fere quisque libenter credit se cæteris prælucere, primas in ejusmodi foro obtinere debere, & in Repub. Fidelium imperare.

Duplici autem capite mihi videntur offendere summi hi Rationis Magistri, & in limine ipso turpiter impingere. Primò quod non advertant, Rationem nequaquam dici posse ipsam judicem; sed id quo quis judicat. Sed levius, & fortasse subtilius hoc videatur dictum. Proximum autem longè gravius, quòd parum aut nihil distinguant inter Rationem principiis naturalibus subnixam, progredientemque, & Ratiocinia illa quæ concessis principiis quibusdam Theologiæ Christianæ propriis, animum promovent in certam rerum divinarum cognitionem. Qui tantopere de sua superbiunt ratione ut præsumant adyta Religionis eâ rectè penetrare posse, næ illi mihi minimè rationis compotes esse videntur, & perinde facere quod luto metalla ferruminantes: Vel instituentes corpus Philosophiæ ad Mensuram Mysteriorum Theologiæ. Unde enim (ab his peterem) didicerunt Theologiam ad normam Naturæ potius exigendam quàm Naturam trahendam ad Theologiæ leges? Utro-

Utrobique proculdubio æque peccatur. Et illi à ſupremâ deviant Ratione qui Humana ad Divina attollere, & qui Divina ad Humana deprimere volunt. Nam ut probè Peluſiotes, Οὐκ ἔστι φυσικὰς ἀποδείξεις τῶν ὑπὲρ φύσιν ζητεῖν. Requirendæ non ſunt naturales demonſtrationes Rerum ſupra naturam. Optimè quoque Gulielmus Antiſiodorenſis, *Si conſideraſſent, ait, Hæritici res divinas excedere res naturales, nunquam proprias rationes rerum naturalium applicare voluiſſent rebus divinis: quoniam ſicut dixit Boetius, Eruditi hominis eſt, de unaquâque re prout ejus natura exigit, ſermonem habere.*

Iſidor. Peluſiot. Epiſt.

Antiſiodor. lib. 1. cap. 1. Præfat.

Non dubitem quidem Rem Dei rationem eſſe, ut ſcribit Tertullianus, & nihil abſque eâ in humanis tranſigi vel divinis. Neque Senecæ elogium rejicio, qui, *Ratio nihil aliud eſt*, inquit, *quàm in corpus humanum pars divini Spiritûs merſa:* ſed aio Leges Phyſicæ & Theologicæ Rationis in pleriſque diverſiſſimas eſſe: ideoque eos à ratione diſſitiſſimos, qui putant nullo diſcrimine habendas. Unde Auguſtinus. "Si "ratio contra divinas Script. redditur, quamlibet "acuta ſit, fallit veri ſimilitudine. Nam vera eſſe "non poteſt. Rurſus manifeſtiſſimæ certæque rati"oni velut Scripturarum objicitur Autoritas, non "intelligit, qui hoc facit, & non Scripturarum illa"rum ſenſum ad quem penetrare non potuit, ſed "ſuum nobis veritati, nec quod in iis, ſed quod in "ſeipſo velut pro iis invenit, opponit. Ex. *gratiâ:* Hæc Auguſtinus. Dato ergo (quod naturali ratione demonſtrari nequit) hoc primo fidei noſtræ principio, Scripturas divinitus nobis traditas, nihil impedit quo minus Theologia ſuas habeat certiſſimas concluſiones, quàm reliquæ ſcientiæ, quæ tamen tanti non ubique erunt, aut tam claræ ut lites per eas ſolas abſque vivo arbitro dirimantur, magis quam per Leges aut decreta humana cauſæ civiles abſque Legis interprete,

Senec. Ep. 66.

Auguſtin. Epiſt. 7. Marcellino, Vide etiam lib. in Gen. ca. 18. & Confeſſ. lib. 12. ca. 23.

interprete, aut Ministro seu judice. Præterea neq; Judici neq; Philosopho id unum aut primum est intuendum in Lege, viz. quis fortè sit Legis sensus; sed quæ, qualisque obligatio jure ei subjectis, eidem parendi; ne homines naturâ recte institutâ sociabiles, vernissima Libertatis imagine delusi ferarum immanium ritu à se invicem dissipentur: dum sibi quisque sapit, credit, judicat. Nam ut optimè Seldenus qui prudenter hanc materiam explicat, *Ratio quatenus talis solùm, & simplex, suadet & demonstrat, non jubet, aut ad officium, nisi superioris eo qui jubetur accedat simul autoritas, obligat. Quod legis datæ proprium est.* Paris autem ordinis jurisque, & sibi ipsi Dictatores aut Consules, Obligationem universam à seipsis non fictam recusantes, qui fuerint, nemo non videt quantum in præcipitium omnem agunt humanam & Ecclesiasticam societatem. Nulli itaque turpius contra rationem offendunt quam Sociniani, qui videri volunt unicum Rationis numen venerari, & tam divina quàm humana cubito suæ Rationis pariter metienda docent. Unde vanissimus istius Gregis Anonymus Disquisitor non veretur contra manifestissimam experientiam Rationi, vel potius dementiæ suæ sic adolere: "Ubi sana ratio judicat, ibi id metuendum non est. "Vide Philosophiam, vide omnes artes reliquas in "illis omnium confessione Ratio judicat. Et an "non est certitudo aliqua? An nondum certus es, "An tres Anguli sunt æquales duobus rectis? Sic iste. Annon potius certum est ipsum Doctorem fædissimâ ἀβλεψίᾳ in prima disputandi principia peccare, qui argumento à sensibus ducto demonstrare tentat Rationis certitudinem? Sensus ipsi docent, facto examine, Tres Angulos duobus Rectis æquales esse? Quænam vero tandem diligentia vel acumen demonstrabit sensibus quemvis fidei articulum? Dein,

De Jure Naturali & Gent. lib. 1. ca. 7.

Brevis disquisitio An & Quomodo vulgo dicti Evangelici, &c.

Dein, quis nisi rationis inops Rationem naturalem rebus supernaturalibus dominari permittet? Quis demum nisi summè delirus (quemadmodum fastuosi propriæ rationis Idololatræ hujusmodi) ex manifestò falsis dubium comprobare admittitur? De Mathematicis quidem concedimus Evidentiam & Certitudinem dari, sed quæ tandem in sensus potius, quam rationem refunduntur. In proprie dictâ autem Philosophiâ vel Physicâ vel Ethicâ, Quis unquam non vidit innumeras & atroces dissidentias? Credo non fidei, non Authoritate illusi, sed perspicacissimâ, quam habuerint, ratione ducti antiqui Philosophi in trecentas opiniones de natura Dei scissi sunt. Siqua autem in reliquis concordia servetur, sanè ea minimè debetur Rationis faci prælucenti, sed tyrannidi magni alicujus Philosophi (qualis Aristoteles) qui in Scholis longè lateque imperitavit, & Rationes, Sequacium suo dictamini, potiùs quam suam Philosophiam rationis Regulæ inservire compulit.

Quid autem opus est ut graviore ictu hæc confodiatur opinio, quam ab ipso Authore infligitur, hoc suo exemplo De Animæ statu post mortem: cujus soporem nescio quem probaturus, totâ nocte ad diem usque novissimum, ita (pexâ proculdubio prius Rationis suæ Philosophicæ barbâ promissâ) orditur: *Homo* Id. ca. 8. *mortuus sentire nequit adeoque nec voluptate fruitur, nec dolorem patitur. Credunt ergo reipsa mortuos vivere. Hoc autem fundamentum est non solùm Purgatorii, sed & nefandæ illius Idololatriæ quæ in Sanctorum demortuorum invocatione apud Pontificios cernitur. Tolle istud, & istis nullus locus est.* Hæc ille. Tolle verò potius ignavum hoc pecus, quod solum cum suis sociis Animal rationale videri cupit, & veritas multò clarius elucescet. Quis autem ante Hunc nescivit? Quis nesciet post eum, Totum & Partes formali ratione distingui? Partes au-

tem hominis etiam Essentiales realiter ita diversas esse, ut à se invicem divelli, & separari possint: & propterea posse hominem salvâ Animâ, & corpore non protinus dissoluto, interire; & Animam homine extincto vivere posse? Gratulandum ergò modestissimo huic Philosopho, qui non dixerit, *Tolle Deum*, & Idololatriæ non est metuendum. Sed rectius multo quis cum Solomone, Tolle stultum, & jurgia conquiescant.

Proverb.

Hoc homine multò modestiùs subtiliusque in hac quæstione se gessit Stegmanus, qui ratione item omnia expendenda & determinanda putat: Et optimè quidem, si Ratio sensu communissimo sumatur pro Optimo medio, seu argumento veritatem eruendi, & confirmandi; & Partibus Litigantibus, quod rectum justumque est, distribuendi: Hoc namque modo Sapientium consulta rectè Ratio dicantur, Difficile tamen fuerit futilius quid in hac causa prodere, aut minus dubio solvendo deserviens, quàm quod iste cum suis tradit, viz. *Suum cuique, si sanâ tamen ratione utatur, sufficere judicium: nimirum quia non aliis sed sibi ipsi quisque judicet.* Quam miserè verò est hoc à Quæstione & ab Instituto devagari? Nequaquam enim quæritur, quid homini isti faciendum, qui à seipso diffidet, pugnantemque in animo patitur sententiam. Tali enim proculdubio suum, si sanâ ratione utatur, sufficiat judicium: Sed ubi dissensio cum aliis fit. An etiam isti sopiendæ liti sat erit suum cujusque judicium? Quis hæc non rideat? Quod, si verò quis omnia optimè consistere posse insperso isto condimento, [*Si sana tamen ratione utatur*] Primo, quæro, Quâ demonstratione patebit sanâ hunc ratione uti præ Illo? An non ratione? de qua adhuc dubitari possit, An sana sit? Dein, Posito quod quis sanâ utatur ratione, consequens erit summo jure deberi ipsi Judicare

Stegmanus, lib. 1. ca. 2.

dicare de aliis non minus quam de se, licet non ex autoritate, ex meritis. Et si verum sit (quod non rejicio) quod alibi idem scribit, *Utrum aliquid à Spiritu Sancto profectum sit necne, non nisi rationis sanæ judicio constare debet:* Utrum quid à Ratione recta proficiscatur, Ratione in infinitum probandum est plerunque: nisi rationes utrobique factæ, Judicis alicujus staterâ librentur, & determinentur. Nec valet quod infra subsidii gratiâ addit, *Se agere de sanâ ratione, eamque à carnalibus illis concupiscentiis distinguere.* Quæ enim proximo capite disputat contra Rationis errorem, non solùm Hæritico isti fundamento nituntur, negativo nimirum, Quod lapsu Adami nihil mali posteris obtigit, (in quo mihi insanire cum suâ Ratione videtur) sed contra ipsam experientiam aperte pugnat. An quid nobis omnibus exploratius sit quam labi homines, etiam cordatos, etiam pios, & ratione haud vulgari præditos? Contra frequentissimam autem experientiam Argutuli qui videri, vel esse velint, mihi quantovis acumine tueantur provinciam stupidi habentur, vel Pessimi. Porrò, quæ Capite ultimo doctè & breviter quidem scribuntur, De Abusu Rationis, potius Logicæ quàm Theologicæ considerationis sunt: Nec inficias ivero pulchras observationes & Regulas hominibus porrigi: sed vix dimidium facti præstitit, quum potius (quod credo superare humanas vires & ingenium) ut sinceram dent homines operam rectè & simpliciter uti Legibus loquendi & Ratiocinandi, instituere, & simul quasi catenis ineluctabilibus devincire oporteret, quoniam quod Author Imperfecti operis in Matthæum optimè tradit, sœpissimè fit, ut *Error non generet peccata, sed peccata generent errorem.*

Idem cap. 3. pag. 80.

Cap. 5.

Cap. 6. & 7.

Cap. 8.

Hom 19. in Matthæum.

Quid autem in re tam clara certaque multis est opus verbis? Ratione omnia tam humana quàm

divina trutinanda, & dijudicanda, neutiquam negandum. Quali autem? Et Cujus, dignissimum est consideratione. Certè enim ut non purè Naturali in Divinis; ita nec privati adversus publicam, nec Unius adversus Plures. Hæc enim contra ipsam rationem pugnant. Et mihi quidem in re dubiâ ex se summæ rationis esse Aliorum plurium, doctiorum, sanctiorumque judicio, potius quam proprio palmam tribuere videtur. Præterea qui Fausti Socini Viri proculdubio (nisi ejus nos mendacissimè fallant Scripta) tam ingenio quàm æquissimis & placidissimis moribus præclari, vel unas evolverit Epistolas, videbit, ridebitque gloriosum Officiosæ Rationis successum in veritate eruendâ, & coadunandis hominum animis in fide Christianâ, sive vera, sive falsa sit illa. Et sane puro ab amore, ira, invidia, & cæteris sequioribus affectibus oculo, siquis novos hos magistros intueatur penitius, non latebit ars artium Socinianarum quæ in hoc præcipue insignis est, ut vafritie, & subtili Priorum, Posteriorum, & mediorum discerptione, vel interpunctione in Sacro textu, allegata eludant: sed cum propria causa defendenda sit,
Jud. 1. fiunt instar abrasi Sampsonis, & recedit ab iis fortitudo, & deficiunt, fiuntque sicut cæteri homines. Sit exemplorum multorum unum illud. Apud Ecclesiam usquequaque Catholicam invaluit mos (uti hactenus receptum est) Verbo Divino nixus, ne cuilibet fas sit Ministerii Evangelici munus, nisi à Legitimis potestatibus Ecclesiasticis facultate prius instructo, suscipiat: Poterit ne quidquam frigidius, aut Lacertoso disputatore indignius dici in contrarium, quàm, *Non video quare non liceat homini in Scripturis perito, & probo illud officium assumere?* scil. abrumpenda constans, & perpetua Ecclesiæ traditio, & Scripturæ vox neganda: quia non vident, non audiunt homines hi.

hi. Hujusmodi autem negativæ argutiæ quanti fuerunt ponderis apud Curcellæum in Præfatione ad Episcopium, & Episcopium ipsum de eâdem re disputantem, obscurum non est. Plus ergò Lectoribus se conciliasse animo demisso, & saltem simulante egregiam humilitatem profecisse arbitror Colubrum istum, agri Dominici populatorem, quam Rationum momentis: Amamus enim, naturâ impellente, liberam potius quàm vinctam captivamque Rationem summâ licet illud ratione fiat: & malumus eligere falsum, vel saltem dubium; quàm cogi ad verum. Nec minus arma argumentorum, quàm Ferrorum reformidamus. Et Plurima quæ admitteremus simpliciter proposita, rejicimus, quia rationum vi stipata, viam potius, ut aiunt, facere videantur, quam invenire, aut quærere. Sed aliûs sunt loci hæc.

Non ignoro quid quoque in me & potest, & solet objici, viz. Dissidia non minus vexare istos qui tantopere Veteres venditant, appellantque: Quod ex parte quidem esse verum diffiteri nequeam: ex toto autem, non. Quoniam in veritate detegendâ longè major fit progressus hâc, quàm istâ methodo; quæ ultimum terminum Controversiarum statuit Propriam cujusque Rationem: de quâ quum meritò dubitari possit, quasi Naturæ ipsius ductu ad tertium aliquem properare consueverunt homines: qui si dirimere non possit Litem, ad Publicum Judicem, Ecclesiam nim. provocatur: Ecclesiæ autem si de Ratione ipsa, de Scripturis, de interpretationeque earum discrepent; Ad Remotiores confugere ipsa suadet Ratio. Non quod progressus sit infinitus, vel in Infallibili tandem consistendum; sed æquissimo, & Optimo Judice, quem nos hîc statuimus Lumen pondusque antiquioris & constantioris Traditionis.

Caput quintum.

Quatuor alii modi Controversias definiendi recensentur & refelluntur.

TErtius autem modus omne humile, humanúmque despectans, Sp. Sanctum constituit unicum controversiarum idoneum Judicem. Spiritualia enim, aiunt à Spiritualibus discernuntur. Et Scripturæ optimè omnium à Spiritu qui iis suggerendis, & condendis princeps erat, explicantur. Verissima hæc esse neget qui volet, qui audet: ego is non sum, Quid verò iis, qui his abutuntur, commodi hinc nascatur, aut damni aliis quibus obstrepunt inani hoc verborum tinnitu, laborat mihi adspectus. *Convenit enim* (inquit Bellarminus) *inter nos & Protestantes non, utrum Spiritus Sanctus sit maxime Idoneus Judex, seu interpres suæ mentis in Scripturis traditæ, sed penes quos maxime sit ille, deque ejus subjecto.* Nisi ergo quis se vel hominum cœtum illum cujus sit, Ipse membrum, uberiore gratiâ Spiritûs divini præditum esse ostenderit quàm cæteri, futilissima erit jactantia illa de Spiritûs Sancti sapientia, aut authoritate quam non habet; vel saltem habere se, nescit aliis probare dubitantibus.

Bellarminus De Verbo Dei non scripto.

Sunt ergo qui paulo speciosiùs stylum, non sententiam temperantes suam, diverticulum excogitârunt aliud. Aiunt enim Spiritum Sanctum Judicem esse, sed in Scripturis, de Scripturis. Quo effugio nescio an viri docti indoctius quid invenerunt. Quæro enim, Quomodo Spiritus in Scripturis delitescere dicatur. Nunquid aliter quam Causa in Effectu cernitur,

nitur, aut Artifex in opere? Hoc modo autem non minus Reprobis, & induratæ pravitatis mentibus, quam probis sanctisve adest. Eædem enim omnibus Scripturæ, Idemque in iis Spiritus. Verum dices, electis & piis copiosiorem luminis & gratiæ opem affert quam Improbis. Quis negat? Quomodo autem, Illis magis quam istis opitulatur? An ut in Scripturis, an ut in utentibus Bibliis? Certe posterius. Quid novi ergo nova verborum ambages apportat, quod re ipsâ altera sententia non haberet? Est tamen hic non omittendum non omnes qui Spiritu Dei aguntur protinus devenire idoneos interpretes Scripturarum. Novimus enim juxta Theologos homines bifariam à Spiritu Sancto instrui, Donis, & Gratiis, Gratiis quidem Deo videmur acceptiores: Donis autem Ecclesiæ utiliores. Judicare autem de Scripturis easve interpretari feliciter, ad Dona pertinere videtur. Unde non raró accidat ut Improbi iis magis polleant quàm Sancti: sed his non est immorandum.

His ergo Quinta ratio succedat, viz. Analogia fidei. Est autem Analogia fidei (juxta Doctiss. Whittakerum) *nihil aliud quam certa, constans, & perpetua sententia Scripturæ in apertis & minimè obscuris Scripturæ locis.* Perkinsio autem, est, *Summa Religionis collecta de manifestioribus Scripturæ locis, & minime obscuris.* Mihi autem fateor subrepere solere dubium; Unde nata aut coagmentata illa fidei Analogia? Ecquid Scripturæ secundùm eam compositæ sunt, vel vice versâ, Hæc è Scripturis petita? Quod posterius verum cum sit, difficile statuere hanc, Illis magis amplam vel perspicuam Regulam esse: quin etiam compendii rationem habens, maxima ex parte obscurior erit; adeo ut Scripturæ Illi, quàm Illa Scripturis, tam Rectitudine, quàm perspicuitate præcellere videantur.

Whittaker de scrip. Quæst. 5. cap. 9

Perkins Cathol. Reformatus.

deantur. Cæterum Caput tandem proferat diffamata illa Analogia fidei : vel ſi non adſpectibus, captibus ſaltem noſtris ſe proponat. Me hebetem quod attinet ; libenter agnoſco me nullam aliam reperiſſe præter ipſum Dei verbùm , aut Symbola Eccleſiæ Catholicæ, quorum longè auguſtiſſimum, Apoſtolorum dictum, Puritani noſtri, niſi prius repurgatum deletili ſuæ reformationis Spongiâ, non recipiunt : Reliquas autem Analogias in cenſum Entium Rationis referendas judico, vel Lesbias Regulas, vel denique Sophiſtarum aſyla. Quid enim clarius eſt quàm ſingulas Eccleſias, ne dicam ſingulas perſonas, quæ ſapere ultra ſobrietatem didicerunt ; pro Climatum & ingeniorum varietate, varias quoque ſibi confinxiſſe fidei Analogias, ad hoc tantummodo utiles, ut mentes mordicus adhærentium ejuſmodi placitis, in iis fortius retinendis dirigantur ; ad litigia autem componenda, aut controverſias ſolvendas planè inidoneas.

Sextus ergo modus inventus eſt,qui humanum laudat ingenium, & prudentiam, quibus diligenter expenduntur & excutiuntur ſingulæ divinæ Legis circumſtantiæ, ſcil. Perſonarum, Locorum, Phraſium, Idiomatum, Figurarum perſpectio. Quæ omnia attentè & fideliter conſideraſſe in enucleandis, Scripturis ingens proculdubio affert commodum ; & tam ab Antiquis quàm Recentioribus doctoribus imprimis

Caſſand. Deſenſ. Lib. de Officio Pii Viri in, &c.

Laudatur. *Eſt enim* (ut Caſſandri utar verbis) *hæc ratio interpretandi Scripturas longè optima , atque certiſſima quam etiam Priſcos Patres commendâſſe & uſurpaſſe adverſus Hæriticos , imprimis Hilarium cognovimus: ſed qnum eâ ipſa ratione quâ ſunt ſubtilitate & pertinaciâ, Hæretici utantur , ſit non raro ut ad finiendas controverſias hæc ratio minus valeat.* Sed & ipſi Dallæo hæc via minus poſſit placere, cui diſplicet Patres hoc munere

fungi

fungi (ut infra dicemus) Quia sollicitiùs exercentur in expiscanda Scripturarum mente, quod Judicem minimè deceat: & illud mihi solet gravissimam molestiam dare in hàc causâ: Quod vix, aut ne vix quidem ratio probabilis assignari possit ob quam in collatione textuum diversorum, Hic ab illo, potius quàm Ille ab hoc dijudicetur: aut verba Christi ex. gr. potius ad verba Apostoli examinentur, quàm è contra. Litigiosis enim (quibus retundendis summus usus fuerit Judicis Controversiarum) non constabit textum quem nos celebramus, allegamusque manifestiorem, talem revera esse. In dubiis verò sine Adversario, multum proficiant cordati institutâ variorum textuum collatione.

Caput Sextum.

Septimus proponitur modus, & suadetur rationibus septem.

EXclusis superioribus viis, superest altera, vel potius modus alius loquendi à Primo, (quod enim ad octavum modum attinet, qui Papam, vel Papalem Concionem ad summum hoc culmen evehit, mihi eodem Loco habetur, & pondere quo Octavus sapientium Græciæ) qui Traditiones perpetuas commendavit, vel (quod perinde mihi est) Veterum Suffragium, & Testimonium. In hoc autem ab istâ potissimum diffidemus opinione, quòd neque tam facilis, neque tam manifesta, quam sunt quæ sensibus occurrere apta sunt, traditio illa reperiatur, neque sanè proprii Judicis subeat rationem, sed eo sensu judicant Veteres (Metonymicè scil.) quo, quod Effectus, Causæ attribuitur. Faciunt enim Patres & Traditiones Ecclesiæ Catholicæ ut nos rectè de capitulis inter Christianos controversis ex Regulâ Veritatis, Verbo Divino, judicemus. Faciunt item ut Ecclesiæ Primores suis Fidelibus Filiisque Leges tradant & documenta Scripturis & Primæ Veritati maximè conformia. Faciunt denique ut Creperi loci Sacræ Scripturæ mentibus hominum incompositis securiùs hauriantur, & credantur, ratione hâc septemplici.

Prima illa est quæ Platonem persuasit, ut multò honestius sentiret de Priscis Heroibus quàm sequioribus viris, viz. Quòd multò quam nos Deo viciniores, & Christo conjunctiores fuerunt. Apostoli enim Christo,

Christo, Apostolici viri, illis; His autem sequentes Doctores præsentes cùm fuerint, nec dirupta catena sacrorum Testium veritatis, multum lucis & fiduciæ innascitur nobis de Doctrinæ Christianæ integritate. Sed primis Doctoribus præcipuus honor debetur, qui propiùs ab ipso Fonte Christo absfuerunt: quod etiam Cassander (ubi suprà) notavit, dicens. *Quia eorum quæ literis prodita sunt sensus & intelligentia primis illis discipulis & Apostolorum Auditoribus manifestissima & notissima sunt; ut quorum explicationem ab ipsis Apostolis Evangelii præconibus acceperunt*. Neque aliter sensit doctiss. Whitakerus. *Plus tribuendum est*, (inquit) *si autoritatem quæris, Ecclesia primitivæ, quàm subsequentium sæculorum Ecclesiis, quandoquidem quò erant Apostolis propiores, eò longiùs ab erroribus aberant*. Et quantum ad Veteris Testamenti explicationem, mirificè hanc sententiam confirmat Helvicus his verbis, quæ paucis immutatis, novum pariter complectantur. *Occurrunt*, inquit, *passim in Hebrææ Scriptura loca difficiliora, vel quoad constructionem, vel quoad vocabula insueta; quæ, quia lingua nulli populo amplius est vernacula, non perinde obvia sunt: unde diligentem investigationem & meditationem requirunt. Magnum hic momentum obtinent Veteres Interpretationes, quas, cum propiores sunt temporibus, ubi adhuc in vulgato usu lingua floruit, verisimilius est propiùs scopum tangere, saltem in aliquibus, si non in omnibus.*

Cassand. ibid.

Whitaker, Duplic. p. 187

Helvicus de Chaldaicis Bibliorum Paraphrasibus, cap. 10.

Secundò, Vetustiores optimè nostris in dissidiis testes adducuntur, quippe, quod in docendo, probando, & judicando præcipuum est, ab affectibus qui præsentes ævi Doctores & Judices vitiare, & à recto avocare solent partium studio deditos, fuerunt alienissimi: Secundum Aristotelicum illud, Πιςότατοι οἱ παλαιοὶ ἀδιάφθοροι γάρ.

Arist. 1. Rhetor. cap. 16. 45.

Tertiò multum faciunt ad veritatem vitiis homi-

num demersam in puteo evocandam & suscitandam, recta puraque intentio, pietas eximia, prudensque Zelus in honorem Dei, & Religionis incolumitatem; quæ in Patribus illustrissima extiterunt: Basil.Ma. De Spi.Sa.cap.22. Ὁ γὰρ σαρκικὸς ἄνθρωπος ἀγύμναστον ἔχων πρὸς θεωρίαν τὸν νοῦν, ἀδυνατεῖ πρὸς τὸ πνευματικὸν φῶς τῆς ἀληθείας ἀναβλέψαι. Homo carnalis inexercitatos habens sensus in contemplatione, spiritualis veritatis lumen intueri nequit, (inquit Basilius magnus.) Chrysostomus item non uno in loco, Chrysostom. Hom.in Gen & Hom.1. in Joann. Οὐδὲν οὕτως ἐπάγει πρὸς τὴν τῆς ἀληθείας ὁδὸν ὡς πολιτείας ἀκρίβεια. h. e. *Nihil pariter nos in veritatem ducit atque vitæ probitas.* Veteres autem Patres nobis Recentioribus non minus pietate & ardente in Deum Zelo, quàm tempore præivisse, perspicuum erit cuivis, qui quos labores, quæ jejunia, quasque vigilias, & exilia fortiter amore Dei & Religionis causâ pertulerunt, spectaverit: dum quidam primipilares novæ Religionis assertores nimis dediti ventri, palato, otio, inertiæ, & fortunis pinguibus, digna sanè Ecclesia invisibili, invisibili pietate, contra Veterum visendam sanctitatem turgescunt. Præterea, quæ dira confligia Christianos hodie exercent, & quanto in discrimine veritas sit, nemo non videt.

Quarto, non tam vehemens altercandi prurigo Veteres incessit, qualis hodie nos miserandum in modum irritat, & in perniciem veritatis divexat. Utinam (si Deo ita videretur) plures non aleret Ecclesia qui Ludov. Vives de Art.Car. Ludovici Vivis sodalem imitarentur, statuentem, *priusquam nihil novi aut mirandi ederet, editurum se quæ pro comperto haberet falsissima.* Quis etiam non horrescat referens aut legens nostri sæculi perditissimos mores apud Cornelium Jansenium: Jansen. lib.2. proœm. S. August. *Eò impudentiæ quidam prosilierant, ut quum religione quidam ductus non auderet aliquid in alterius Gratiam facere, quod sciebat in principia morum impingere, & nullis autoribus tanquam probabile assertum*

assertum esse, respondit ei Magister recenti Theologia expolitus, Aude tantum, Nos efficiemus probabile.

Quintò, Sancti Patres Scripturis divinis non minus, (Quid dico? Minus?) imò multò magis quàm sumus nos eruditi, & sacro Codice exercitati fuerunt: & ut bene adnotavit Sylbergius de Justino Martyre, *Admirabili quadam in Divinis Scripturis allegandis promptitudine fuerunt, & interpretandi dexteritate.* Siquos ergo Modernorum eximia in Sacræ Scripturâ peritia huic muneri idoneos reddat, multò magis Patres eodem titulo id sibi vendicent. Sylberg. Præfat. in Justin. Mart.

Sexta itidem ratio non parum Veteribus debitam in hac materia autoritatem asserit. Nam quid vel Primævos vel Posteros commendet magis tanto Muneri quam uberrimus Sacræ Spiritûs ros mentibus ipsorum insidens irrigansque? Hoc autem egregio privilegio inclaruisse Veteres præ Recentibus, certum est; ipso Dallæo ultro fatente ad finem libri Secundi, ubi hos, Pygmæos, ad Illos comparatos, esse affirmat. Quo etiam pertinent quæ haud obscurus Theologus Hyperius habet; de Sermonibus Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, item Chrysostomi, Basilii, Nazienzeni, &c. verba faciens. *Cui dubium esse possit in Prophetis & Apostolis in plerisque vetustis Patribus tum eruditionem ampliorem, tum studium procurandæ salutis hominum ardentius, denique & uberiorem Spiritûs Sancti potentiam eluxisse, quàm in ullis nostræ ætatis hominibus, ideoque non immeritò illos ut fidelissimos præceptores præ omnibus audiendos atque imitatione revera dignissimos?* Hyperius Præfat. Method. Concion.

Postremò, Eò potissimum contendisse totos Veterum labores fere constat, ut populo Christiano, cui Scripturas jecerant fidei fundamentum, clarius refulgeat sanctiusque innotescat quid mentis Spiritui Sancto esset iis literis humano generi concreditis.

Hæreticis enim cunctis abutentibus autoritate Scripturarum, ad propria somnia confirmanda, (ut hodie quoque fit) graviter docteque sudârunt Patres, ut fraudes eorum pateant, & impia sophismata circa textum sacrum ad authores rejiciantur mendaciorum. Adeo falsa & ridicula est eorum suspicio & calumnia, qui propterea Veteres in exilium relegent, ut sincerius & splendidius Dei verbum regnet.

Septemplici prædicto modo divinam eruendi sententiam è Scripturis, adjici & alius poterit, Ecclesiæ Catholicæ non inauditus, licet minus probatus: qui extraordinarium de ipso Deo immediatius expetat judicium, & suspiciones de Recta Fide moribusque puris auferat, miraculis editis: quomodo Nicephorus & Evagrius prodiderunt, (quam certa Fide viderint alii) in Concilio Chalcedonensi, quum multum, diuque desudaretur & dissideretur, inter Catholicos, & Dioscorum Eutechetemque de Naturis duabus Christi, controversiam adductam tandem esse positamque ad pedes Sanctæ Euphemiæ, in templo Ei dicato: precibus utrinque ad Deum sublatis. Mane autem Catholici in templum regressi, suas theses in manu Virginis, Hæreticorum autem ad pedes jacentes aspiciunt, manifesto (uti putabant) veritatis augurio. Meminit etiam idem Nicephorus, (memorem autem esse oportet lectorem ne securâ sit fide erga Nicephorum) ut Catholicus quidam, cæteris mediis frustra adhibitis, adversarium Hæreticum provocaret in ignem procedere cum ipso, in Veræ fidei demonstrationem: Quod testatur quoque Bonaventura de Francisco de Assisiis, qui intrepidè contra Sultanum ejusque vates pro Christo disputans, paratum se esse pronunciavit in ignem ingredi pro veritate signanda. Ritualistæ quoque ferunt, quum intensissimè litigaretur intra dissidentes Ecclesias,

Niceph. lib. 15. ca. 44, 15. Evagrius, lib. 2. c. 3.

Niceph. lib. 15. cap. 23.

Bonavent. Legenda Sancti Francisci.

clesias,

clesias, Utrum Ambrosianum, an Gregorianum Officium in Ecclesia obtineret, ad Sanctum Petrum rixam fuisse delatam, positumque utrumque supra Altari ejus; manéque Gregorianum in plures partes discerptum, per Ecclesiæ aream hinc inde spargi; Ambrosianum autem integrum & illæsum permansisse: quod equidem displicentiæ Divini Numinis rudiores oraculorum interpretes statim pronunciarent argumentum fuisse: Acutissimi vero Papalis nominis & Potestatis Oedipi facilè inde signum elicuerunt Approbationis Gregoriani Officii, & quod per universam Christi Ecclesiam longè latéque propagari oportebat. Sed de hoc nos nihil amplius impræsentiarum.

Illam tamen contentionem & modum Litis definiendæ, longè celeberrimum hic memorasse non erit lectori molestum, ex Roderico de Rebus Hispaniæ, cap.41. apud Josephum Vicecomitem. "Cum Sancius Rex Arragoniæ nihil non moliretur, ut Ecclesiæ Romanæ, (in qua religionis domicilium Deus locarat) statos ritus, & solennes cæremonias Toletum reciperet, omnes autem reclamarent, & nollent mores avitos mutare, ad singulare certamen omnium consensu conspirante, res delata est, ut qui victor esset, is ceremonias suas, & ritus salvandos declarasse censeretur: cumque victoriam reportasset miles qui pro Gotthicis decertaverat, & Rex nollet acquiescere, rursus consentientibus utrinque statutum, ut duobus Missalibus, alteri Gregoriano, alteri Gotthico, ignis admoveretur; & qui ex iis flammam concepisset, is nemine repugnante servaretur: prosiliit autem Codex Gotthicus (rem miram dictu) illæsus omnino, & ab igne non passus; cùm statim omnium in oculis flammis voracibus Gregorianus combustus esset; "sicque

Joseph. Vicecom. de Missæ Ritibus.

"sicque persuasum Regi, ut in aliquot Ecclesiis ma-
"neret ritus ille Gothicus, cui non potuit dissuaderi
"Gregoriani Officii introductio. Quam æquus & modestus Arbiter sit Romanus Pontifex, qui neque mediis ordinariis, neque extraordinariis victus cedere novit, hæc ut infinita alia docent. Docent etiam non unum illum Infallibilem Judicem Romanum, qualiscunque tandem ille sit, simpliciter esse necessarium ad veritatem eruendam, aut Ecclesiæ diffidentis membra in pace componenda: Gladio enim, ut vidimus, decerni possint controversiæ: vel ut acutus quidam Vir ante me scripsit, Aleæ jactu. Infallibilem quidem & adspectabilem judicem nullis non ardentissimis votis expetendum concedimus, simpliciter autem necessarium esse pernegamus: Non enim omnia quæ, nobis æstimatoribus, perutilia videntur futura, Divinam Providentiam statim de facto concessisse credendum.

Caput

Caput ſeptimum.

Prælibatum Primum adverſus D. Dallæum quo oſtenditur ſententia ejus contradicere pleno omnium tam Judæorum, quàm Gentium conſenſui.

HIs ita diſputatis de inſtituto D. Dallæi, de neceſſitate tollendi (quantum fieri poſſit) controverſias; de natura legis, ratione Judicis, variantibus hominum ſententiis, hac in cauſa, denique de beneficiis promanantibus ex Veterum ſuffragiis; ordo inſtituti monet ut propius Dallæana ſententia examinetur, quod his fiat prælibatis.

Primum autem hujuſmodi ſit: Diſputationes, quas varias, acres, & eruditas contexuit adverſus Veteres, nihilo mitius leviuſve omnia hominum monumenta, & prophanas in ſuo genere hiſtorias, ſeu Traditiones, quam Eccleſiaſticas, & maximè omnium Ipſas Scripturas appetere: quod ſingulari opera mox oſtendetur. Si enim Veterum Sententiæ tanta laborent obſcuritate, ut eas perdiſcere vel difficile, vel impoſſibile videatur, multò à communi perceptione retruſiores eſſe Scripturæ voces, æquo earum æſtimatori poſthac patebit: Si pauca Veteres, pauciora Scripturæ: Si adverſantia Veteres, re quidem non pugnantia, ſpecie tamen (quæ non minus animum perplexum ſollicitant ſuſpenduntque) plurima continet, & ſic fere de cæteris: de quibus mox dicendum. Interea temporis non nihil erit quod impotentia Patromaſtigis, dum (ſive ſciverit, ſive neſciat) omnia perdere minitetur, parum aut nihil cuipiam arte nocendi profeciſſe exitu monſtrabitur ipſo.

Seneca Epist. 118.

Multùm, inquit Seneca, *dare solemus præsumptioni omnium hominum. Apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri: Deos esse inter alia sic colligimus, quòd omnibus opinio de iis insita est.* Item Cicero. *Omni autem in re consensio omnium gentium Lex naturæ putanda est.*

Cicero Tuscul. Q. li. 1.

Quid his Dallæus referat? Duo proculdubio illa, quibus deleret omnem Veterum authoritatem: Primùm, Omnium Gentium consensionem nullo modo obtineri posse, aut cognosci: Alterum, si fortè ad nos perveniret istiusmodi notitia, exiguo, vel nullo usui nobis esse dirigendis, aut instituendis: quia humanam non excedens sortem, Infallibilis esse non possit: Normam autem credendi, vivendique aliam quam infallibilis rectitudinis admittere, est cum authoritate errare. Et tamen veluti Alexander ab Alexandro, cum aliis, scriptum reliquit, "Singulæ "fere gentes primùm omnium Legibus naturâ magi- "strâ notis & consensu Gentium roboratis, usæ sunt "absque literis. Et postquam literis mandarent pub- "lica jura novam non acquisiverunt autoritatem, aut "pondus, sed Veteri ratione valuerunt. Leges enim "Scriptas primi proposuere Zaphyrii, Lacedæmonii "verò non jure scripto, sed moribus tantùm usu an- "norum corroboratis, pro Lege usi sunt: Ideo Ly- "curgus Leges scriptas nullas Spartanis dedit. Sed "omnium consensu mores, tanquam si Lex edita fu- "isset, experiendo observârunt. Indi quoque lite- "ras non noverunt, sed æquissimos mores Legis vice "habuerunt. Hique, &c. Sic ille. Denique cuique bene institutæ Reipub. & tam Græcis quam Romanis commune fuisse Legibus & consuetudinibus ineditis regi, scribit Ulpianus. Huc faciunt illa Ciceronis: *Deinceps in lege est ut de ritibus Patriis colantur optimi: de quo cùm consulerent Athenienses Apollinem Pythium, quas potissimum religiones tenerent: oraculum editum*

Alexander ab Alexandro, lib. 6. cap. 10.

Lib. 6. D. de Just. & jure.

Cicero de Legibus.

tum est, eas quæ essent in more Majorum: quò cum iterum venissent majorumque morem dixissent sæpe esse mutatum, quæsivissentque, Quem morem potissimùm sequerentur, è variis: respondit, optimum. Et profectò ita est, ut id habendum sit antiquissimum, & Deo proximum, quod sit optimum. Quæ viri Gravissimi verba videantur rem non minus incertam reliquisse quam cæpta est. Siquis enim quid sit optimum bene perceperit, sanè ipsi opus non est ut superiorum & præteritorum perscrutatione se fatiget: De Optimo autem dubitanti Antiquitas bene lumen possit præferre.

Quod si religionis Judæorum spectetur conditio, non inficiandum post Mosem severiùs astringi eos scriptis Traditionibus, quum prius vel perpauca, vel nulla literis consignata essent. Nihilo tamen minus locus Veterum Traditionibus non inhonestus servabatur, tum supplendo omissa Legis, tum obscura & dubia illustrando. Nam & hoc Calvinus ipse nobis largitur dicens, "Sed quum Judæi tam multa habuerunt ex Patrum Traditionibus, nihil absurdi esse "video, si dicamus Judam retulisse quod jam à mul- "tis sæculis fuerat per manus traditum. Scio qui- "dem multas ineptias hoc titulo receptas fuisse, "quemadmodum hodie Papistæ quælibet insulsa Mo- "nachorum deliria in hoc catalogo recensent. Sed "hoc non obstat quin historias quasdam habuerint, "Scriptis non proditas. Calvinus hæc. Quid autem celeberrima Cabalæ doctrina aliud erat, quam Majorum dogmata quibuslibet non vulgata, cui tamen Temporis processu multa frivola & vana commixta fu isse nemini dubium est? "Judæorum Ca- "bala, inquit gravissimus Cassander, magis homi- "num vitio, ejus nomine ad ineptissima abutenti- "um, quàm sua ipsius natura & conditione malè "audit: quod idem & aliis præclaris rebus ut Ma-

Calvin. in Epist. Judæ.

Cassand. Operum, p. 844.

" thematicæ, Philosophiæ, Dialecticæ accidit. Nam
" ut Doctissimi viri autores sunt, vera Cabala nihil
" aliud est quam Doctrina viva voce tradita conti-
" nens certissimam Mysteriorum quorundam divinæ
" legis scriptorum interpretationem, quam oraculo
" divino Mosem suscepisse & deinceps selectis seni-
" oribus tradidisse, eoque modo ad Posteros propa-
" gatam existimant. Huic autem & Cunæus suffra-
" gatur, qui nihil aliud esse sentit Cabalam, quam
" Mysticum intellectum earum rerum quæ in sacris
" literis latent. Is intellectus cùm antea penes va-
" tes esset, sed non vulgandus mortalium sæculis,
" tandem divino munere Apostolis & Evangeliorum
" concessus Scriptoribus est. Quæ nisi vera esse de-
mus, quo pacto pleræque Sanctorum Scriptorum ci-
tationes in Novo Testamento ex Veteri petitæ fugi-
ant calumniam Judæorum, aut fidem confirment
Christianam? quum certissimum sit ab historico, seu
Literali sensu plurima loca in sensum Evangelii tra-
hi. Quid præterea Picus Mirandulanus, Reuchli-
nus, Paulus Fagius, & cæteri doctissimi Viri sense-
rint hâc de re, operosius referre juvet? Quid potius
non demiremur quorundam Recentiorum adversus
Papistas vehementiam, qui odio Romanarum Tradi-
tionum non imperciti, immeritò negant Judæis om-
nes saniores Traditiones Hebræorum; & præsertim
Henricum Hortingerum Hebraicarum Literarum
Professorum doctissimum Tiguri? qui disertè scribit.
*Aliam non fuisse Cabalam veram præter eam quæ Deus Ele-
ctis suis ubi, & quando voluit, revelavit.* Extant Ta-
bulæ Judæorum, visuntur Praxes tam antiquæ quàm
recentes contrarium testantes. Celeberrima nam-
que & notissima est historia de זקן ממרה Sene Rebelli
seu cervicoso illo, qui, quod privatas venditaret
Traditiones, sibique proprias contra perpetuas re-
ceptasque

Cunæus, lib. 3 Reipub. Jud. cap. 8.

Vide Sixtum Senens. Biblioth. lib. 2. pag. 59, 60.

Henricus Hortingerus Thesau. lib. 1. cap. 3. Sect. 5.

ceptasque totius Synedrii Judæorum; & dignitate & vitâ multatus est. Quibus præterea armis devicti, triumphatique sunt Samaritani à Judæis nisi Traditionibus altius repetitis? Delatâ enim acerbissimâ & gravissimâ contentione inter Hos & Illos de Templorum Antiquitate, & Sanctitate, ad Ptolomæum Regem Ægypti, Judicem; atque eâ Lege ut, qui causa caderent, capite plecterentur; Hierosolymitani Templi præstantiam Andronicus Judæus, Samaritani autem Jus divinum probandum sustinuerunt Sabbæus & Theodosius. Non autem Scripturis disputatio instituta est, sed Veterum monumentis, quibus causâ Judæorum vincente, Samaritani Doctores jussu Regis trucidati sunt; uti legere est apud Josephum De Antiquitate Jud. lib. 13. cap. 6. Anno item Domini 1127. (memorante Genebrardo) Sadducæorum Hæresis Judæos in Hispania degentes vehementer afflixit. Quidam enim Aben Altras librum composuit, quem inscripsit *Sepher Alprag Abbu*, quo Talmudem, Misna, & Reliquas Traditiones Majorum temnendas doceret; apud se autem Orthodoxam Synagogam esse. Contra hunc autem orsus Rabbi Abraham disputavit ex successione, Traditione, & Communione, quibus (missis Scripturis) fraudes ejus retexit, & restinxit furorem. Non me latet, neque puto dissimulandum, plurimos abusus, & vitia plurima quasi nubes tetras faciem Traditionum Judaicarum infuscasse. Scio etiam, quod solent objicere Adversarii, Dominum nostrum iis putidas Traditiones meritò exprobrasse in Evangelio. An non autem & Sadducæos pariter objurgavit qui Scripturis mordicùs inhærerent? Errârunt Pharisæi nimiùm Traditionibus addicti; Sadducæi autem, qui nihil præter puras putas Scripturas spirabant, in quantò atrociores hæreses inciderunt? Neque valebit quòd

Josephus Antiq. li. 13. c. 6.

Genebrardus lib. 4. Chrono.

docti quidam finxerunt De Sadducæorum errorum origine, putà, Quòd Pentateuchum duntaxat colerent. Scaliger enim, Cunæus, Spanhemius & alii viri docti tradunt eos integra Biblia recepisse, licet paulò iis divinior visus est Codex Mosaicus, quam reliqui Libri Sacri Canonis: quod etiam Judæi fere omnes hodie probant, creduntque.

Vide Selden. De Jure Nat. &c. lib. 1. c. 1.

Placet insuper viris nonnullis clarescentibus Hebraica doctrinâ, non solùm Mosaicis scriptis comprehensa omnia Judaicæ Religionis fuisse, verum ineditis eo tempore traditionibus: quarum partem tantùm aliquam delibatam à Mose & Literis mandatam credunt.

Vide Sixt. Senens. Bibl. pag. 122, 123.

Denique ne sine delectu Traditiones Judæorum recipiantur, consueverunt Docti certas statuere Temporum periodos, quibus puriores extiterint, & tandem vitia contraxerint: A Mose enim ad Ezram usque incorruptæ permanserunt: Ab Ezræ autem temporibus usque ad Christum variæ iis irrepserunt labeculæ: à Christo rursum in hunc diem in deterius perpetuò iverunt, pro modo scil. ampliore vel tenuiore quo Ecclesiam illam fovit & direxit Spiritus Dei. A Mose enim ad Ezram ubertim rigata est à S. Spiritu Vinea Domini; Vinea autem Domini, domus Israel: Parcius autem ab illo tempore ad natum Christum: nequaquam tamen penitus deseruit. A Christo autem ascenso ad nostra sæcula translatus est Spiritus à Mose in Joshuam, h. e. à Judæis in Jesum, seu Ecclesiam ejus, & Spiritu soporis & erroris acta illa Ecclesia, seu potius Synagoga. Unde Caninius. *A tempore*, inquit, *Christi Doctores Judæorum multa illicita in Lege relaxaverunt, & multa licita restrinxerunt; malè interpretantes Scripturas, ut habetur à Servatore*, Matth. 7. quem fere totidem verbis sequitur Grotius adversus Rivettum, vel Munsterum potius qui prior id notavit de Judæis.

Canin. in loca Novi Testam.

Hugo Grotius contra Anim. Rivetti, p. 42. Munster Præfat. in Biblia.

Caput

Caput octavum.

De Antiquis Traditionibus quid senserint quos Lutheranos & Calvinianos appellant.

QUi Reformatæ Theologiæ Doctores consuluerit de hac Controversiâ, multa in contrarias partes disputasse videbit pro diversa ratione subjecti seu Instituti. Ubi enim Scribunt adversus communem Reformationis hostem multis & magnificentissimis præconiis Scripturas celebrant: ad Cœlos (ut par est) extollunt: Sacrilegas omnes execrantur traditiones, & multa & dira objiciunt adversus Humana inventa, quo probroso titulo omnia solent siderare sive Apostolicæ sive Ecclesiasticæ dispositionis, in divinis Scripturis (ipsis judicibus) non comprehensa; Ubi verò causa vocat ut contra factiosos stylum stringant, qui nimiam vel majorem libertatem sibi arrogant, quam fert pax aut concordia suarum Ecclesiarum, parum se proficere experti jaculis è pharetrâ Scripturarum haustis, ad Traditiones libentissimè confugiunt; si quas forte invenerint pro sua sententiâ militantes; vel adversarios configentes: & Scripturas ipsas tantùm non damnant. Neque sanè tam delicati sunt quin avide corripiant testimonia Antiquitatis nomine falso gaudentia, quæ aliàs magno clamore & Fastidio ablegant. Quod in Calvino ipso cernere est: qui blasphemias Serveti sententia Justini Martyris De Expositione Fidei redarguit: quem tamen Ipsius non esse puto ne ipsum latuisse; pro hac vice libentur vult Justini esse, ne argumentum pondere

Calvinus Refutat. Error. Serveti.

pondere Antiquitatis, quæ summa eſt in illa cauſa, deſtituatur. Idem quoque Aretius Bernenſis in Hiſtoria Valentini Gentilis fecit.

Sit porro inſtar mille, illud unum exemplum; Remonſtrantium, & Contra-remonſtrantium litigium graviſſimum apud Batavos. Jacobus Arminius ut primùm inſuetam auribus vulgi doctrinam ſuis Batavis proponeret, petiit obnixè ut Catechiſmus Belgicus ad Lydium lapidem Scripturarum paulò accuratius vocaretur. Quod ſcil. *Videretur* (ipſi) *contineri quadam in eo minùs Sanctis Scripturis conſentanea, & ut coram toto mundo appareat nos Belgas ſoli Dei verbo eum honorem habere, quod & decet, ut ſolùm id extra, imo ſupra omnes diſputationes ſtatuatur?* Ecquid hoc modeſtius aut magis pium dici poſſit aut conſonum doctrinæ iſtorum Reformatorum? *Tulit tamen repulſam, triplicem ob hanc rationem, Primò, doctrina illa ſuffragio multorum gravium virorum approbata ſit, atque, ſtrenuè adverſus eos qui ſe ei oppoſuerunt, defenſa eſt. Secundò, Quòd ſanguine tam multorum millium obſignata ſit. Tertio, Quod ex eo confuſiones, ſcandala, deſtructio conſcientiarum intra Eccleſiam, irriſiones verò, calumniæ, & criminationes extra eam extituræ ſunt.* Quid autem, ſi hoc non ſit Scripturas fugere, & nobis noſtriſque de iis metuere? aut quam ob cauſam Antiqui numero, pondere, & ſanctitatis, & doctrinæ, & Martyrii gloriâ Belgis multo præſtabiliores, ad ſcripturas ſeveriſſimo & plerunque iniquo judicio revocandi ſunt, ſalvo manenteque Catechiſmo Belgico, niſi veriſſima hic ſunt quæ adverſus Conſtantium ſcribit Hilarius, *Vetas non ſcripta dici, & ipſe tamen non ſcriptis uteris, neque quæ ſunt ſcripta loqueris.* Ita profectò Moderni, vetant ut autoritati hominum quidquam in Religione tribuamus, ipſis nihilominus aſſumunt, vel ſuis deferunt Religioſiſſimè, Paſtoribus, quos nuncupant. Neque perperam,

Arminius Declarat. ſuæ ſententiæ, pa. 103, 104.

Hilarius contra Conſtant.

peram, de iis Anonymus judicat, *Nihil nunc dicam de eo quod meritò deplorandum, quod Familiæ suæ Autores & Doctores Lutherum, Chemnitium, vel Calvinum, Bezam, Zuinglium aliosque tanti faciunt, ut vel latum unguem ab eorum placitis recedere, magna ipsis sit religio. Adeo ut in dissentientes ferro, flamma, carcere sævire non dubitent. Res nimis manifesta est, ut probatione nequaquam indigeat; hoc autem est Ecclesiæ neque ejus doctoribus controversias cum aliorum obligatione judicandi potestatem ascribere*; Hæreticus ille sic: vellem falsò: Cæterum quod Talæus pronunciavit de Aristotele, quàm appositè quadrat in homines nostri ævi, quantùm ad Veteres? *Hoc*, inquit, *sibi erroris principium Aristoteles commune cum Epicuro posuit, qui cum Platonis præceptoris sui verissima & sanctissima dicentis sententiis non credidisset, credulitatem tamen istam à suis discipulis tribui, sibi postulavit, & iniquum esse judicavit, ut contra sua principia (quum tamen omnium Philosophorum principia calumniatus esset) disputaretur, viz. ut non modo nullâ ratione, sed contra omnem rationem & veritatem discipuli ejus crederent, quæ ab eo impiæ & falsa tradita sunt.* Siquis pariter Veterum traditiones contra desipientiam Modernorum attulerit, clamant illico Scripturas (quas semper sibi favere somniant) violatas esse. Atqui, si Lutheri Scholiis, Calvini Commentariis, Bezæ Annotationibus ostendas Scripturarum hæc vel illa sensa, continuo perspicua subsilit Veritas Divina; nec dubii quicquam reliquum invenies de mente S. Spiritûs. Unde haud vanus extitit vates Gualterus Tigurinus dicens, *Hinc omnia fere malorum genera scaturire, hinc pestem illam teterrimam rixandi, rupta charitatis vincula, & fidei ipsius fundamenta concussa, quod minus antiquos veneremur. Nec vereor hanc præcipuam contentionum nostri sæculi causam esse, affirmare, quod plerique Theologi in magistrorum suorum verba jurati, horum modò Libros legunt, nec quid olim*

Anonymus Disquition. ubi supra.

Audomarus Talæus in Academia.

Gualterus Præfat. in Loc. Comm. Petri Martyr.

erudita vetustas senserit, aut quos errores, aut hæreses damnavit, noverunt; neque etiam ab aliis edoceri volunt. Hæc ille.

Luther. To. 1. pag. 243. Quum primùm Lutherus Lernam Romanorum errorum moveret, multa quidem non modò modestè, verùm piè locutus est de antiquitate, & authoritate Ecclesiæ verè Catholicæ, *Et Periculosum & horrendum esse dixit, quicquam vel audire, vel credere quod adversatur unanimi testimonio fidei & doctrinæ Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, quam inde ab initio unanimiter servavit.* Atqui ubi successus animum plus justo attolleret ipsius, ubi se quasi in totius orbis Christiani conspectum venisse, & à compluribus coli persentisceret, pudet referre, quam contemptim, & insulsè Veteres tractavit. Legat qui velit Colloquia Mensalia, & siquid superbiùs aut futiliùs dictum de iis invenerit, libenter me falli agnoscam. Discipuli quidem ejus quanto doctiores, tantò æquiores in Patres semper fuerunt. Becan. To. 4. pag. 154, 155. Siquidem Misnerus & Gardius calumniæ Becanum postulant, quod scriberet Lutheranos solum Scripturas facere Judicem controversiarum & Religionis. Nam & Ecclesiam, inquit Gardius, admittimus Judicem, diverso tamen gradu atque respectu.

Chemnitius Exam. Concil. p. 104. p. 1. Pleniùs adhuc his doctissimus Chemnitius: *Grati,* inquit, *& reverenter utimur Patrum laboribus, qui multa Scripturæ loca commentariis illustrârunt, & Veteris Ecclesiæ testimoniis in vero & sano Scripturæ sensu nos non parum confirmari fatemur. Neque enim probamus siquis comminiscatur sensum pugnantem cum totâ Antiquitate, & cujus planè nulla sunt Ecclesiæ testimonia.* Sed nec omittanda fortaſſis sunt quæ proximè præcedunt ubi, " Est, ait, " hoc certum neminem debere suæ prudentiæ inniti " in Scripturæ interpretatione, ne in claris quidem " locis. Illud enim manifestè scriptum est 2 Petri, " cap. 1. Scripturam non esse privatæ interpretati- " onis,

" onis, & illi qui Sacram Scripturam ad suos sensus, " quos præsumpserunt intelligendos contorquent, " faciunt hoc in perniciem sui, 2 Pet. 3. Optimus " enim Scripturæ lector est secundùm Hilarium, qui " dictorum intellectum non attulerit, sed retulerit " ex Scriptura. Hæc ille. Mihi quoque confirmare videntur prædicta, quæ Osiander ad annum Domini 1523. scripsit Norimbergæ esse decretum in Conventu Principum Imperii pacis servandæ causâ; nimirum, "Ut Concionatores nihil præter Evange-" lium docerent, idque purè atque modestè juxta " probatas, atq; ab Ecclesiâ receptas interpretationes; *Hoc enim decretum*, inquit Adamus in vita Lutheri, *cùm alii aliter acciperent*, *Lutherus pro se est interpretatus*, *literis ad principes datis: ac primùm quòd Evangelium doceri jubeant secundùm interpretationes ab Ecclesiâ receptas*, *Se non de Thomæ aut Scoti*, *sed de Hilarii*, *Ambrosii*, *Augustini*, *& horum similium accipere*, *interpretatione*. Nostra verò sententia nihil amplius contendit. Exemplo autem insigni ex eodem Adamo in vita Osiandri res clarior evadet. Habitâ namque disputatione acerrimâ coram Duce Borussiæ inter Martinum Staphylum, Funcium, aliosque & Osiandrum illum qui novissimum pepera monstrum opinionis, *Nos Essentiali Christi justitiâ justificatos*, res tandem post longas rixas huc delata est, ut quoniam nequicquam ex Scripturis ipsis argumentarentur, expectaretur Ecclesiæ judicium. Quo satis perspicuè mihi videntur agnoscere, utilissima esse Ecclesiæ suffragia, etiam post Scripturas. Quod si verò Præsentis Ecclesiæ vox, (de qua credo potissimum ibi agi) nihil faciat in Scripturarum præjudicium, verum subsidio potius sit, hoc nomine cessent scioli & malevoli Traditiones sugillare.

Luc. Osiander Epito. Histor.

Adamus in Vita Lutheri.

Et si sibi ipsi constans Calvinus cum suis asseclis

esset (quod plerunque desideres) non magis nos ab Illo, quam ille se à Pighio distare asserit. "Non "difficulter, inquit, inter me & Pighium convenire "possit, si modo Ecclesiæ traditionem ex certo & "perpetuo Sanctorum Orthodoxorum consensu non "testimoniis hinc inde exceptis demonstraret. Bucerus item nomine fortassis non meritis Calvino secundus, de perpetua virginitate Beatæ Mariæ agens: "Ad quod credendum perpetuus Ecclesiæ consensus "momentum præcipuum adfert. De quo sanè du-"bitare, dum nullum illud certum cogit oraculum "Scripturæ, non est eorum qui quid sit Christi Ec-"clesia, didicerunt. Potuissem quoque cum moroso Beza dextram hic jungere, modo res verbis responderet. Quàm pulchra enim ista sunt? "Nec enim "Dei Gratiâ ignoro Ecclesiam esse veritatis testem, "extra quam non sit salus, & Orthodoxorum con-"sensum in Synodis adversus Hæreticos testatum "plurimi fieri par est; & Patrum interpretandis Scri-"pturis, refellendis erroribus, admonendis populis, "labores adeo non contemni oportet, ut secundo è "Scripturis loco merito habeantur, &c. Respondebitne his D. Dallæus? Ita quidem esse, sed quinam sunt illi Orthodoxi, præter Genevenses Reformatos; vel Patres qui interpretentur Scripturas Orthodoxe? vel quî Sententiæ eorum cognosci possint? Quis eas perdiscere valeat? Hæc quidem qui responderit, & admodum pueriliter luserit, & Bezam captiosissimè ineptire fatebitur.

Calvinus De Libero Arbitrio adversus Pighium.

Bucerus in Matth. cap. 1.

Beza De Pace Eccles. To. 1. p. 118.

Nec multùm diversum ab his Rivettus ipse qui (ut ego interpretor) contra Veterum Authoritatem tractatum consarcinans ex aliis ita scribit, "Patres "igitur etiam nos agnoscimus veritatis testes & in-"dices: Scripturas verò & Patrum & Nostrorum "omnium Judices. Ut verbo dicam. Patribus ad

And. Rivet. De Patrum Autor. cap. 2.

"Scri-

" Scripturam comparatis idem tribuimus quod Prin-
" ceps Scholasticorum Thomas. Thomæ autem verba quia videntur mihi mirificè controversiam explicare hîc subjungam. " Sacra doctrina Autoritatibus Canonicæ Scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentando, autoritatibus autem aliorum doctorum Ecclesiæ ex propriis probabiliter. Innititur enim fides nostra Revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canonicos libros scripserunt, non autem Revelationi, siqua fuit aliis doctoribus facta. Thom. 1 Pa. Qu. 8. A. 2.

Verùm agmen claudat Hieronimus Zanchius his verbis. " De me loquor, deque meo ingenio, A communi Patrum consensu nullâ cogente necessitate dissentire mihi religio est. Prius tamen quàm de Tabula manum tollamus, qui nobis tempore ultimus, loco quoque extremus sit Henricus Hortingerus de Patrum usu ita differens. *Patrum lectionem ministro Ecclesia utilem esse & necessarium inter Orthodoxos extra omnem dubii aleam positum est: ita ut calumniose satis & protervè spargant Pontificii, nullum nos in Ecclesiis Reformatis Patrum scriptis relinquere locum, eaque tanquam algâ viliora contemnere.* Hinc autem ad nostram sententiam transeamus. Zanch. lib. 2. Epist. ad Bez. Hortinger. Analect. Hist. Theolog Dissertat. 7. can. 2.

Caput nonum.

Sententia Ecclesiæ Antiquæ brevius, Anglicanæ autem paulò fusius aperitur.

IN requirendo Veterum Judicio hâc in controversiâ eo contractiores erimus, quo uberiùs se nobis suggerit materia: & maximè quòd, tam copiosè & doctè à Spalatensi Episcopo tractata est, ut vix quicquam ex pauperi nostrâ supellectile addi possit. "Nam "(quod ipse probat) Ecclesiam veram & Orthodox-"am & puram nempe Antiquam posse, & debere esse "tutam Regulam nostræ fidei, non potestate aliqua "judicativâ, & definitivâ propriè, sed Attestativâ "duntaxat, & actu exercito; Patres veteres consi-"deraverunt, adverterunt, observârunt, docuerunt, "declararunt: quod quidem jam ostendo, &c. Consulo autem dubium de hâc re Lectorem, ipsum adire Authorem prolixè Veterum sententiam & praxim colendâ Antiquitate explicantem. Inter Pontificios autem hanc Spartam ornârunt Innumeri doctores. Præcipue autem Hosius Cardinalis, Canisius locis communibus, Peresius & alii.

Marcus Anton. de Domi. de Rep. Ecclef. lib. 7. cap. 4. Sect. 7.

Sed modestiores & doctiores fidei Instauratores minimè ab hac sententiâ abhorruerunt. Nam ut optimè Cassander. "Non ut multi, hominis quantum-"vis magni & excellentis Lex nobis sentiendi & "loquendi statuenda est —— Sed in fidei dogma-"tibus Canon Scripturæ sacræ, & fidei quæ in Ca-"none proponitur, Analogia & convenientia pro-"ponenda: ac deinde perpetua Ecclesiæ consensio, "quæ in Priscorum Patrum Scriptis, & cum Cano-

Cassander Epist. 2. ad Episcop. Mona

"nicæ

"nicæ Scripturæ Regula & inter ipsos congruentibus "extat, adhibenda. Et Hugo Grotius similiter in Opusculo adversus Rivettum non dubitat affirmare, "Omnes Veteres Patres pari loco traditiones habu- "isse bene probatas, Apostolicas, cum Scripturis. Fuit enim (teste quoque Daniele Tossano) tum vetus tum laudabilis consuetudo, teste Irenæo, lib. 3. cap. 4. "Ut si de aliquâ Quæstione disceptatione ori- "retur antiquissimarum Ecclesiarum, in quibus A- "postolos conversatos constaret, judicium inquirere- "tur, & cognosceretur.

Adversus Rivettum.

Tossanus Præf. Synopsis De Legendis Patribus.

Notandum autem hic arbitror ex Augustino Duûm generum controversias & olim, & nunc quoque moveri in Ecclesia. Vel enim de Capite, vel de Corpore dissidetur, "Quia (ut verbis ejus utar) cum "Donatistis & nobis quæstio non de Capite, sed de "Corpore, i. e. non de ipso Salvatore nostro Jesu "Christo, sed de ejus Ecclesiâ: Ipsum Caput de quo "non contendimus ostendit nobis corpus suum de quo "dissentimus. De his autem sancti Patris verbis obiter agens Baldwinus, ita scribit, "Rectè, sed si illi, "ut nos, caput illud ostentent, ubi potius corpus il- "lud existimabitur? Augustinus monet Capitis ver- "bis, h. e. Sacris Scripturis id satis indicari. Qui- "bus? Quæ Ecclesiam ostendunt esse Catholicam, "Ubi cum iis Hæreticis, cum quibus de Capite, i. e. "de Christo, ejusque sive Essentia, & Natura, sive "Officio & beneficio imprimis quæstio erat, & de- "inde de Corpore, i. e. de Ecclesia, vt cum Arria- "nis Catholici simpliciter contendebant ad dignos- "cendum corpus, inspiciendum esse caput, & de ca- "pite potissimum agebant. At ubi cum Donatistis "agebant qui de illo capite consentiebant, alio, ut "necesse fuit, argumento, Corpus, de quo solo con- "troversia erat, penes se esse contendebant. Qui

Augustin. De Unitate Ecclesiæ.

Franciscus Baldwinus Delibat. Collat. Carthaginens.

pariter

pariter definiendis controversiis utiles Veteres asserimus, non id statuimus ubi lis de Ecclesiæ Veteris autoritate movetur, sed ubi dissentio sit de Capite, h. e. de Christo: vel, quod perinde est, de Articulo aliquo fidei.

Secundò notandum, vel recolendum potius, quòd supra tradidimus, nos Ecclesiasticas Traditiones non ut Verbum non Scriptum recipere, seu fundamentum Religionis: sed tanquam Interpretes, & testes Fidei sanæ, revelatæ in Verbo Dei Scripto.

Tertiò, non singulis divisim, sed conjunctis quantum fert humana conditio, quæ vix uno aliquo absque contradicente uspiam conspiravit, adhærendum judicamus.

Quartò nec universis adhærendum putamus Ecclesiæ vel priscæ vel hodiernæ doctoribus, tanquam Causis Δλη, seu propriè dictis Assensûs fidelis, sed Optimis mediis eruendi sensus penitiores Sanctarum Scripturarum, & motivis, ut credamus, non, vera esse quæ traduntur in Scripturis, sed verè istiusmodi Propositiones in iis contineri, & tradi.

Quintò tenendam existimamus quoque illam Veterum distinctionem quam adhibet Rivettus Lib. citato.

Rivett.c.1. "Nam Patribus, de quorum autoritate controversia agitur, vix annumeramus, qui post Gregorium primum aliquid exarârunt. Quia enim manifesta est scissura in Ecclesiâ circa annum 640. & Schismate facto, Papa illi parti, quæ verè factio erat, se signiferum dedit, & ex eo tempore factionem illam fovet, ideo à Patribus illis qui ab eo anno Papæ adhæserunt, nullum nisi invalidum, imò ineptum duci potest argumentum. —— Referri autem possunt testimonia Patrum vel ad Philosophiæ confirmanda dogmata, vel ad assertiones Fidei aut Theologiæ comprobandas, vel etiam ad historiam

"historiam suorum temporum, maximè Ecclesiasti-
"corum spectantia. Plura, & Pluris quidem essent hæc Rivetti de Vero usu Veterum, quam integer Dallæi Liber Fallaci isto titulo insignitus, nisi processu Dissertationis statim destrueret, quæ posuerat, vento suæ doctrinæ fluctuans, & inconstans factus.

Sed his prætermissis propiùs accedamus ad nostræ Ecclesiæ sententiam, quam optimè Vir Doctiss. Hadrianus Seravia nobis descripsit his verbis. "Contra unanimem & constantem omnium Patrum Veteris Ecclesiæ consensum, nihil sine expresso Dei verbo est innovandum. Hoc enim liberè dico, Quisquis Patribus omnem autoritatem adimit, ipse sibi nullam reliquit. Et rectè quidem. Quid enim unus contra plures? Neotericus contra Priscos, ut summam sibi, quam Mediocrem negat aliis, autoritatem arroget de Scripturis interpretandis? "Fortassis, ut alibi idem, Negat Dominus Beza, & quotquot cum eo sentiunt: At Patres rem tamen aliter intellexerunt; quorum concordi & unanimi sententiæ ab Apostolorum temporibus per tot sæcula deductæ, absit ut Bezæ, aut Calvini, aut alicujus cujuspiam ex Neotericis præferam judicium, & hos sapere, illos verò desipuisse judicem. Noverat scil. probâratque Vir Optimus Ecclesiæ Anglicanæ piissimum & sapientissimum decretum, quo præcipitur; "Imprimis videant Concionatores nequid unquam pro concione doceant, quod à populo religiosè teneri, & credi volunt, nisi quod consentaneum sit Scripturis V. & N. Testamenti, quodque ex illâ Scripturâ docuerint Antiqui Patres, & veteres Episcopi collegerint. Quamprimùm Clarissima Elizabetha Regina imperii Anglicani Clavum teneret, fugatâ Feralis persecutionis Marianæ tempestate, maximo studio contendit Sororem

Seravia Prolog. Def. Contr. Bezam

Seravia, ibid. cap. 7.

Constit. Eccles. Anglic. An. D. 1571.

rem pietate & mansuetudine antecellere, & diffidia de Religione flammis & cædibus nihilo leviora, pacatissimis mediis Publicæ Disputationis utriusque Partis (quam quidem & ipsa Maria initio Regni simulårat) tollere flagitabat. In Ecclesiâ ergo Westmonasteriensi utrinqe convenit. Romanenses suam, nostri Anglicanæ & Reformatæ Ecclesiæ fidem clarè scripto exhibitam pronunciant. Hornus Decanus tum Dunelmensis, postea Episcopus Wintoniensis Prælium vice Theologorum Reformatorum inchoans Præfatione perspicua doctâque præmittit Fidem Anglicanæ Ecclesiæ Scripturis fundatam, & Catholicæ Ecclesiæ perpetuis traditionibus confirmatam, & nequaquam velle, aut oportere ab hac secessionem facere; quemadmodum literis conservatam ejusdem professionem apud diligentissimum nostrum Martyrologistam legimus. His maximè consentanea adversus Puritanorum calumnias, qui suggillare Ecclesiam Anglicanam soliti sunt, quòd pro libitu admitteret, & respueret Veteres, Bilsonus Doctissimus Wintoniensis, tradit, "Ne sitis injurii, nihil eorum recusamus, quæ prima & antiqua Christi Ecclesia, "tanquam apertè & tacitè comprehensa in Scripturis generatim unquam approbavit, vel usurpavit. "Mos ille vester est. Sic ille. Nec dissimiliter clarissimus Juellus Sarisburiensis, Accessimus, ait, "quantum maximè potuimus ad Ecclesiam Apostolorum & Veterum Catholicorum Episcoporum, "&c. Neque tantùm doctrinam nostram sed etiam "Sacramenta precumque publicarum formam, ad illorum ritus & Instituta direximus. Neque solummodo scriptis, sed dictis pro Concione habita ad Crucem Sancti Pauli rem confirmavit idem Episcopus: ubi densissimâ auditorum coronâ circumstante, sibi proposuisse dixit in Castra Romanensia transitum facere,

Foxus Martyrolog. pag. 981.

Bilson. de Perpet. Eccles. Regimine, cap. 15.

Juel. Apolog.

facere, quam primùm probarint dogmata istius Ecclesiæ in Catholicâ Ecclesiâ ante annum sexcentesimum invaluisse. Apud frementes autem adversarios ejus, cùm crebesceret rumor hanc ob causam ab Umphredo in Vita ejus culpatum fuisse; & se isto crimine purgavit, & suum præterea calculum addidit contra Campianum, "Dixi Juellum, quâ erat multiplici doctrina & heroino animo præditus, non modo ad Scripturas, sed ad tot centurias provocâsse, sed vobis majorem ansam præbuit reclamandi, & vobis nimium largitus est; Vobis plus æquo concessit, sibi interim nimis injurius. An cuiquam videri possit hæc oratio acris reprehensio? Imò excuso illum & laudo, quod pugna difficilior sit pulchrior. Whitakerus item plerunque plus satis Luthero & Calvino favens, pulchrum tamen hoc edit Elogium de Veteribus: "Consensionem, Antiquitatem, successionem objicit Manichæis Augustinus: Et quis negat in his argumentis magnam vim ad commovendos hominum animos inesse, ut illi potius Ecclesiæ quæ ista habet, quam quæ non habet assentiant? Et rursum adversus eundem Duræum. Modò concedas fidem solis niti Scripturis, & omnes omnium Patrum sententias nullum nisi probabile argumentum efficere, te quidem Patrum dictis patiar non invitus oblectari. Sed quando nobis Patrum quorundam testimonia objiciuntur, & nos, quia dissentimus, hæreseos accusamur, atque ita omnes adversarii disputationes instituunt ut Patrum potius, quàm Scripturæ sententiis utantur, quis non intelligit fidem nostram humanis judiciis alligari, quæ debuit divinâ autoritate duntaxat pendere? Huc illud etiam accedit, quod nonnullos Adulterinos libros venditant, quos satis constat non esse ab illis autoribus profectos, quorum

Humphredus Ad 5 ration. Campiani.

Whitakerus contra Duræ. pag 386. Lond

"nominibus inscripti. Hactenus ille. Hujusmodi autem metus superstitiosus multos præterea in transversum egit ulla justâ ratione, Si quid vel Papistæ senserint de Patribus, fideliter à Duræo proditum sit, nim. Ecclesiasticos Scriptores, non ut fidei nostræ autores, sed tanquam illius doctrinæ, quam à Majoribus in Ecclesiâ didicerunt, testes sequimur, quemadmodum Augustinus Lib. 2. contra Julianum.

Duræus contra Whitakerus.

Sed ad nostros revertor, ex quibus ipse Perkinsius non nemo sit, qui de adminiculis interpretandi Scripturas agens, sic scribit: "Præterea, è Scriptis Orthodoxis non solùm novæ sed etiam Veteris Ecclesiæ auxilium accersendum est. Ratio. Satanas, ut "Ecclesiæ instaurationem nostro sæculo cæptam impediret, Veteres Hæreticos ab Inferis excitavit. "Antitrinitarii enim, &c. ——— Ergò similiter "damnationes istarum non tam novæ quærendæ, "quam Veteres illæ è Conciliis & Patribus in usum "nostræ repetendæ, proque ratis habendum. Huic suffragatur doctissimus Casaubonus tam Ecclesiæ nostræ, quam Jacobi Regis mentis optimus interpres: "Rex cum Ecclesiâ Anglicanâ pronunciat eam demum doctrinam se pro verâ, & necessariâ agnoscere, quæ à fonte sacræ Scripturæ manans, per consensum Veteris Ecclesiæ, sicut per Canalem ad nostra tempora fuerit derivata. Quod non minus ab Episcopo tandem Norwicensi præclarè docetur his verbis, "Profectò qui verbo Dei æternis literarum "monumentis consignato, qui Symbolis quibusque "primoribus, qui Conciliis quatuor Generalibus, qui "communi Patrum per sexcentos annos à Christo, judicio lubens subscripserit, quod nos facere religiosè "profitemur Reformati, si errare in minimis poterit, Hæreticus esse non poterit. Peccare facile "potest

Perkinsius. De Unica Ratione Concion. pag. 31.

Casaubonus Episto. ad Peronium pag. 20.

Josephus Hallus Concione ad Clerum 1625.

" poteſt particularis aliqua Eccleſia, hæreſin affigen-
" do ſententiæ immerenti, ſive veræ forſan illi, ſive
" leviter erroneæ: graviter certè errare non poteſt
" anima, vel Eccleſia quæ univerſalis veteriſque ve-
" ſtigiis ſollicite inſiſtit. Nec ejus Anteceſſor aliter
doctiſſimus Montacutius. " Οἱ ἐξ ἐναντίας, ſcil. Papi- Montacutius Epiſto. ante Nazienzenum.
" ſtæ, patres crepant, ut juratos in cauſam teſtes,
" & ad Patres ad ſupremum Tribunal ſemper in om-
" ni quæſtione ſolent provocare. Et nos libenter
" in controverſis dogmatibus eos facile admittimus.
In Originibus autem idem plenius multò & paulo aſperius adverſarios Antiquitatis, & præſertim Bucerum tacitè reprehendit, cui minus placerent iſta verba in officio Baptiſmatis aſſerentia, [*Sanctificatas Jordanis, & alias omnes aquas à Servatore, ſuâ ablutione*] Conſenſum hunc καὶ συμψήφισμὸν *totius Antiquitatis agnoſcunt, qui nobis prodiere nuper Theologi novi, ſtulti fortaſſis, certè adoleſcentes. Sed non moventur traditione. Eſt multum, aiunt, deferendum venerationi priſcarum Eccleſiarum, & Sanctiſſ. Patrum:* ἄγε, καλῶς, ὑπὲρ εὖ. *Sed quid verba audiam quum facta videam? Veneranda Antiquitatis canitiei inſultantes non tantum obſtrepentes, eos qui nondum ære lavantur, capite cenſos, non fortunis: qui ſibi videntur Saperdæ, cùm ſint Capreæ. Sed oportet Deum potius audire quàm homines. Et hoc præclarè, ſi modo Deus unum, aliud præcipiat homo. Sed eſt hoc* τὸ κεινόμενον*: probandum ipſis fuerit, non pronunciandum; imò ne* κεινόμενον. *Conſtanter tenemus contra totam Factionem Novatorum, à Deo, Dei verbo, mente & ſententia nequaquam receſſiſſe Antiquiores. Affirmant ipſi: Vah: nam quantula eſt Novatorum autoritas, ut cum ipſi dicant, illi negent, ipſis quàm illis potius accedamus. Nam quando receſſit Spiritus Domini ab Eccleſia, ut contra Eccleſiam ſtantes alloqueretur? Eſt hæc intolerabilis* ἀλαζονεία δοκησισοφία, *inſolentia* ἰδεῖν τὸ νομίζειν πάντας ἀνθρώπους πρὸς ἑαυτόν. *Sed declamationes non pangimus*

gimus nec συλλεκτικὸν instituimus. Fruantur illi φιλαυτίᾳ & οἰήσει sua: nobis satis Ecclesiæ διαψηφίσματα non esse alia, quàm quæ totius antiquitatis συμψηφισμοῖς commendata populis proponuntur.

His cum primis accensendus Eruditissimus & gravissimus Vir succedat Herbertus Thorndicius, opere Anno superiore, edito, *De Ratione ac Jure Finiendi Controversias*, capite 27. ubi singulari judicio, & diligentia exquisita (ut reliqua) disputans de Scripturarum prærogativa, ut Instrumenta divinitus instituta, & Traditionis usu iis explicandis: *Hîc ego Scripturas instrumentum esse fidei agnosco: quomodo Instrumentum Vetus ac Novum, omnibus in ore est: nunquam agnoscam adhiberi à Deo Instrumentum, operi cui adhibitur non idoneum. Instrumenta naturalia sunt, quæ animantium corporibus natura providit, & moralia, quæ voluntatum assensu efficiunt quod efficiunt; sive humana, sive divina, si de donis adipiscendis agatur. Hujusmodi est omnis Scriptura testis pacti hominibus sive inter se, sive cum Deo initi: Sed num necesse sit, ut pacta rata sint, scribi omnia quæ pacta sunt? Equidem quum scriptum fuerit quicquid scribi potest, tamen ni testes supersint, nisi Leges auxilio essent, nisi aliud denique scriptum juvaret, vix sortiretur effectum, quod scriptura ratum esse non facit, sed testatur. Jam autem ex positis manifestum est Traditionem sive Fidei, sive legum Ecclesiæ disertè agnosci ab autoribus Scripturæ perspicuæ.* Hæc ille, & alia perplura quibus egregiè vel concilientur vel tollantur Veterum apparentes pugnantiæ, de Perfectione & Plenitudine absolutis Scripturarum, & ministrante iis traditione; quæ invitus hîc pertransire cogor. Tandem Eruditissimus Hammondus cæteris succinit. Ecclesia Anglicana hoc se universo orbi Charactere dignoscendam, hoc æquæ posteritati æstimandam proponit, quòd in Controversiis fidei aut "praxeos discernendis, illud ratum firmumque ha-"buerit,

Thorndicius de Ratione ac jure finiendi Contro. c. 27.

Henri. Hammondus Dissertat. Contr. Blondel. Proœm. cap. 14. Sect. 13.

"buerit, & huic basi Reformationem Britannicam "niti voluerit, ut Scripturis Primæ, deinde primo- "rum sæculorum Episcopis, martyribus, Scriptoribus "Ecclesiasticis Secundæ deferrentur.

His complures alios potuerim adjecisse nostratum: nisi jam laudati sufficiant, & multi vernaculo, licet doctè scripserunt, idiomate. Nequaquam tamen silentio prætereundum duxi Principem Theologorum, æquè ac Regum Augustissimum, Martyrem Carolum Primum, Chartâ tertiâ ad Scoticæ factionis coryphæum Hendersonum, datâ; cujus Verba fere de verbo reddidi hoc modo; "Pace autem tuâ non arbitror te "satisfecisse meo argumento. Quando autem Tu "& Ego de Scripturarum interpretatione dissenti- "mus, Ego verò ad Ecclesiæ Primitivæ provoco, "unanimemque Patrum concentum, ut inter nos ju- "dicium ferant, videtur mihi te decere magis ido- "neum invenire Judicem, vel proposito à me acqui- "escere. Hæc ille. Quartâ autem Charta ad Eundem, Cavillum Schismatici abstergens, quod forte à Dallæo vel Populari suo Joanni Strangio qui in eundem incidit errorem mutuò acceperat, sic scribit, Strangius De Perspicuitate Scrip. cap. 7. "Concludo, quanquam nullam unquam autoritatem "Scripturis æqualem judicem, unanimem Patrum "concentum & Ecclesiæ Primitivæ praxim universa- "lem optimos & maxime Authenticos Verbi divini "interpretes, & per consequens maximè idoneos ar- "bitros inter te & me, existimem.

Plura non desunt his addenda. Ex dictis autem satis constet: 1. Quantâ incuriâ & perplexitate hæc quæstio à Reformatis nonnullis, præsertim Exteris Theologis, tractata est. 2. Ecclesiam Anglicanam plurimum tribuere sanioribus Traditionibus. 3. Jure optimo nos adversus D. Dallæum has tam universæ quam nostræ Ecclesiæ vindicias apparasse.

Caput

Caput decimum.

Objectionibus contra superiorem doctrinam respondetur.

TAmetsi attentè & cordatè expendenti, quæ suprà memoravimus de vero Quæstionis statu, difficile non fuerit diluere objectiones in contrarium factas; ut tamen luculentiùs eniteat, quid solent adversarii contra afferre juvabit experiri. Ex Hunnio autem in Colloquio Ratisbonensi Chamierus sic distinguendo ordiatur. *Judex alius est Absolutus, Alius astrictus Legi:* De proprio autem addit, *Non aliter Ecclesiæ auscultandum esse, quàm quum se juxta Scripturas decernere demonstraverit.* Unde duo sequi videantur ad mentem Neotericorum quorundam; Nunquam non cogendum Judicem externum ad Legem Scripturarum; Dein, Liberum esse cuilibit, ubi manifesta & irrefragabilis demonstratio non coegerit, deserere Præpositorum de Scripturis interpretationem, & rejicere. Multò autem sanius & modestiùs diceret, parendum semper esse Ecclesiæ consultis, nisi demonstretur contra Scripturas eam decrevisse. Verum enim est quod experientia Delphicos Theologos docuerat, *Ordinem nullum, nullam pacem in Ecclesia esse posse, ubi Ecclesiæ non licebit de suis ita judicare, ut vaga ingenia coerceat inter debitos limites.* Rarissimæ enim & inauditæ cum sint istæ demonstrationes, rara vel nulla erit fratrum concordia, vel in fide, vel in Charitate: Porro, neque ipsa distinctio viro prudenti placere possit. Nemo enim propriè dici Judex possit, qui Legi non est Astrictus. Qui enim à Lege absolvitur, eique

Chamierus Tom. 1. lib. 2. cap. 1.

Acta Synodi Dordrectanæ, pag. 94, 95.

eique jure dominatur, non tam Judex eſt dicendus, quàm Legiſlator. *Nam cui dubium eſt* (inquit Catharinus) *quòd eſt ſupra Papam Scriptura? & nihilominus Scripturæ dubia reſolvit habens Clavem ſcientiæ ad certò & infallibiliter determinandum.* Videmus ergo etiam vaniſſimam eſſe diſtinctionem ſive Hunnii ſit illa, ſive Chameri; quum ipſi Pontificii ſupra omnem poteſtatem Numen Papale evehentes, ipſum tamen Legi Divinæ ſubjiciant. Et ratio proculdubio eſt, quoniam Scriptura non eſt Papæ aut univerſæ Eccleſiæ, ſed Dei: Poteſtas autem humana Legibus propriis tantummodo dominatur, non Divinis. Neque enim ratio diſpar eſt in Legibus divinis & humanis, quantùm ad naturam Legis, licet quantum ad rem Legibus conditam, & Modum ponendi ſit diverſiſſima. In Civilibus autem Legibus ſecundùm Ivonem Carno: *Quanquam de his homines judicent cum eas conſtituunt, tamen cùm fuerint inſtitutæ & firmatæ non licebit de ipſis judicare, ſed ſecundùm ipſas.* Nequaquam ergo Eccleſia de Lege judicat Divinâ, ſed munere defungitur Interpretis Optimi: Interpretis autem, vel Judicis propriè dicti Autoritas ex ſe non obligat Legi ſubditos, ſed tantummodo ex virtute Legis. Vera ſunt ergo quæ & Rivettus cum Dallæo ſcripſit, ſed quæ tam longè à ſcopo aberrant, ut vel indocti vel otioſi plane ingenii ſint. " Patrum enim, quantalibet pol-" lent doctrina, & pietate, teſtimonium non ideo ve-" rum eſſe exiſtimari poteſt, quod ipſi ſcripſerint, ſed " prout ratio ab iis adducta vel Scriptura citata per-" ſuaſerint. Eorum teſtimonium non per ſe ſufficit " ad fidem ingenerandum, & talis eſt omnium Patrum " Autoritas. Rectè, inquam, hæc omnia, ſed crudè admodum prolata; quum nemo ſobrius vel ſtatuerit fidei noſtræ Δῶη, ſeu fundamentum, eſſe Patrum vocem conſonam; vel negaverit tamen optime noſtram

Catharin. in Annotat. in Cajetan. Lib. 6.

Ivo Carnotenſ. apud Gratianum, Part. 1. Diſt. 4

Rivettus de Autorit. Patrum, cap. 6.

mentem posse dirigere ferendo judicio de genuino sensu Scripturarum: Alioquin quid cessent superstitiosi illi tristius formidare sibi ipsis, pronissimè sequentibus dictamina proprii Cerebri conjectantis de sensu Scripturarum? Nonne enim & ipsi judicant de Scripturis absque injuriâ necessariò vel illis, vel Fidei illatâ? Quomodo autem vel Fides vel Scriptura non violetur privato eorum facto judicio, non ostenderunt, qui lædi Veterum suffragio vociferantur.

Stapletonus Releɛt. Controverſ.4. Quæst. 3. Canus Loc. Comm. lib.2. cap.8. Gammachæus summæ Theolog. Comment. in 1.

Sæpe equidem & Pontificii rem ingenuè aperiunt: Stapletonus enim fatetur vocem Ecclesiæ non esse objectum formale Fidei. Et Canus, *Si Ecclesia aditum nobis præbeat ad hujusmodi libros sacros cognoscendos, protinus ibi acquiescendum non est, sed ultra oportet & solidâ Dei veritate niti:* Gammachæus Parisiensis fusiùs & distinctiùs adhuc, sic loquitur. "Objectum adæ-"quatum fidei materiale est Deus, ut Deus; ad quem "scil. reducuntur cætera fidei objecta partialia. At "verò ratio formalis fidei in se est suprema veritas "revelans, seu divina Revelatio, quæ fidem forma-"liter, essentialiter constituit. Unde si petatur à no-"bis, Quare aliquid sit simpliciter de Fide? Optimè "respondetur à parte Rei, Quia fuit divinitùs revela-"tum. Sin autem jam spectetur fides prout in nobis, & "quatenus includit notitiam intellectùs nostri, nec so-"lùm notitiam sed firmissimum quoq; assensum, tunc "in genere Causæ efficientis assignari debet internum "& supernaturale Dei auxilium, quia sine eo impos-"sibile est ut res fidei cognoscamus, ac multò magis ut "sine eo firmiter assentiamur, Joan. 15. Sine me ni-"hil, &c. & 2 Cor. cap. 3. Non sumus sufficientes, &c. "Cæterùm ante hunc consensum, & actum Fidei re-"quiritur aliqua causa proponens seu explicans quid "sit credendum. Hæc ille. Quibus qui docuerit contraria, sane, quantuslibet sibi videatur, mihi videtur

videtur egere, qui eum, quæ ſint tam Rationis, quam fidei principia prima, plenius inſtruat. Huc enim quæ Sanctus Hieronymus commentatur in Epiſtolam ad Philemonem, pertinent; ubi obiter verba illa, Exod. cap. 14. v. 31. "Credidit Populus Deo, & "Moſi ſervo ejus, perpendens, Una, inquit, & ea-"dem credulitas in Moſem refertur & in Deum, ut "Populus, qui credebat in Dominum æquè credi-"diſſe credatur in ſervum. Hoc autem non ſolum "in Moſe, ſed in omnibus ſanctis ejus, ut quicunque "credidit Deo, aliter ejus fidem recipere non poſſit "niſi credat & in Sanctos ejus. Neque hinc vel Spiritui Dei vel Scripturis quid damni accedere poſſet: Nam quod optimè advertit Hilarius. "Si quid re-"ctum atque ex doctrinis Apoſtolicis deductum de-"prehenditur, nemo ambigit non interpretantis in "eo eſſe gloriam, ſed Autoris.

Hierony. In Philem.

Hilarius de Synodis.

Dices præterea, Hujuſmodi poteſtate Eccleſiæ conceſsâ in diſcrimine verſari univerſam Libertatem, quam vulgò Chriſtianam dicunt, omnemque tolli hominibus ratione & fortaſſis ſpiritu Dei præditis judicandi de ſummo æternæ ſalutis negotio, copiam; contra illud Lactantii, "Oportet in eâ re maximè in "qua vitæ ratio verſatur ſibi quemque confidere, "ſuoque judicio & propriis ſenſibus niti ad inveſti-"gandam & perpendendam veritatem, quam cre-"dentem alienis erroribus decipi; tanquam ipſum "rationis expertem; Quare cum ſapere, i. e. veri-"tatem quærere, omnibus ſit innatum, ſapientiam "ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa probant "majorum, & pecudum more ducuntur. Paulò aliter Durandus. "Omnis homo admittens rationem "propter autoritatem humanam incidit in inſipien-"tiam beſtialem. Hæc quidem & plura hujuſmodi legenti Recentiores de Judice Controverſiarum, oc-

Lactant. Inſtit. lib. 4. cap. 8.

Durandus.

 currunt.

currunt. Illud autem quod miror omisisse dictos Theologos hic addere liceat, quod mihi visum sit pleniùs mentem eorum explicare; Quærit Arnobius autem: "Neque enim stare sine assertoribus "potest Religio Christiana? Aut eo comprobabi- "tur vera, si stipulatores habuerit plurimos, & au- "toritatem ab hominibus sumpserit? suis illa con- "tenta est viribus, & veritatis propriis fundamini- "bus nititur, nec spoliatur vi suâ, etiamsi nullum "habeat vindicem. Imo si linguæ omnes contra fa- "ciant, contraque nitantur, & ad fidem illius abro- "gandam consensionis avitæ animositate conspirent. Sic Arnobius. Cui breviter respondetur, ibi non tractari negotium Interpretum seu Defensorum Religionis docendo, sed agi de patrocinio Civili & Assertione Armatâ: quibus ut Religio vera sit, non probatur. Ad superiora autem, quibus utitur Eruditissimus Davenantius in Polemicis, respondeat idem in Commentariis. "Subditi, inquit, neque debent, "neque possunt de superiorum decretis judicare ju- "dicio Autoritatis, sed possint & debent, quatenus "ad se spectant, judicio discretionis. Hujus rei "causam optimè explicat Thomas Quæst. de Con- "scient. Artic. 5. Unusquisque tenetur actus suos "examinare ad scientiam quàm à Deo habet, sive "sit naturalis, sive sit acquisita, sive infusa: Om- "nis enim homo debet secundùm rationem agere: Hactenus ille.

Arnobius Adversus Gent. lib. 3.

Davenant. De Judice Controversiarum.

Et satis salvâ ratione humanâ, in divinis, Superiorum jussa capescimus, & sequimur decreta, quando non pecudum ritu, supinâ & inerti credulitate ferimur sine examine in dictamina eorum, nec curamus quid nobis imbibendum propinatur. Cæterùm quando modesta disquisitione pro ordine, & captu nostris expendimus traditam doctrinam, & sive ne-

cessitate,

cessitate, sive liberi ei adhæremus, minimè dicendi sumus non ultra Jumenta sapuisse. Hoc enim maximè nos à bestiis distare facit, non quod incoacti propria sequamur dictamina, (quod nihilo minus Animantes quàm homines faciunt) sed quòd non nisi Intellectûs disquisitione præeunte, hoc fiat, & judicio quod vocant discursivo, quod quidem impeditur; non autem tollitur vi extrinsece adhibitâ: & multo minus Fide, quam implicitam dicunt; quæ quandoque in se plus sanæ rationis continet quàm Acutiores & Perspicaciores Ingeniorum otiosorum & protervorum disquisitiones, Præcipue si Thomæ judicium de illa sequamur, affirmantis, "Minores non habere fidem Implicitam in fide Majorum; nisi quatenus Majores adhærent doctrinæ divinæ. Unde "& Apostolus dicit 1 Corinth. cap. 4. Imitatores "mei estote sicut & ego Christi. Unde humana cognitio non sit Regula fidei sed veritas divina, à quâ "si aliqui Majorum deficiant, non præjudicant Fidei simplicium, qui eos rectam Fidem habere credunt; nisi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant, contra Universalis Ecclesiæ Fidem, quæ non potest deficere. Hactenus Thomas. Thom. 22. Q. 2. Art. 3. ad 3.

Sed instant: Lege Naturæ astringimur dictamini practico proprii Judicii, seu Conscientiæ: Decretis autem Præfectorum Ecclesiasticorum obsecundare, solo Positivo Jure exigitur. Quando ergo Conscientia nostra Præceptis hominum contranititur, & in contrarium ducit, Illi magis obsequendum est, quam his. *Inst.*

Resp. Ratio hæc tota à Medina conceditur. Neque sanè humano ingenio, aut Revelatione divina comparatum est (quicquid venditant Thrasones inanes Romani quidam) ut omnibus perplexitatibus liberi prorsus sint, Neque enim (ut diximus antea) *Resp.* Medina in Tho. Qu. 19. Art. 6.

Sensibilis aliqua Nota aut Infallibilis dux fidei Orthodoxæ uspiam oculis adspectabilis reperitur, in quo securè absque omni suspitione, aut sollicitudine conquiescat animus Fidelium. Omnium verò longe præstantissima magistra Credendi proculdubio Ecclesia est Catholica, tradendo mentem Dei revelatam, constans & invariata. Quoniam autem admodum paucis datur diligenti, & docto examine Archiva Ecclesiæ perscrutari, & seriem doctrinæ receptæ perspicere, Proxima cura erit, Voci ejus Ecclesiæ primùm attendere proponentis Vetustatis doctrinam inde ab initio ad nos derivatam. Quam qui zelo, (uti volunt) verbi Divini attollendi rejiciunt, periculum erit ne conjiciant se in plures & longè graviores Errores. Ubi autem (quod siccis oculis nefas intueri) divisum est præsentis Ecclesiæ testimonium, (sicuti hodie fit) Expedit viro cuncta, quantâ potest prudentiâ, & simplici pietate trutinare; & amplecti quem sensum Deus ope suæ Gratiæ (quæ rite petentibus, & fructuosè utentibus rarò aut nunquam subducitur) dederit: Hoc semper fideliter servato, viz. Primas in judiciis de Religione ferendis deberi Ecclesiæ, quacum leviter errare tolerabilius coram Deo erit, quam ob veritatem non valdè necessariam, aut perspicuam, turbas movere, aut Schisma creare, vanissima superstitione conscientiæ tuendæ inviolatæ. Conscientiam enim lædi posse nisi vel à peccatis realibus, vel Apparentibus, nunquam auditum est, nunquam credendum. Adiaphorum autem desinit esse quicquid vel est, vel videtur nobis malum esse. Denique quandocunque sententia Ecclesiæ nostræ opponitur, utile admodum fuerit nobiscum contemplari, Facilius Unum quàm plures decipi posse, & privatos quàm Præsides, & ignaros quam doctos. Quod ubi ex animo fecerimus, Legi ipsius naturæ admodum con-

consentaneum erit relinquere illud practicum dictamen, & Conscientiæ obedire, quæ docet rectiùs, & sapientius nos facturos si aliis auscultemus; quoniam ea ipsa impedimenta & incommoda explorandæ veritatis multo fortius nostram gravent opinionem reddantque suspectam: quod & notavit Dominus Prideaux, Christianæ, inquit, erit modestiæ diffidere potiùs privatæ perspicaciæ, quam Reverendo Prælatorum cætui. Prideaux Lect. 22.

Nec tamen negandum puto quædam Christianæ fidei capita tam certa & manifesta esse animis nostris, (concessis primis quibusdam principiis) ut non minus simplici obtutui intellectus se ingerant, quàm præclara Philosophiæ quædam principia; de quibus disputare nefas sit. Quemadmodum ergo discipulo non incumbit, Philosopho, doctissimo licet, assentire contra ipsos sensus instituenti, ita nec Theologo, nec Ecclesiæ docenti contra prima Fidei principia. Principiorum quilibet sibi judex est. Principia verò hic voco non Articulos fidei in Symbolo comprehensos, sed illa duntaxat quæ Baptismum, unà & Christianum ablutum sacro fonte constituunt, viz. formam seu verba Elementum consecrantia, & quæ ab ipsis simpliciter & immediate fluunt.

Hinc autem respondetur alteri objectioni Papistis & Puritanis communi, licet alio atque alio modo factæ. Dicunt enim hi Ecclesiam non esse Infallibilem, & proinde fidem ei non habendam. Ex adverso autem Pontificii argumentantur, Ecclesiæ credendum est, Infallibilis itaque erit. Nam Infallibilem concedo contra Novitios Fidem esse debere; hoc autem non aliter fieri posse quam Externis istis Mediis, & negavi & ostendi. Pulchrè enim libro sæpe laudato, Holdenus docet, neque in Sacris, neque in humanis, Judicibus necessario competere Infallibilitatem.

tatem. Qui verò remis & ventis agunt, ut suæ præsertim Ecclesiæ nulla fallibilitatis suspitio subsit, videntur ignorare Ecclesiam Judaicam eodem argumento uti potuisse & è fortiori, quo Romana Ecclesia persuasum it se à vera fide indeclinabilem esse. Præcipit enim Deus passim (graviffimâ denunciatâ pœnâ in contrarium euntibus) Obedire Sacerdotibus, qui tamen cum visibili Ecclesia prolapsi sunt in immanes errores; " Venies, dicenti Mose, ad Sacer- " dotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit il- " lo tempore, quæresque ab eis qui indicabunt tibi " judicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, " qui præsunt Loco quem elegerit Deus, & docue- " rint te juxta Legem ejus, sequerisque sententiam " eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sini- " stram. Qui autem superbiêrit nolens obedire sa- " cerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domi- " no Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo il- " le, & auferes malum de Israel, &c.

Deutero. 17. 9, 10, 11, 12, v.

Obj. Præterea, sunt qui opinantur Præcepta Dei Mosi tradita & Ezechieli, & Joanni in Apocalypsi, quibus commonentur, ne Addant vel detrahant Verbo Divino: & ut omnia absolvantur ad mentem Dei in Tabernaculo, *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, huc facere. Licet multa

Resp. multi his responderent, ex Pontificiis præsertim, illud Rabbi Mosis in Prolegomenis ad Chazahah (quem fateor me Peritiffimo Sanctæ Linguæ Josepho Voisin debere) mihi præ aliis arridet. " Non est, " inquit ille, Traditiones dare, addere quicquam " præceptis Legis, quòd vetat Deus, ita ut non li- " ceat prophetæ quicquam innovare, prætextu quòd " Deus jusserit hujusmodi præceptum addi Præceptis " Legis. Verùm cum novam constitutionem edit " Consistorium cum Propheta sui temporis sive corri- " gendo,

Joseph. de Voisin. Obser. in Raimund. Marti. Pugion. &c. Proœm. Sect. 66.

" gendo, ſive docendo ſive decernendo ; non eſt hoc " addere. Nec enim dicunt Deum benedictum præ- " cepiſſe. *Quod ſi loquerentur* , *ſic Legi adderent : Sed ita loquimur*, *Prophetas & Conſiſtorium ita præcepiſſe.* Peccant utique vehementer qui vel Traditiones non ſcriptas , aut Sermones ſuos aut expoſitiones Sanctarum Scripturarum ſub prætextu Divini Verbi nundinant. Hoc eſt enim Scripturis apertè contradicere. Sed aperto capite proponere diſcentibus vel dubiis, vel eas Traditiones quas profitentur purè divinas non eſſe, vel ſenſus ſuos de Scripturis adferre, vel Canones præſcribere commodius diſponendi Eccleſiam gratiâ , & continendi Chriſtianam Charitatem, & unionem , quî faciant contra citatos Scripturæ locos non video & in æternum ignorabo cum his S. Scripturæ interpretibus.

Atqui, aiunt, Chriſtus Fidelis erat Deo qui fecit Eum, ſicut & Moſes in omni domo ejus. Moſes autem integram Dei voluntatem ſuis communicavit. Ergo & Chriſtus nihil diſſimulavit. Ergo ſuperfluæ & ſuperſtitioſæ , ſi non Sacrilegæ omnes Traditiones præter Evangelicas. Ad quæ facilis admodum ſolutio: Fidelis enim Moſes , Fidelis quoque Chriſtus, Paulus quoque Fidelis , ut & reliqui Apoſtoli , qui non ſubterfugit , quo minus annunciaret omne conſilium Dei , ſuis ; Neque tamen vel ſolus Moſes, vel ſolus Chriſtus, vel ſolus Paulus, aut quivis alii Apoſtoli annunciarunt omne conſilium , ut nihil opus ſit aliis Verbi Divini præconibus. Quare enim Prædicatores hodierni ſuos fatigant auditores prædicationibus crebris, ſi nihil ſuperſit dicendum populo, quod abunde dictum non ſit ? Imo totum Dei conſilium ab omnibus & ſingulis ſervis ſuis annunciatum ſit, quod certè credo. Quid autem eſt Integram Dei voluntatem exequi his ? Ecquid nihil aliis, vel poſteris, vel

Inſt. Hebr 3.2.

Reſp.

Act. 20. v. 27.

L novum

novum vel diversum præterire quod dicant? Ecquid Fidelis non sit Villicus nisi qui universum penum Patroni famulis dispensat? An non ille secundùm servatorem est *Fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis tritici mensuram?* Qui debitam mensuram, & debito tempore largitur, est Fidelis servus in domo Dei: & omne consilium annunciavit Dei, qui quicquid tradendum acceperit, non fortassis quicquid tradi possit, aliis fideliter, absque fuco aut fraude ministrat; nihil abradens aut immutans. Probent ergo hi, ita omnia vel à Christo vel Apostolis esse tradita, ut nefas sit vel ad formam & ceremonias religionis quicquam addere; Vel Traditiones & Veterum labores aliud esse quoad substantiam, & non tantùm quoad modum dicendi in Fide, & per me continuò exulabunt in æternum. Sed quum nihil horum tentârunt miseri Zelatores, quid non cessant calumniosas voces sine modo, & causâ jaculari in Veteres? Quid si Deus noluit Legem in N. Testam. sanciri de singulis Ritibus, ac sub Lege Vetere, sed permitti plura Arbitris suæ Ecclesiæ hodie quam olim? Nunquid consilii Divini falsarii Evangelistæ sint habendi, qui quod à Deo acceperunt, tradiderunt? Annon potius hoc sit Deum ipsum incusare, invidiæ, & Spithamâ nostræ prudentiæ divinam sapientiam metiri?

Caput

Caput duodecimum.

[*Duo alia Prælibata breviter proponuntur.*

SEcundò hîc Lectorem præmonendum duxi de opere laudatissimo Dallæi, perpauca esse, quæ virum diligentem in Doctorum scriptis evolvendis movere debent: Perspicuam methodum cerno, auctiorem cumulum Instantiarum, & denique modestiorem orationem, quam in usu iis esse expertus sum, qui maledictis potius quàm rationibus hoc argumentum tractârunt, & Antiquos Patres: Longum esset singulos hîc nominare quorum præsidiis militavit hîc D. Dallæus, quique suppetias ei tulerunt de Scripturis & Interpretatione earum scribentes. Duos solummodo hic afferam, quorum furtivis coloribus ornatus, & adjutus mirificè profecit; & non tam animo exprobrandi, quàm ut videat Lector quàm temerè & infaustè cæteri in hac palæstrâ decertârunt. Jacobus ergo Laurentius quodam opusculo hoc sibi demonstrandum proponit, viz. " Patres non posse esse " Judices Controversiarum, quia homines & labi, & " errare, fallere, & falli possunt. Quod summo & longo conatu pertractat Dallæus, Lib.2. cap.3, & 4. " Laurentius item ostendit Patres reipsa sæpius er- " rasse & in multis non leviter lapsos fuisse: Nam " Ecclesia post mortem Apostolorum, & Apostolico- " rum virorum non diu perseveravit illibata virgo, " teste Hegesippo, quem omnium in hunc finem primum citat Dallæus, pag. 3. nec non alias probationes Laurentii. Laurentius præterea, *Multa*, inquit, *docent Patres hæsitanter & dubiè*: hoc autem fusè prose-

Jacobus Laurentius Conscientiæ Jesuiticæ cauteriatæ, cap.3

quitur D. Dallæus lib. 2. cap. 3. Ad hæc, Laurentius, ubi supra, Patres in quibusdam sibi contradixisse, ostendit: Hanc quoque materiam copiosè versat Dallæus, lib. 2. cap. 5. Præterea, Patres suos errores cognovisse & retractasse affirmat Laurentius: Eadem autem recoquens D. Dallæus exhibet, lib. 2. cap. 2. Laurentius porro disputat à testimonio Adversariorum, qui pro libidine Patres rejiciunt, Hos autem eosdem revocat ad se Dallæus, lib. 2. cap. 6. Et denique Laurentius Protestantes allegat adversus judicium Patrum. Dallæus autem, lib. 2. cap. 3. & 4.

Rivettus. Quid autem à Plagiario (si Grotio credimus) Rivetto mutuatus est Dallæus, paucis accipe. Ipse enim Libro sæpe antè memorato, cap. 6. docto conatu cum Dallæo nihil agit, ostendens Testimonium Veterum humanum esse, cap. 8. A Sisinnio diacono quoque disputat contra Ecclesiasticam Autoritatem, quod facit solenniter Dallæus, lib. 2. cap. 2. Capite autem nono, Rivettus fere singulos Patrum errores perstringit, quos repetit Dallæus, ubi supra. Rivettus item, Cap. 12. & 13. Monumenta Veterum multis modis fuisse corrupta & adulterata, librosque eorum supposititios esse scribit: & varia exempla adducit, quæ omnia Dallæus, cap. 3, & 4. Libri 1. prolixè repetit. Hujusmodi plura attulisse licebit nisi vetaret fastidium Lectoris, quod timeo.

Tertiò Prælibandum putavi, Generale vitium quod universum Corpus Operis adversus Veteres pervadit, viz. Quòd cùm singulæ utriusque Libelli rationes tacito syllogismo constent; Illam quidem summopere confirmat exornatque, quæ ex se verisimilior erat, ad causam autem vel parum, vel nihil spectat: Illius autem, supra quam Cardo totius disputationis versatur, quasi extra teli sui jactum, ne semel

ſemel quidem meminerit: quod Adverſariis riſum excitet, Virum proculdubio ſtrenuum, Lacertos in Aerem moventem adſpicientibus, & doctè fortiterque nihil agentem: Amicos autem merito miſereatur operæ & olei ejus perditorum. V. Gra. Ubi probandum incumberet, iis Veterum laboribus utendum non eſſe quos habemus, Probat Dallæus deperdita eſſe multa opera Patrum; Ubi (ſiquid proficeret) oporteret probare Homines erroribus non penitus immunes, non Judicare poſſe de Controverſiis, multum operæ inſumit oſtendens, Patres Homines fuiſſe, Falli potuiſſe, & actu erraſſe. Et ſic ferè de cæteris; prout ſubſequens ſingulatim oſtendet examen.

Reſponſio Particularis AD JOANNIS DALLÆI RATIONES

Contra Veterum Suffragium in Definiendis Controverſiis de Religione motis.

Libri primi Caput primum.

Primum Argumentum quo Veterum Authoritatem Exinaniret, his verbis proponitur.

Ægrè conſtare poßit quid circa noſtras in Religione controverſias ſenſerint Patres; cum pauca extent ab iis ſcripta, tribus præſertim antiquißimis ſæculis. Ratio prima.



Ationis hujus in Syllogiſmum reductæ, hanc formam eſſe oportet, De quibus ægre conſtare poſſit quid circa noſtras de Religione controverſias ſenſerint, & quorum pauca extant ſcripta tribus, præſertim antiquiſſimis ſæculis, ii judicare nequeant nec definire noſtras controverſias: ſed Ægrè conſtare poſſit,

possit, &c. Ergo. Cuivis autem mediocriter oculato, hæc utraque propositio vacillare videbitur. Non enim quæritur, An Ægrè an facile possint controversiæ definiri ex Patribus; sed, An possint? &, An debeant simpliciter? quod videntur argumenta Dallæi improbare. Citra dubium enim mihi est, Veritatem eruere ex strue insanarum opinionum & tenebris antiquorum, rem plerunque esse perdifficilem, opusque summis viris & ingeniis tam doctrinâ quàm pietate præstantissimis dignum. Deinde, turpiter laborat hoc argumentum vitio generali illo, de quo jam diximus, supprimens scil. illam præmissam quæ debilissima & falsissima; illam autem excolens & confirmans studiosissimè, quæ nonnullam veri speciem præ se fert. Quid enim si pauca Veterum scriptorum hodie sint Reliqua? Nunquid ea quæ sunt ad nostra sæcula conservata propterea ad causam nostram non possint spectare, aut dirimere? Vel quia omnia nostra dissidia paucis istis componi non possint, ideo & nulla possint? *Quamvis præstantissima quorundam & antiquissima monumenta aliqua interierunt, tamen adhuc satis multa è naufragio vel incendio, reliqua essent, ex quibus veritatis testimonia sumi possunt*; Rectè monuit Cassander. *Pauca fortassis* non diffiterer, si comparentur ad ea quæ interciderunt inter Tricentesimum è Christo nato Annum: Pauca autem non sint, si ad Sacrosanctos libellos conferantur. Si multitudine ergo contendendum, videat Dallæus quî Scripturas, quæ Veterum scriptis numero & mole cedunt, ab hoc munere non excludat.

De Offic. pii Viri.

Nec illud prætereundum, Offendere hoc argumentum alio falso supposito; viz. quòd omnia sequentium sæculorum Litigia, unius alteriúsve sæculi scriptis dijudicanda sint. Prioribus sæculis quæ ad illa tempora salva manserunt, satis sint. Nos autem

qui

qui jam Lites multas novasque quotidie peperimus, copiam majorem testium antiquæ Veritatis habemus. Deinde, nec illa penitus interiisse sunt dicenda, quæ licet nativâ non extent formâ, vivunt tamen maximè in scriptis sæculorum succedentium; quibus quæ nobis sunt prorsus negata, familiaria admodum essent, & ab authoribus proximis in sua opera digesta: adeo ut penitus destitui nos judicio, & suffragio eorum, qui nunc non leguntur, verùm omnino non sit; licet aliis sub nominibus. Et plura multò fuisse illorum sæculorum scripta quàm ad nos usque sunt traducta, verum patebit Eusebium Cæsariensem, Hieronymum, Gennadium, Photium, Stobæum, aliosque Ecclesiasticos Historicos, & denique Spalatensem Archiepiscopum, (qui id datâ operâ ostendit) consulenti. Quibus tandem sibi ipsi contrarius D. Dall. Opere Gallicè exarato ad nos nuper perlato, suffragatur, Adami calumniam adversus Veteres depellens: qui Protestantium eluderet Appellationem æquissimam ad Patres trium superiorum sæculorum, quod pauca sint & incerta eorum scripta; Respondet autem D. Dallæus, *Extrema illos afficitis injuriâ & aufertis maximam gloriæ partem, quæ iis jure competit. Neque enim negaverit quis; quod præter unicum & incomparabilem Apostolicarum Scripturarum thesaurum, quem primo debemus sæculo, & qui regulæ esse oportet omnibus reliquis; Christiani duorum insequentium sæculorum Ecclesiam ditarunt; Fidemque illustrarunt magno librorum numero: ut miro cuipiam sit, quomodo tempestate tam rudi habuerint quicquam vel animi vel otii, tanta scribendi. Historia Eusebii, &c.* Hactenus ille. Longissimam autem & multiplicem seriem Veterum ex antiquis Historiis contexit Vetustissimorum Patrum, qui scriptis claruerunt: tam vana sibi ipsi maturiore judicio rem expendenti, hæc ingenii sui junioris querela visa est.

Euseb. Ecclesiast. Hist lib. 5. cap. 16. Hieron. Catalog. Scripto. Eccles. Gennadius De Viris Illustribus. Vide Anton. de Dominis, De Republ. Eccles. lib. 7. ca. 6.

Mais vous leur faites une extréme injustice, & leur oste un total partie de la gloirè que leur est deire, &c. Dallle Nove-aute des Traditions Romains, Part. 1. cap. 2.

Quod siquis periisse dixerit varia Priscorum Doctorum opera, non repugno: aio tamen commune hoc fuisse fatum iis cum sacris Scripturis, quarum partem aliquam bonam intercidisse Whitakerus disertè affirmat, *Canonica*, dicens, *quædam periisse credo esse neminem qui dubitat.* Fallitur autem Henricus Hortingerus in Modernis licet versatissimus, qui scribit *solum omnium Reformatorum hâc fuisse opinione Whitakerum*, Quandoquidem & Ipse Dux Calvinus in Epistolam Judæ, & Petrus Martyr non uno in loco confitentur idem; ut & Zanchius Commentario in Hoseam.

Whitakerus de Scripturis Quæst. 3. ca. 3.

Hortingerus Thesaur. Theolog.

Petrus Mart. Loc. Com. Class. 1. ca. 6. num. 27.

Zanchius in Hoseam initio fere.

Hinc autem & rationi isti respondetur qua, uti Romani Scripturas, Evangelici Traditiones petunt: "Vel enim (inquit Bellarminus) totus Canon Scripturæ sufficiens est ad salutem, vel singuli libri per "se sufficientes sunt——— Non totus Canon, nam multi libri verè Canonici perierunt. Quid autem Dallæus & Rivettus? certè sic disputant contra Traditiones Ecclesiasticas, viz. vel omnia Veterum scripta judicare, vel pauca: Non pauca, quia hoc iniquum esset, non omnia, quia multa perierunt. Verùm & his, & Illi breviter respondemus, Tam Scripta Canonica, quàm Ecclesiastica suis sæculis semper suffecisse. Deus enim, qui secundùm concredita munera sua, & Talenta rationem exigit à servis suis, ubi parcè sparserit, multùm non repetit. Populo Dei sat erat bene uti, & locare in Domini honorem illas Scripturas quas à Deo acceperant primùm; quas cum auxerit, fructus Fidei & morum uberiores facere oportebat. Scripta Ecclesiastica illa pauca, suis sæculis sufficientia erant; neque tamen superflua erant postera opera, natis postea novis de Religione dissidiis in Ecclesiâ.

Bellarminus De Verbo Dei, lib. 4. cap. 4.

Irritum ergo quòd suspexerit hoc telum D. Dallæus

læus aliunde Veteres petit, eorumque autoritatem labefacit. Oſtendit ex Hegeſippo apud Euſebium (de quo antea diximus) ſubitò vitiatam fuiſſe Eccleſiam Antiquam. Præcocem autem hanc calumniam, quæ ad alium propriè ſpectat locum, Quid opus eſſet ut poſt tot tantoſque Modernos mutilâ citatione tandem Dallæus adferret, hic non eſt difficile conjectura aſſequi. E medio autem ſententiæ hæc tollenda verba honeſtum, vel ſaltem utile putavit. Euſeb. Eccleſ. Hiſtor. lib. 3. cap. 26.

Ἐν ἀδήλῳ πȣ σκότει φωλευόντων εἰσέτι τότε τῶν, εἰ καὶ τινες ὑπῆρχον, παραφθείρειν ἐπιχειρούντων τὸν ὑγιῆ κανόνα τȣ σωτηρίȣ κηρύγματος.

His inquam ſublatis duo extrema copulat piâ ſcil. fraude: quæ ſi ſtarent, vel cum Patribus corruerint Scripturæ, vel nullius planè eſſet momenti ratio, vel autoritas potius Hegeſippi. Per Ὑγιῆ enim κανόνα σωτηρίȣ κηρύγματος nullus dubitet intelligendum ſacræ Scripturæ Canonem. Quod autem potiùs de moribus Chriſtianorum, quàm fide Eccleſiæ corruptela illa accipienda, unà cum Poeticâ illa ſimilitudine quam à Petro Ramo, vel tertio fortaſſis aliquo ſurripuit D. Dallæus, viz. [Quemadmodum enim quatuor Ætatum mundi, ſequiores ſemper deteriores erant, ita cum Eccleſia fuit] mihi perſpicuum eſt. Unde in tenues auras fumum argumenti hujus evaneſcere, certum eſt. Ut tamen nihil reliqui ſit virium in hac pervulgata antiquiſſimæ etiam Eccleſiæ obtrectatione, plurimum quoque facit, quod ſummi judicii vir de hoc ipſo Hegeſippi loco monuit volentes, videnteſque: nimirum Sermonem ipſi eſſe non tam de Eccleſia univerſali, quàm Hieroſolymitana tantum; in qua etiam ſuperſtitibus Apoſtolis, erant qui adulterare ſtuderent ſalutaris prædicationis regulam, etſi latitantes quaſi in ſpeluncis ſuis. Hoc enim etiam ex Apoſtolorum ſcriptis, quam verum ſit conſtat, &c. Monendos ergo ſemper putavi ſimul ac increpandos

Petrus Ramus Epiſt. ad Cardinal. Lotharing.

pandos istiusmodi invidiosissimos Scripturarum zelatores, qui modo quid durum dirumve denuncient in Traditiones Ecclesiasticas minimè ipsis Scripturis, aut cætibus propriis, cavent parcuntve. Superesse autem in hoc capite varias Instantias, quæ nihil ad institutum probent, & colores seu pigmenta ad incautos & indoctos fallendos apta sint, non eo inficias; indigna tamen judico quæ subruto fundamento cui nituntur, nos diutiùs demorentur ad secundum merito properantes argumentum.

Caput secundum.

Ratio secunda.

Quæ nuper sunt à tribus prioribus sæculis scripta maximam partem agere de rebus alienissimis ab iis quæ hodie circa Religionem in Controversiam vocantur.

UTroque pede hæc ratio claudicat: Illa verò propositio, quæ hîc subticetur, Expressâ hac multò debilior est: Negatur enim primò, Scripta illa, quæ ut plurimum materiam continent à nostris controversiis remotiorem, non item agere de multis propiùs eas spectantibus. Deinde, Quid si non immediatè & disertè nostras attigerunt Controversias? Si polemicè de iis non scripserunt? Si simplicem tantùm veritatem Credendi, & vivendi Regulam tradiderunt, quum ex Philosopho notissimum, sit, quod. Τῷ εὐθεῖ καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ Κανών; Recto, & Curvum cognoscimus; Utriusque enim Judex Norma est: Et illud præclarè ab Augustino dictum sit, *Cognitio veritatis omnia falsa, si modo proferantur,*

Aristot de Anima, lib. 1. cap. 7.

August. Epist. 5. ad Dioscor.

vantur, etiam quæ prius inaudita erant, & dijudicare & subvertere idonea est.

Atque his quidem paucissimis vires hujus argumenti concidunt, Quoniam tamen ita statuimus, paulo distinctiùs excutiamus maximam illam partem rerum à nostris alienissimarum. "Hi, inquit, pro "suorum temporum ratione vel Christianismum cri- "minationibus, quibus per calumniam gravabatur, "purgant, vel insulsa & impia Ethnicorum sacra ex- "agitant, vel obduratam Judæorum pervicaciam "coarguunt, vel portentosa sui temporis deliria con- "futant, vel Fideles ad patientiam & crucem Chri- "sti fortiter perferendam hortantur. Hæc omnia "perparùm ad nostras Controversias faciunt. Dall. pag. 8.

Σοὶ μὲν τοῦτο δοκεῖ σμικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα. Adeone enim videtur parùm Nostra ab inimicis tueri, hostes veritatis justâ refutatione prostrasse, Hæreticos devicisse, Judæos cervicosos fregisse, Animos & fidem Catholicorum confirmasse, Denique Illustribus Commentariis Scripturas explicasse? Ita sanè, Dallæo omnia hæc nihil sunt, Quare vero? cùm Hæretici sint perpauci vel Schismatici (nisi forte demamus omnium novissimos) qui non pullulârunt ab execrabili stirpe antiquorum Hæreticorum, quos ab Areâ Domini, quasi paleas, Majores nostri Catholici non ejecerunt? Nisi jam periit (quod gnaviter contendit Dallæus) omnis Fides Ecclesiasticis Historiis, nisi oculi mei nebulis, quas suo hoc opere suffundit Dallæus, prorsus caligârunt, ut nihil videam, Dæmonia illa meridiana Arrius, Aerius, Valentiniani, Donatistæ, Novatiani, quibus multa habent communia nostri temporis Hæretici, atque Schismatici, victrici Veterum manu ceciderunt. *At quid ista ad Transubstantiationem?* Quænam verò? Nihilne nobis confectum dederunt Patres, quia hanc unam non definierant

controversiam? Vel hanc quæstionem non elucidârunt, quia liber nullus de Transubstantiatione Inscriptus extat? Si de Eucharistiâ, non pauca scripserunt, quomodo Transubstantiationem omnino omiserunt? De cæna Domini Justinus Martyr, Clemens uterque, Romanus scil. & Alexandrinus, Tertullianus, Origines: & Cyprianus (ut taceam reliquos qui intra Centuriam tertiam vixerunt) plurima & egregia tradiderunt: Transubstantiationem verò tam re, quàm nomine nuperam, quî poterant Antiqui expressè damnare? Satis sobrio erit, quod plurima non desint apud Priscos illos, quibus Hæresis illa refellatur: Quod jure dicatur de surculo illo prioris Erroris, Adoratione Sacramenti; de quo pariter offenditur D. Dallæus quod minus memoretur ab Antiquitate; Vel enim de his egerunt Antiqui, vel, ut hîc vult Dallæus, conticuerunt. Si prius, frustrà quæritur ille. Si posterius, optimè contra seipsum disputat, ad finem sui Operis his verbis: *Ubi exurgunt Hæretici Carnis suæ sensu inflati, qui ex ingenio, non ex ullis veræ Religionis principiis hausta dogmata procudunt, ad horum hominum compescendam audaciam peropportunè potest Veterum autoritas adhiberi*, viz. *Si doceas Patribus penitus incognita fuisse quæ isti obtrudunt Dogmata.* Hæc ille. De Transubstantiatione satis actum est apud Veteres, quòd de eâ ab iis, Judice Dallæo, nihil dictum est. Præterea, plena non est enumeratio, licet ampla sit, operum antiquorum. Ingens namque utilitas affertur Ecclesiæ Christianæ ex Historiis Ecclesiasticis. "Est enim Historia juxta Ciceronem, "Testis temporum, Lux veritatis, Vita memoriæ, "Magistra vitæ, nuncia vetustatis; & quâ res gestæ superius ad nostra usque tempora descendunt: quibus compertis & Caveri Errores Pristini, & felicius Præsentes actus dirigi possint.

Pag. 36c.

Cicero lib. 2. De Oratione.

Postremò,

Poſtremò, videant tandem cæci Scripturarum Veneratores quam exitialiore vulnere ipſas per Latera Traditionum hoc argumento trajiciant. Quantula enim pars Controverſiarum, quæ ſuſcitantur ab Argutulis ſophiſtis hujus temporis in ſacris Literis tangitur? Ad vetus enim Teſtamentum quod attinet, ſcio equidem phanatica quædam Capita multùm eo delectari, & credulo artificio ſolere quodlibet ex quolibet extrahere. Tam familiares enim & liquidi (ſi Diis placet) ſunt eis Prophetici ſermones, ut facili negotio (qui fere nihil uti decet illuc callent) omnes fidei Chriſtianæ inde probare ſe poſſe putent, unde docti vix nudis verbis unicum Fidei Chriſtianæ articulum poſſunt aſtruere; ſed per figurarum typorumque myſteria. In iſta autem ſacri Codicis parte quæ Hagiographa complectitur, multa certè agnoſco apertè facientia ad mores informandos, & pietatem augendam, ſed quam pauca ad Fidem noſtram confirmandam ſecundum Literam, non dicam: Peragremus etiam Novum Teſtamentum, divitem Fidei noſtræ gazam; & certè haud plura inveniemus ad Controverſias ſpectantia noſtras, quam tria priora ſæcula ex Veteribus nobis porrigunt. Quid vexatius apud Recentes Theologos reperitur quàm Quæſtio de Juſtificatione per fidem ſolam, & non ſolitariam, prout pueriliter ludunt quidam dicti Evangelici? Auſim apertè affirmare contra utramque familiam tam Lutheri quam Calvini, iſtiuſmodi Juſtificationis neque volam neque veſtigium percipi poſſe à ſincero perſcrutatore S. Scripturarum omnium; nullam, ne ſemel quidem, Fidei iſtius ſpecialis mentionem incidere, quam Reformati plerique doctores explicant, vel potius non explicant, ſed novis & arduis diſtinctionibus quotidie luculentam ex ſe veritatem; & genuinam corrumpunt. Fide enim

merâ

merâ Justificari nos, absque operibus, h. e. Legis, non ipsius Fidei, statuendum est. Fide justificamur rursum non meritis, sive fidei, sive operum; sed ut medio à Deo ordinato: Fide, inquam, solâ justificamur prout comprehendit Fœdus integrum Fidei, seu Evangelium: non quatenus specialis Gratia non rarò audit. De hujus autem virtute disputant acriter dicti Lutherani & Calvinistæ: & immodestissimâ irâ incenditur Lutherus, & stomachatur Johannes Calvinus, quòd Veterum Patrum nulli viderunt illud quod non est; scil. fide, quam finxerunt ipsi, nos justificari: Hinc verò tam impotenter contra optimos Patres sæviit Martinus Lutherus ut nihil abjectiùs aut contemptiùs illis ipsi sit magno Numini. Unus Brentius inquit, in Johannis Evangelium mille Chrysostomis, Ambrosiis, & Basiliis, &c. præponendus.

Lutherus Colloq. Mensal.

Aio præterea De Eucharistiâ, scil. Transubstantiatione, & Adoratione Elementorum, haud pauciora apud Veteres trium antiquissimorum sæculorum reperiri, quam apud Scripturas. Nisi ergo hæ unà cum Priscis autoribus eliminandæ sint à foro, aliud genus argumenti quærendum viro doctissimo putarem. Serò autem sapient Phryges hi. Nam hanc ipsam rationem consueverunt invertere Pontificii adversus ipsas Scripturas. Ita enim Becanus, "Multæ sunt controversiæ circa fidem & Religionem, "quorum vel nulla fit mentio in Scripturis, vel certè "non sufficiens ad hoc ut Scriptura de illis sententiam ferre possit, Qualia sunt De Libris Canonicis, "De numero Sacramentorum, Rebaptizatio, Terna "demersio in Baptismo, Dies Dominica. An Virgo Maria permansit post partum. Hæc ille; Nec aliter Bellarminus, & alii ejusdem partis; quam verè, hîc non laboro; certè contra Dallæum invictissimè. Vel sua ergò neget, vel Adversariorum argumentis, invitus succumbat.

Becanus De Jud. Controvers.

Caput

Caput tertium.

Quod Patrum verè certoque non sunt quæcunque nunc eorum nomine circumferuntur. Sed pleraque vel olim, vel his demum postremis sæculis afficta aut suppostitia. Ratio tertia.

HActenus mitiùs Patribus nobisque egisse vult videri D. Dalleus. Nunc verò animum viresque colligens, nihil minus quam triste & ineluctabile fatum his verbis spirat. " Accedo jam ad longè " maximi momenti rationes : cum superiores illæ " duæ, licet non contemnendæ, leves tamen sunt " præ iis quæ sequuntur. Argumenti autem Achillæi quantæ sint vires supra positi, jam experiendum restat. Quantillæ autem revera sint, quis non videt ? Quis enim nesciat pleraque Scripta tributa Veteribus mentito titulo gaudere ? Plura autem longè esse illa quæ eorum revera sunt, quorum nomina præferunt ? Hac tamen Lactucâ tam crudè & insipidè positâ Labra Laurentii, Rivetti, & Hendersoni, & similium mirificè delectata sunt : quibus omnibus pluris mihi est Reverendissimus noster Episcopus & Martyr Ridlæus : qui contra Papistas disputans sic huic respondet Cavillo. " Sive Joannes " Chrysostomus ille fuit Constantinopolitanus Archiepiscopus, sive Autor alius quisquam, parum " refert. Illius certè sæculi fuisse ac magni nominis virum pro confesso habetur ; adeo ut si aliam " ab receptâ illius temporis, opinionem literis man" dasset, multos sine omni dubitatione in re tanti

Pag. 11.

Ridlæus De Cœna Dom.

N "mo-

" momenti concitasset sibi vel ætatis suæ, vel saltem " subsequentis Antagonistas. Vult scil. Episcopus evertens dogma Transubstantiationis ex Opere Imperfecto in Matthæum, tanti non esse ad testimonium veritati perhibendum, Sintne Opera illa ipsorum Patrum quorum nomina præ se ferunt, modo recepta ab Ecclesia sint, & nullus istius sæculi doctor notaverit tantum errorem, qui sententiæ totius Ecclesiæ contraiverit. Quod & ipse Dallæus male opinor memor postea, tradit dicens, " Neque enim prosunt " aut juvant libri quod ab hoc vel illo scripti sunt, " sed hoc maximè quod vera atque utilia doceant: " quod ab errore avocent, atque à vitiis deterreant. " Expunge si libet Augustini nomen à fronte præ-" stantissimorum librorum De Civitate Dei, & De " Doctrina Christiana; me utrumque opus, etiamsi " nomen autoris nesciero, docebit tamen egregiè, si " legero, multa scitu dignissima.

Pag. 36.

Sed & illud satis prodit Rationis vanitatem quòd nihil habeat peculiare Ecclesiasticis scriptoribus, fatente ipso Dallæo, sed, " Simile quid (inquit) in " omni cùm literarum tum disciplinarum genere ac-" cidit, nec in ulla alia re, vel in Philosophicis, vel in " literis humanioribus magis desudant Critici, quam " dum delectum inter ejus fœtus nothos, vel Adulteri-" nos, & genuinos legitimosque adhibent: sed nullibi " fœdiùs impudentiùsque quam adversus Scriptores " Ecclesiasticos fraus grassata est. Et nos quidem non omnino negamus non nihil prodesse Certorum autorum nomina cognovisse; spectanda autem primùm sæcula in quibus floruisse dicuntur, & judicium Ecclesiæ de istiusmodi opere contendimus.

Pag. 11.

Sed torquet (credo) Virum doctissimum, " Quod " tale sit hominum ingenium ut Veterum qui adver-" satur, exploditur; qui favet, laudatur. Ita ut

Ibid.

" quod

" quod res eſt dicam; plerique non de ſuis opinionibus ex Libris Patrum, ſed de Libris Patrum ex ſuis opinionibus judicium ferunt. Qui nobiſcum ſentit aut loquitur, is Cyprianus & Chryſoſtomus eſt: ſi ſecus, Scriptor eſt recens. Ad hæc autem apertè reſpondemus; Exigui momenti quidem eſſe iſtos Libros in controverſiis definiendis, quorum neque Authorem neque ſæculum probabili admodum conjecturâ adſequi poſſumus. Neque ſanè diſplicet quod ſcribit Perkinſius hac de re. " Cuncti Authores non à ſequentibus ſcriptoribus laudati, & non Authentici facti aliquo Authore probato, vel revera ſunt ſuppoſititii, vel ab Eccleſia rejecti. Hujuſmodi quam pauci ſint, non eſt quod pluribus explicando Lectorem abducam à recto tramite. Perkins Præpar. ad Problema.

Verùm quod ſoliti ſumus invito extorquere, ultro hic vir doctus nobis largitur, viz. hoc quicquid eſt infortunii ſacros etiam Codices inſediſſe: " Nam paſſim, inquit, occurrunt Patrum voces de Hæreticis conquerentium: quod ii ut ſomniis ſuis authoritatem conciliarent, libros quibus ea in vulgus proſeminabant, celeberrimi cujuſque in Eccleſiæ doctoris, imò & Apoſtolorum ipſorum nominibus inſcribere auſi ſunt. Ut autem quam vel leve ſit hoc argumentum adverſus Eccleſiaſticos doctores, vel grave Scripturis, manifeſtum ſit; breve hîc ſpecimen dabimus tam eorum Hæreticorum qui excluſerunt è Sacro Canone libros verè divinos, quàm eorum qui adulterina Scripta & ſpuria in Sacroſanctum cenſum accerſerunt. Prioris ordinis ſunt illa quæ doctiſſimus Whitakerus fere omnia collegit. Sadducæi nullas Scripturas recipiebant niſi quinque Libros Moſis: Hos ſecutus eſt Simon. Manichæi totum V. Teſtamentum rejiciebant; ut & Saturninus. Ptolomaitæ Moſis Libros damnârunt. Librum Pſal- Pag. 12. Whitakerus De Scripturis, Q. 1. c. 13.

morum Nicholaitæ, & Gnoſtici è ſacro Canone ejecerunt; quam Hæreſim Anabaptiſtæ noſtris temporibus renovârunt. Salomonis libros multi olim reprobârunt. Jobi Librum Anabaptiſtæ rejicere atque irridere dicuntur. Novum porrò Teſtamentum variè fuit ab Hæreticis convulſum, à Manichæis, à Cerdone & Marcione, qui nihil fere aliud præter Lucæ Evangelium receperunt. Valentiniani nullum niſi Joannis receperunt: Alogiani contrà, Joannis omnia reſpuerunt. Hæc & plura in Whitakero videre eſt.

Ex alterâ verò parte, ea ſolum (nec tamen omnia) quæ tenuis noſtra exercitatio in Veteribus miniſtravit, memorabo. Petri ergo κηρύγματα primùm occurrunt à Clemente Alexandrino ſæpe laudata: Stromat. Lib. 1. pag. 357, & pag. *635*, *636*, *637*, &c. Petri deinde Apocalypſes, pag. 8*06*. Petri Periodi à Sancto Hieronymo Adverſus Jovinianum, Lib. 1. cap. 14. citantur. Item in Comment. in Galat. cap. 1. tanquam à Clemente Romano ſcriptæ laudantur. Petri Praxes à Clemente, pag. 289. memorantur. Apoſtolorum autem Periodi etiam Photii temporibus extitiſſe videntur, Bibliothecæ, pag. 2*92*. Evangeliorum autem Apocryphorum, vix ullus eſſet numerus apud Antiquos. Ægyptium Evangelium Sabellianos magni feciſſe, teſtatur Epiphanius, Lib. 2. Hæreſ. *62*. & Gnoſticis charum fuiſſe Evangelium Philippi, idem teſtatur, Lib. 1. Hæreſ. 2*6*. Evangelium duodecim Apoſtolorum, laudant Origines & Ambroſius, Præfatione in Lucæ Evangelium: item, ſecundùm Matthiam, Canonicum factum. Prætereo Evangelium Marcionis apud Iſidorum Peluſiotam, Lib. 1. Epiſt. 372. Thomæ item Evangelium ſcripſiſſe Manichæos, author eſt Origines in Lucam, Homil. 1. Quod quidem Thomæ fuiſſe Cyrillus Catechiſ.

chiſ. *6.* pag. *61*. eſſe affirmat, verùm non Apoſtoli, ſed unius diſcipulorum Manis Hæreſiarchæ. Evangelii porro ſecundùm Hebræos meminit Clemens Alexandrinus Stromat. pag. 380. Origines, Homiliâ 8. in Matthæum: & Procemio in Lucam: & Hieronymus Comment. in Caput ultimum Micheæ, ſe illud vertiſſe latinè, ſcribit: ſcriptum autem fuiſſe ſermone Chaldaico, & Syriaco, Literis Hebræis teſtatur, fragmentum quoddam citans. Porro, Matthiæ Traditiones à Clemente Alexandrino allegantur, pag. 380. Stromatum. Enochi quoque Prædictiones à Tertulliano De Idololatria, cap. 3, & 4, & 15. Item De habitu Mulierum, cap. 3. laudantur. Nec Apocalypſim Pauli rejeciſſe videtur Sanctus Auguſtinus Tractatu 98. in Joannem. Ambigere ſum ſolitus, qualis fuerit Iſta Μικρογένεσις de quo Hieronymus, Epiſt. 127. Manſione 185. tandem autem Scriptum fuiſſe idem reperi cum iſto quod Georgius Cedrenus Λεπτογένεσιν nominat: & Conventiculum Tridentinum ſub titulo Floſculorum Bibliæ pridem damnavit: de quo vide Sixtum Senenſem in ſua Bibliotheca: apud quem (cui hæc farrago non ſufficit) plura liceat conſpicere hujuſmodi. Mitto autem quæ huc faciunt apud Euſebium, Nicephorum, Hieronymum, Gelaſium Papam, Athanaſium, & Gratianum; denique apud ipſum D. Dallæum: quæ ſatis ſuperque probant, Nihil ſingula jacula hic tanto conamine, & artificio ab illo adverſus Veterum monumenta intorta, minus hos, quàm Scripturas Sanctas vulnerare: & præterea; operam omnino ſuperfluam inſumpſiſſe Virum Doctiſſ. per paginas octo ſupra quadraginta, varia licet lectione relucentes, quibus fraudes inhoneſtiſſimæ Pontificiorum palam fiunt. Non enim (ſicuti lepidè D. D.) ſolùm Cypriani, Auguſtini, Chryſoſtomi erunt nobis, qui ad palatum noſtrum ſcribunt;

Sixtus Senenſis Biblioth. lib. 2. in Moiſis.

Item Scaliger Animadv. in Euſeb. pa. 16 Euſeb. Eccleſ. Hiſt. 3. lib. 3. κεφ. κε. Nicephorum, lib. 2. cap. ult. Hieron. initio Comment. ſuper Matth. Gratian. Decret. Par. Diſtinct. 15. Dallæus ubi ſupra. Vide etiam Baronium De Martyrologio Roma. cap. 2.

scribunt ; verum etiam Libri erunt Canonici vel (quod perinde valet) interpretatio Canonica qui revera Apocryphi sunt : & Apocryphi vice versa, Canonici illico, prout faverint nostræ sententiæ, vel contradixerint. Dolendum autem puto vicem hîc nostram, Veterumque, quòd vel suam non maturasset Apologiam D. Blondellus, vel præcipitaret D. Dallæus has Veterum sugillationes: Nam si quantum ex inanibus nominibus Fictorum Patrum accepisset adjumenti Causa Presbyteralis, noverat, proculdubio levius tractasset hunc locum ; Eum, enim qui Ignatianas Epistolas μεταποιηθείσας, uti ipse loquitur (ne suppositas dicere necesse sit) ad corvos potius quam ad Scholas utiles esse vult, quando Disciplina Calviniana ex iis impugnatur, non dispudet ex supposititiis, ipso non solum fatente, sed doctè probante, tanquam ex primigeniis Ecclesiæ Archivis multo sui sudore, & Lectoris fastidio disputare pro Presbyterio ab Episcopali jure absoluto, & totus ferè est in gemma illa ex stercore, Decretalium Epistolarum Antiquissimis Papis falsissime ascriptarum, offendenda: nec pollicitus Lineam perpetuam testium suæ causæ, aliam nobis vendit quam cadaverinis istis Decretalibus contortam, arteque Sophistica potius quam sanâ: Non omittit fateor melioris fidei Patres, sed meliore fide non usus in iis allegandis: sed alii id curent, me aliud aliò vocat.

Blondel. Apolog. p.231. Item Præfat. pag.40.

Idem Præfat. ad Apolog. pag.25, &c.

Caput

Caput quartum.

Prioribus & posterioribus sæculis, tempore, imperitiâ, fraudibusque cùm piis, tum malignis genuina Sanctorum Patrum scripta variis in locis immutata & adulterata fuisse. Ratio quarta.

EUndem hîc quoque erranti errorem D. D. doctamque, sed inanem elocanti operam, accidit quod olim Adolescenti, qui μὴ δυνάμενος καλὴν γράψαι, πλουσίαν ποιήσει, cùm nequisset pulchram depingere, pinxit divitem fæminam: Solidis enim sanisve rationibus nescius Patrum evertere fidem, suamve principalem Thesim confirmare, divite nos copia quidem lectissimarum Observationum, & Acatholicorum Romanorum Stropharum, & Sacrilegiorum versus Veteres hic permulcet. Quoniam verò neque locus, neque usus fuerit hîc singula excutere, triplici hoc clypeo excipere, & refellere visum est, universas hujus Capitis incursationes in Veteres, Clemens Alexandr. Stro. pag. 110.

Primò autem, ex suppositis, quòd verè sint illa cuncta dicta quæ hîc objiciuntur; ejusmodi non sunt quæ more Cataclysmi Ecclesiæ faciem ita operiant & dehonestent, quin longe plura sana integrè emerserint, manserintque. Turbari quidem, & nonnihil deturpari claram Ecclesiæ diem pessimis his artibus, non penitus inficiar; tam crassam autem superinduci noctem Antiquitati, quâ auferretur omnis ejus usus, pernegem.

Secundò, (quod sæpius monuimus) hortandus esset Vir Doctus cautius iis ageret argumentis, &, funestis

neſtis artibus quibus, ſcripta fere omnia ordinis humani, &, (quod inconſultiùs factum omnes affirmabunt) Divini quoque petantur. Neque verò ſat e-
Pag.61. rit ipſi aſſeruiſſe Volumina divina longè majore ſtudio aſſervata eſſe quam ulla alia. Manus enim ſacrilegas omnino abſtinuiſſe Hæreticos, nullâ dici probabilitate poteſt, contra innumeras Catholicorum accu-
Tertul. Præſcript. contra Hæret. cap. 38 ſationes. Tertullianus, & alii quos ad manum habeo teſtes multos, tradit, *Illic & Scripturarum & expoſitionum adulterationem deputandam eſſe, ubi diverſitas invenitur doctrinæ: aliàs enim non potuiſſe aliter docere, niſi habuiſſent per quæ docerent Hæreſim.* Imò, quod manifeſtus Scripturarum delator non niſi timidè pronun-
Pag.69. ciaret, hic ipſe earundem Patronus aperte ſcribit, non ſolum Hæreticos, ſed Catholicos quoque Scripturas violaſſe. Sed acutus verſutuſque cùm ſit, facile adverſus Eccleſiaſticos Scriptores invertit, hoc
Ibid. modo. "Hoc unum inde, & quidem ut mihi videtur evidentiſſimè colligo, Nullam Veteribus Catholicis Religionem futuram fuiſſe, vocem aliquam, ſi eam ſententiæ ſuæ repugnare, aut Hæreticorum corruptelis obnoxiam eſſe cenſerent, ex Patrum Scriptis expungere. Vera, quando ita placet, ſint hæc. Aſt minus eſtne veriſimile modeſtiores fuiſſe erga ſanctos Codices? Eſt proculdubio flagrantius & multo magis horrendum crimen: at quantum abſterreat iniquitas, tantum alliciet utilitas, & ingens telum neceſſitas ſubmovendi irreſiſtibile ma-
Pag.61. lum. Quid autem moverit ut diceret, Patrum libros maximam partem negligenter habitos, lectoſque, utinam rationem aliquam addiderat; quæ cum nuſquam appareat; magis ſuadet contrarium illuſtre
Genebrard. Cronolog. An.655. illud exemplum à Vaſſæo apud Genebrardum memoriæ proditum, Theodiſci Hiſpalenſis Epiſcopi & totius Hiſpaniæ Primatis, qui conficta quædam à ſeipſo,

ſo, quum Iſidoro ejuſdem ſedis Archiepiſcopo tribueret, in Arabica verſione Operum ejus, reliquorum Epiſcoporum conſenſu, ſede depulſus eſt; ex illoque tempore Metropolitana Sedes inde Toletum tralata eſt. Porro, Quid rogo in cauſa ſit, quo minus quàm Scripturæ (quæ multoties cenſoriam virgulam & ungues ſunt paſſæ) conceſſo quod læſa ſunt Patrum ſcripta, corrigi & reſtitui poſſint collatis invicem exemplaribus ſinceris? Hoc paulò æquior adverſarius non negabit. "Quid ni enim ϲοφὸν φάρμακον illud "quo laborantibus Scripturis occurri poſſe ſcribit "Auguſtinus, & Veterum ſcriptis fælici ſucceſſu ap"plicemus. Si de fide exemplarium quæſtio verte"retur, ſicut in nonnullis, quæ & paucæ ſunt, & ſa"crarum literarum ſtudioſis notiſſimæ ſententiarum "varietates; vel ex aliarum regionum codicibus, "unde ipſa doctrina commeavit, noſtra dubitatio di"judicaretur: vel ſi ibi quoque Codices variarent, "plures paucioribus aut vetuſtiores recentioribus "præferrentur: & ſi adhuc eſſet incerta varietas, "præcedens lingua unde illud interpretatum eſt, con"ſuleretur: Hoc modo quærunt qui quod eos movet "in Scripturis Sanctis tanta autoritate firmatis, in"venire volunt, ut habeant unde inſtruantur, non "unde rixentur. Hanc inquam rationem qui modeſto & candido animo tenuerit ſcriptis Veterum evolvendis, haud mediocriter difficultatibus hîc injectis ſuperatis, inde proficiet. Qui vero has ſalebras multum ſobrio Lectori moleſtiæ parituras objiciet; reſpondeat, idem quî Scripturarum eadem fere incommoda poſſit devorare.

Auguſt. contra Manichæos, lib. 11. cap. 2.

Tertiò, hinc maximè labaſcit principale argumentum, quod juſto facto ſcrutinio, neque tot neque tantæ ſint corruptelæ monumentorum veterum, quot nos cupit perſuaſos reperiri D. D. Plurimas ſanè oſten-

tati, ostendit autem pauciores, & leviores. Singulas instantias quas hic in dedecus conflavit, Veterum, persequi, fere infiniti laboris esset: Ad quatuor ergo Classes revocare eas juvabit, proderitque.

Ad Primam pertinent quæ malè obtrectandi animo conquisita fuisse, jure censeantur; nullam autem apud sobrium Theologum ansam querelæ justæ præbent. Non enim præcipuam venit in Controversiam quod tantopere à V. D. exagitatur, Utrum, quod uno modo à Vetere traditur Autore, aliter ab alio recitetur, verùm, Utrum ipsa Scripta quæ dicuntur Originalia, corrupta sint. Nonnulla esse violata & corrupta apud Origenem ipsum, reflagante sanè & ridente Hieronymo, credo: fidemque mihi facit Invectiva Secunda, vel, uti ipse Ruffinus velit, Apologia contra Hieronymum: Item Epistola Ruffini ad Macarium, denique Excerpta quædam ex ipsius Origenis Epistola apud Ruffinum; conquerentis & detegentis dolos adversariorum ejus. Sed & idem illic Origenes commune ipsi & Apostolicis Literis malum fuisse testatur: & fere iisdem verbis disputat Ruffinus quibus supra D. D. sic. "De Hæreticorum verò temeritate, ut credi ista facile possit, illa res maximum credulitatis præstat exemplum, quod abstinere impias manus, ne à Sacrosanctis Evangelii vocibus potuerunt. Apostolorum vero vel actus, vel Epistolas, qualiter polluerint, qualiter corroserint; qualiter in omnibus macularint, vel addendo impia vel auferendo quæ pia sunt, siquis vult plenius scire, ex his libris Tertulliani, quos adversus Marcionem scripsit, plenissime recognoscet. Hæc & multo plura Ruffinus. Profitetur insuper quædam se immutasse Origenis libris reperta; nec tamen quæ dictata sunt ab ipso, sed ab Hæreticis inserta. Esto verò, ne jaculi ictum declinare, non ferre posse videatur

Ruffini Invectiva 2.
Idem Epist. ad Macarium

Idem De Adulteratione Librorum Origen. ex Epistola ipsius.

deatur causa nostra, Fatetur Hieronymus apud D.D. Ruffinus quoque fatetur se ad Catholicam Normam quædam Origenis reduxisse: non dissimulem ipse solummodo autoritatem istorum Interpretum ut plurimum habere illa, non autem Origenis. Extant tamen quædam à Sanctis Patribus excerpta ab ipso, extant alia Græco sermone quo scripsit ille Pater, & nuper Rothomagi prodierunt duo ejusdem Volumina, quæ immutata fuisse arbitrio Expositorum dici nequeant. Quod etiam dici de Hilario, & Eusebio Vercellensi possit. His namque propositum non fuit interpretum munus agere; & propterea quæ ab Origene desumpserunt, non Origenis autoritate sed propriâ pendent. Monstrandum potius hic erat vel Hieronymi, vel Ruffini vel Hilarii, vel Eusebii Vercellensis interpretationes adulteratas fuisse, & à genuina puritate descivisse.

Secundæ Classis sint illæ Alterationes, non autem Adulterationes Liturgiarum antiquarum, quæ Apostolorum vel Virorum Apostolicorum nomine circumferuntur. Nemo enim nunc dierum invenitur, (nisi forte impudentes quosdam Pontificios doctores dempseris) qui asserit istas, eâdem, quâ nunc leguntur, formâ editas fuisse à Viris istis, Jacobo scil. Clemente, vel Chrysostomo, vel Basilio. Probabili tamen conjectura utuntur qui existimant ab ipsis, quorum nomina præferunt, prima accepisse elementa; & postea, pro temporum ratione, Ecclesiæ ædificatione, & sequiorum (ut quod res est recludam) superstitione, aucta in præsentem conditionem. Fas namque esse Ecclesiæ officia Publica mutare pro suo arbitrio, quatenus tulerit Verbum Divinum, credimus: quod & Andreas Massius Cassanderque apud D.Dallæum, aliique observarunt. Tantum ergo habent illæ autoritatis, quantum fidei Ecclesia in quâ reci-

 piuntur,

piuntur, si integrum corpus spectemus ; Majoris autem, sicubi præsenti Ecclesiæ isti contradixerint: nisi forte excipias res conditionis purè adiaphoræ, quarum potestas in Ecclesiâ residet.

Tertia Classis meritò ea multò levioris notæ complectatur, quæ Recentiores Punicâ fide ab Antiquis citârunt. Quomodo autem istiusmodi querelæ huc attineant, ne suspicari quidem possim. Quis autem dubitat Cumulum criminum quibus Veteres gravantur, omnem modum superaturum, si posterorum quoque iniquos mores æquum sit Ipsis deputari. Extra
Pa. 68, 69, 70. oleas ergo prolixâ oratione, quæ Gratianus imperitè admodum corrasit ex Patribus, his, non soli ipsi tribuuntur: ut & quæ vilia Romani fastûs & Tyrannidis mancipia affingere & assuere Niceno Concilio, & forsan aliis conciliis, etiam post detectas fraudes & impudentiam victam, erratis Veterum accensentur:
A pag. 71. ad 75. & illa non ad saturitatem, sed nauseam ex Dionysii exigui inhonestis artibus producta oratio. Probandum certè erat vel ex Dionysii unius fide, rem Religionis geri; vel Anastasii Bibliothecarii, & non po-
Pag 76, & 77. tius ex fontibus ipsis; vel fontium fidem lædi ex turbidis istiusmodi Rivulis. Nec Novum desiderant responsum, quæ arguunt infensissimos mores Latinorum, Græcorumque in Conciliis habendis, & altercationibus de Religione, detorsionibusque in utramvis Partem Antiquorum. Nec ad aliud, quam ad pompam Sermonis, chartamque pingendam multis magnisque nominibus faciunt, quæ hic ex Thoma, Bellarmino, &, quando ita velit, sexcentis aliis afferantur, quibus indicatur Veteres per fasque nefasque trahi in Factiones contrarias; quod fieri quotidie vidimus, tam in prophanis quam Sacrosanctis Scriptis.
Ambros. in ca 3. Epist. ad Titum. Unde Ambrosius Hæretici definitionem ingredi vult: « Quod per verba Legis Legem impugnat. Propri-
« um

"um enim sensum astruit verbis Legis, ut pravita-
"tem mentis suæ Legis autoritate commendet. Sci-
"ens enim Impietas autoritatem Legis multùm va-
"lere, fallaciam sub nomine ejus componit, & quia
"res mala per se ipsam acceptabilis esse non potest,
"bono nomine commendetur. Hæc ille Putativus
Ambrosius.

Proxima his sunt naturâ, loco, & pondere, quæ memorantur, & justissimâ notantur censurâ, sed superfluâ; quòd scil. corruptè & truncatim inseruntur Breviariis & Missalibus Pontificiis. Ex his enim non disputari volumus, sed Libris ipsis Veterum. Quod dicendum pariter, de iis quæ fusè disputantur, quibusque ostenditur, non tam mutata quam abolita & deleta esse quædam scripta Veterum; vel rectiùs dixerit quis, nullius plane esse momenti: nisi simul probaverit solitum fuisse Cuipiam in suæ sententiæ confirmationem citare illa quæ nusquam extant, sed perierunt ab hominum memoriâ. "At ridiculum est (Cicero teste) ad ea quæ "habemus nihil dicere, quærere quæ habere non "possumus.

A pag. 93. ad 99.

A pag. 99. ad 102.

Cicero pro Archia Poeta.

Sequitur post hæc non dissimile argumentum de malitia Expurgatorum sumptum: qui certè amplam segetem Querelis sobriorum cùm Theologorum, tum hominum cordatorum ministrârunt: Prudentibus enim & oculatis longè suspectiorem quàm tutiorem suam inde causam reddiderunt. Majorem tamen animum quam vires hic sumpsisse V. D. paucis demonstrabitur. Ipsis etenim Expurgatoribus ad manum est purgatio; Veterum putà scripta se non violasse, sed in Recentiorum duntaxat animadvertisse. Illorum tamen Indices correxisse non negant; non autem ipsos textus mutasse affirmant: quod maxima ex parte verum est. Quasi

vero inquit D. D. post Rivettum, Chamierum, Perchinsium & alios, *Diversus ab Indice textus, aut à Textu Index.* Quibus ego magnis licet Theologis, Quasi non esset, satis regero. Instanti autem D. D. viz. "Quæ ex Indicibus expurgantur, ple- "runque sunt ipsius autoris verba, v. gr. Atha- "nasii, Augustini, Respondeo, Hoc pacto ipsos Autores vitiari, nequaquam sequi. Sunt enim Indices non ipsorum tractatuum pars quævis, sed appendicula ab alio, quam autore Operis, confecta. Indices autem grassatam esse Papistarum fraudem, res ipsa, Expurgatores ipsi, & ipse adversarius Præfator agnoscit dicens, *Quo tectior fuerit & excusatior eorum improbitas, injuriosi præcipuè in Indices fuerunt; obelisco configentes quicquid Pontificiis erroribus repugnare videatur.*

Pag. 106.

Index Exp. Cardinal. Quirogæ pag. 267.

Quarti ordinis objecta de versatili genio, & versuto ingenio Papistarum, quibus eludere consueverunt Veterum contra ipsos testimonia, unde sequi videatur, nullius momenti fore aut usûs in controversiis dirimendis, ante hac tulerunt responsum; nim. argumentum esse nimium probans: quia pariter convellat omnem usum testium mortuorum, quos non minus vafris deludere responsionibus possint ejusmodi Sophistæ; sint vel Divinæ autoritatis. His ergo expensis immeritò importuna hac ratione hunc Locum clausisse videbitur D. D. "Quisquis es, qui salutis tuæ doctrinam in Vete- "rum libris investigare, tua referre in animum in- "duxisti, ex hujusmodi Strophis Fallaciisque, quas "velint nolint in lucem protrahimus, disce quot & "quantis curis, Veterum circa Sacra sententiam, "ubi vel tantillum à suâ recedebat, oculis nostris "subducere statuerint. Attende etiam, quàm ip- "sis facile fuerit, & nunc etiam fit, hac in re om-

Pag. 119.

"nino

" nino suo more gerere, & apud te statue magnos
" conatus pares successus non defuisse. At quam inanis ante victoriam triumphus hic sit, & consilium intempestivum, perspicient statim illi, qui probè norant post toties saltem repetitum quæstionis articulum, neminem scriptis humanis aut autoritate velle fidem suam subniti; sed solo Verbo Divino: quod ut iis certius feliciusque succedat, Divinis oraculis adjungunt Ecclesiasticam Traditionem, non tamen eodem ordine; sed Doctorum, Judicum, testiumque veritatis; Rectene, vel secus ex iis Philosophemur: quod haud dubiè consequi quivis Mediocriter exercitatus possit, multò facilius quàm privato suo spiritu aut ingenio; quamvis detur plurima hîc quoque offendicula occurrere solere, & præjudicia, quovis lectore non amovenda vulgari.

Caput

Caput quintum.

Ratio quinta.

Non facile esse Patrum scripta intelligere, tum propter linguas & Idiotismos quibus utuntur, tum propter rerum explicandarum varietatem, Rhetoricæ & Dialecticæ artificiis obscuratam, & impeditam rationem, tum quod plerasque voces alio, quàm qui nunc in usu est, sensu, usurpent.

ANtiquum hîc obtinens Dallæus, frustraque se lectoremque fatigans, deludensque, factus est (ut Propheta habet) quod Ephraim, *Panis subcineritius qui non reversatur:* Altera scil. pars torrefit, alterâ argumenti sui parte crudâ & frigidâ manente. Unde enim tam inopes judicii rationisque esse convincimur, ut non nisi edocente & demonstrante D.D. Homines fuisse sanctos Patres perdiscamus; & potuisse factis & dictis delinquere? Hoc potius viri tanti acumen desiderare videatur; ut doceamur, quòd, quia Veteres sancti, Homines fuerunt, Moderni doctores, sint licet Reformatissimi, & duces suorum Gregum, Angeli sunt; & à communi Labentium sorte exempti: aut quia isti possunt, solentque errare, Hi non possunt: His demum Scripturas suo more explicantibus fas sit auscultare, imò pene nefas non auscultare, illis autem superstitio, & sacrilegium.

Oseæ cap. 7.

Præterea, Quis hîc V. Clariss. non perdoleat cæcam miseramque antiquos remordendi Libidinem, Scripturas ipsas atrocius morsibus istis lacerantis?

Præter

Præter enim figuras illas, & modos dicendi, quos Lingua Sancta unà cum aliis habet; nulla Lingua plures habet Idiotismos, nulli authores plus Peregrinitatis habent auribus nostris dissonæ, quàm Scriptores Sancti. Quod quoniam cuivis satis sit notum mediocriter docto, odiosâ illâ operâ Instantiarum libenter nos subducimus. Qui dubius fuerit, adeat si placeat, Flacci Illyrici unius Tractatum De Gausis Difficultatum Sacrarum Literarum, ubi quinquaginta & unam inveniet causas obscuritatis Scripturæ. Vel sex Idiomata Sanctæ Linguæ perpendat quæ Henricus Hortingerus notavit in suo Thesauro. Secundum solùm hic proferemus, atque eò magis quòd non dubitem Rabbinorum mentem malè ab eo redditam, " Non egreditur Scriptura extra simplicem & " Literalem sensum. De quo sic Glossam facit Hortingerus. " Viderunt nempe illi sensum Scripturæ " (qui forma ejus est) non esse nisi unicum, literalem, " Grammaticum, Historicum: quod repugnat universæ Scholæ Rabbinorum, apud quos nihil crebrius auditur quam Allegoricus, & Mysticus sensus. Sin autem unicus esset tantummodo probandus Literalis sensus, quid obsecro fiet argumentis Evangelistarum & Sancti Pauli, qui rarius quidem secundùm Historicum sensum Veteris Testamenti disputant? Si respondeatur cum Modernis nonnullis; Non esse diversum sensum, sed modum diversum tradendi eundem sensum: nihil aliud dicitur quam Literam quidem esse eandem, fundere autem varios sensus. Puto ergo mentem hanc fuisse Rabbinis, Talem viz. Linguæ esse rationem, & idiomata talia, quæ non patiantur eam in exteras traduci linguas, aut rotundè & plenè reddi. Quod Hieronymus non uno in loco affirmat, " Difficile est, inquit, Idiomata Hebrææ Linguæ in Sermonem Latinum vertere: Unde

Flacc. Illyric. De Ratio Cognosc. Sacras Literas cap. 1.
Joan. Croius Observ. ca. 34
Hortingerus Thesaur. li. 1. cap. 2.
Munster. Præfat. in V. Test.
Hierony. Quæst. in Genes.

de paulò pòst Barbaram illam appellat, " Nec mire-
" mur, inquit, Barbaram Linguam suas habere pro-
Id. Episto. 145, & 146. " prietates. Et alibi, sed quoniam hæ minutiæ, &
" istiusmodi disputationis arcanum propter Barbari-
" em Linguæ pariter ac Literarum legenti molesti-
" am tribuant, &c. Siquis hîc ad singula descenderit, quæ speciem in Historicis Contradictionum habent, in Metricis tentata, potius quam comperta sunt summè eruditis (utut Ludovicus Capellus jactet se metrorum Hebræorum accuratam rationem habere) quæ in Propheticis involuta sunt, quæ in Evangeliis Parabolis ornata, & in Epistolis divinis, figuris & Prosopopœis variegata sunt, facile experietur Scripturas tam Humanis, quàm Ecclesiasticis scriptis perspicuitate cedere. Plus quam viro prudenti aut Theologo sobrio, aut denique Critico perito satis esset, quod à Ludovico Capello præstitum sit in eo genere.

Neque quid causæ sit, quare succenseat Hieronymo hîc Dallæus, video: quòd sæpe inculcat, " Pau-
Dallæ. p. 280.
" lum Hebræum ex Hebræo profundos sensus alienæ
Lege Irenæum, lib. 3. c. 7. " linguæ exprimere non valere, solœcismos in verbis
" facere, non posse Hyperbaton reddere. Nam quis suspicari debet Apostolum ex animo non locutum,
2 Corin. 11. 6. quum ipse de se scribat, *Sermone* (h. e. Græco) *imperitum se fuisse?* Unde manifestum est cupiisse sibi Comites Evangelii prædicandi Græcis adjungi, qui linguam istam optimè callerent. Hinc Hieronymus in verba illa, Epist. 2. ad Corinth. " Non habui requiem, &c. sic scribit: " Ergo Paulus valefaciens Trojanis, sive
" Troadensibus profectus est Macedoniam, ut inveni-
" ret sibi Titum, & haberet Interpretationis Evan-
" gelii solatium. Quanquam enim Divino Linguarum munere instructus esset pro re nata, & impellente Spiritu mirabilia Dei variis sermonibus eructare potuit,

tuit; Dona tamen iſta non ad modum naturalium principiorum pro libitu habentium, ſed ad placitum Donantis operari, certum ex Scholis eſt: Propter ordinariam ergo Evangelii diſpenſationem, Interprete opus fuiſſe Apoſtolo, probabile eſt admodum, nec immodeſtiæ Sanctum Hieronymum meritas Dallæo dare pœnas, debere.

His vero in tergum rejectis propius accedat ſermo noſter ad præjudicia D. D. Sint autem duûm generum: viz. Peccata Grammatica, & Logica; Loquendi, & Diſputandi. De priore ſic poſt Rivettum nos præmonet: *Ad Veterum libros probè intelligendos imprimis eſt neceſſaria linguarum, quibus ſcripti ſunt, Græcæ ſcil. atque Latinæ, accurata cognitio.* Solis ſcil. Patribus legendis atque intelligendis hoc perneceſſarium eſt; non verò pariter omnibus Philoſophis, Rhetoricis, Mathematicis, maximè verò omnium, Poetis, & Scriptoribus divinis: Porro, Quis conſtituit quemlibet Judicem, vel ignarum Literarum? Paucorum quidem ex Doctis id muneris eſt, ſive ex Doctoribus Eccleſiæ ſive Scripturis; Tum demum doctum ſatis erit vulgus, quando noverit doceri, & regnabit, quando parere. Quod Hilarius innuit, ubi tres linguas (quot ſcil. titulus Chriſti Crucis præferebat) à ſtudioſo Divini verbi poſtulat. *Myſterium voluntatis Divinæ & expectatio beati regni tribus iſtis linguis erat annuncianda.* Auguſtinus aſſerens tres iſtas linguas ſuffeciſſe ad ſcripturas intelligendas, monet expedire ſaltem accedenti ad illas ne ἀναλφάβητος iis ſit. Veterum nulla fere in uſum pervenerunt opera, quæ Linguâ Latina & Græca non complectantur: Neque quæ duabus iſtis originariè extant, habemus. Et quemadmodum diſſueſcentibus Linguis in quibus primùm Scripturæ exaratæ fuerunt Hebræa, Græcaque, erant qui ſenſum earum commoda interpretatione ig-

naris impertirent, ita teste Epiphanio in solatium & ædificationem populi introductus est ordo in Ecclesiam Ministrorum, quos ille ἑρμηνευτὰς γλώσσης εἰς γλῶσσαν, ἢ ἐν ταῖς ἀναγνώσεσιν, ἢ ἐν ταῖς προσομιλίαις nuncupat, h. e. Interpretes linguæ in Linguam, sive in Lectionibus, sive in Homiliis: quod hodie quoque fit providentia Divina & Eruditorum industriâ; fere omnibus Græcis Latinè loquentibus, imò plerisque vernacula lingua cujusque gentis Christianæ, perlectis.

Ab hoc autem loco, malevolo equidem revertitur animo Dallæus ad præteritum: & suprà jugulata novo Spiritu animat. Nam Recentiorum vitia (si-
A pag.122. ad 131. qua sunt) Veteribus affigit longâ operâ. Ruffinum enim, Pamelium, Baronium, Christophersonum, & alios pessimâ fide Patres tractasse ostenditur. Hoccine autem vitio vertendum ipsis est? Dicet for-
Pag.129,131, 132,133. tasse quis, Et Patres ab ipso obscuritatis & ambiguitatis postulatos: quod manifestò patet ex Cardinali Perronio, verba Theodoreti Transubstantionem destruentia, pro ea contorquente. Quasi verò ingeniis nodum in Scirpo quærentibus tutum quic-
Quintilian lib.7. Orat. Instit. cap.9. quam esse poterit. Amphiboliæ enim (teste Quintiliano) innumeræ sunt species, adeo ut Philosophorum quibusdam nullum videatur verbum, quod non plura significet. Rectè enim Chrysippus apud Au-
Aul. Gellius, lib.11.cap.12. lum Gellium dixit, *Omne verbum suâ naturâ ambiguum esse:* quoniam ex eodem duo, vel plura accipi possint: licet Diadoro cui Crono nomen erat nullum verbum esse ambiguum placuit, nec quenquam ambiguum dicere, aut sentire. Quam Philosophorum Discordiam ab ipsa Ortam ambiguitate, suspicior. Verbi enim in nobis nulla est ambiguitas, Vocabuli autem ut in se est spectati multiplex acceptio esse possit.
Ridleius De Cœni Dom. pag.74. Unde optimè huc faciunt quæ Doctissimus Ridleius contra Papistas observavit. "Me minimè latet ni-

"hil

" hil tam apertè tam integrè vel dici vel ſcribi poſſe, " quin callida & fucata oratio eidem non dico tene- " bras offundere, ſed aliâ atque alia formâ induere " queat; quòd à quibuſdam pro ſuo qualicunque in- " genio & eloquentia, quibus tamen ſe palam vendi- " tant, factum videmus, ut & oculorum & aurium " ſenſum rudioribus adimerent, adeo ut nec auri- " bus perſentiſcere, nec oculis cernere illis liceat, " quod nihilominus ab ipſis autoribus clarius ſcri- " ptum eſt, quam ut lippos & tonſores, quod dici ſo- " let, fugiat quod in hac re retinendum ſit. Quod nequis putet Eccleſiæ ſolis doctoribus contigiſſe, audiat quod Panſtratiaſtes Chamierus neſcivit de Scripturis diſſimulare; " Aliquando ita contexta ſunt " ejus loci vocabula, ut varium ſenſum propter ho- " monymiam vel amphiboliam pariant. Quædam " ex ignoratione morum rituumque Antiquorum fa- " cta ſunt obſcura: Et in eo Lutherus quid ſentiat de Scripturis: " Hoc ſane fateor, Ecce multa loca in " Scripturis obſcura, & abſtruſa, non ob Majeſtatem " rerum, ſed ob ignorantiam vocabulorum & Gram- " maticæ, ſed quæ nihil impediant ſenſum omnium " rerum in Scripturis neceſſariarum——— Stultum " autem & impium eſt ſcire res Scripturæ omnes in " luce clariſſima poſitas, & propter verba obſcura " res obſcuras dictitare. Hæc de Veterum ſcriptis poſſintne reſponderi, vel ſecus, arbitrium ſit apud authorem Argumenti. In confeſſo tamen eſt nobis, Patres, inclinante in deterius Linguæ Latinæ puritate, plurimis ſuorum ſæculorum phraſibus delectatos, non ſervatâ vetuſtiore loquendi formulâ, ſed novâ affectatâ. Hujus tamen generis admodum pauca habemus à D. D. hic notata. Joannes autem Fileſacus multo plura animadvertit, & in ſciolorum & ſuperſtitioſorum gratiam juſto commentario illu-

Chamier. Panſtrati. To 1. lib. 15. ca. 4. Sect. 6, 7

Joan. Fileſacus Selectorum. lib. 1. cap. 14.

 ſtravit;

ſtravit; quem Lector, ſi placeat, adeat.

Pag. 137. De illo proxime diſpiciendum, “Quod interdum “ſtudent Veteres animi ſui ſenſus penitus occultare, “vel ſaltem oſtendere non nuda, & aperta in clara “luce, ſed objecto ut dicam velo, & quidem aliquan- “do ſatis denſo, ita ut non niſi Lynceis oculis ſit “pervium. Conſultò factum hoc eſſe aio. Omnia enim Religionis myſteria quibuſlibet Chriſtianis ſta-
Sen. Epiſt. 95. tim non eſſe prodenda, cum Seneca exiſtimo: “qui “Sanctiora Sacrorum (inquit) tantum initiati ſci- “unt: ita in Philoſophia arcana illa admiſſis & re- “ceptis in Sacra oſtenduntur. Habuerunt enim
Origenes contra Celſum. lib. 1. Gentes λόγους ἐξωτερικοὺς & ἐσωτερικούς, teſte Origine contra Celſum, qui Chriſtianis hoc quod Bonus Dallæus,
Clem. Alex. Strom. lib. 5. objecit. Rationem autem reddit Clemens Alexandrinus Conſilii tam Ethnicorum quam Fidelium ſemoventium myſteria religionis à vulgi conſpectu, τὸ κάλυμμα κώλυμα τῆς λαϊκῆς ἀπιστίας· h. e. Tegumenta ſunt impedimenta Laicæ incredulitatis. Cui ſuffragatur
Baſil. M. De Spiritu Sanct. Baſilius M. Τὸ μὲν γὰρ εἰς τυχόντας ἐκφέρειν τὰ τῆς σωτηρίας μυστήρια καὶ πάντας ὁμοίως παραδέχεσθαι τοὺς μήτε βίῳ καθαρῷ μήτε λόγῳ ἐξετασμένῳ καὶ ἀκριβεῖ κεχρημένους, ὅμοιον δοκεῖ ὥσπερ ἂν εἰ ἐν ἀγγείῳ τις ῥυπαρῷ τὸ πολυτίμητον μύρον ἐμβάλλοι. Rectè utique Erudititiſſimus
Iſaac Caſaubon. Exercit. 16. nu. 43. Caſaubonus Hodiernos vulgi palpones Miniſterculos ferit, “Qui officio ſuo nunquam ſe ſatis fideliter de- “functos putant, niſi graviſſima quæque arcana ſa- “pientiæ Dei cuivis ex ima fæce Populi expoſuerint, “nihil reveriti τὸ ὕψος τῶν διδασκομένων. Quod ergo (ut cum Comædo loquar) *Ille maledictum vehemens eſſe exiſtumat, Eam laudem hic ducit maximam.* At quomodo controverſiæ ex his nubibus clareſcant? Reſpondeo, Nubes quidem indoctis, ſed Lux eruditis ſatis clara erit. Et ego nullo modo Plebeculæ ſciolæ eſſe putem judicare de iis, ſed judices etiam vivos ſequi apertâ non contranitenti Luce Sacroſanctorum Scriptorum.

ptorum. Nulli Genti Veteres quàm Græcis relligiosius coluntur: ipsi tamen cavendum maximè tradunt usum eorum imprudentem & temerarium. Unde Nicetas Bizantius sobrium admodum Consilium Viro cuidam Clarissimo dat. Nicetas Bizantius pro Synodo Chalcedon.

Πολλὰ γὰρ (inquit) τοὺς πατέρας ἐστὶ κατάχρησιν, ἤτοι κατὰ μεταφορὰν, ἢ ὁμωνυμίαν, ἢ ἀντιστροφὴν ἢ ἄλλως πῶς ἐστὶν εὑρεῖν λέγοντας· καὶ οὐ μόνον τοῦτο, ἀλλὰ καὶ αἱ θεῖαι γραφαὶ, καὶ ἡ συνήθεια οὕτως τὰ ὀνόματα μεταχειρίζει.

viz. *Quoniam multa invenire est à Patribus catachresticè, vel Metaphoricè, vel æquivocè, vel per contrarium, vel alio quovis modo dicta: Neque ab istis solummodo, verum etiam & Divinæ literæ istiusmodi transmutationes habent.* Hoc quoque argumentum susius pertractatum ab Eulogio Alexandrino, apud Photium legere est. Nemo autem vel Antiquiorum vel recentiorum propter hos nævos (siqui dicendi) ablegandos Patres Sanctos ausit affirmare, ante seculum unum aut alterum novissimum. Viderunt scil. Majores nostri præter rei improbitatem, & moris hujus immodestiam, unà tam divinos quàm humanos authores eodem pugione confodi. Photius Biblioth. num. 225.

Atqui non fortassis mentio obscurior, sed Studiosa (inquit) reticentia eorum quæ ad Hodiernas Controversias spectant; De Eucharistia, De Confirmatione, & aliis Christianorum sacris cæremoniis. Meminisse oportuit Virum D. eorum quæ paulo superius recte tradidit, *Sapientes quam minimum possunt dubia in religione movent.* De Eucharistia autem satis supradictum est. De Confirmatione autem, an conticuerint penitus, Ipse sit testis qui Libellum ea de re scripsit: item contra ipsum, Doctiss. Hammondus, Libello de Confirmatione; & præterea complures Veteres; adeo ut videatur potius negare Patres ad mentem suam aut palatum, quam simpliciter scripsisse de Confirmatione. De Cæremoniis quoque satis

Pag. 137.

Pag. 133.

tis

tis quam velint Hodierni plerique ediderunt, sed parum fateor, aut nihil ad cor eorum: Ita autem vulgo comparatum, ut quæ pro nobis dicta non sunt indicta habentur.

Pag. 138, 139. Jam vero post communem aliis Patribus, ad singularem pugnam cum Epiphanio descendit V. Doctus; nisi enim ceciderit Epiphanius, stare nequeat Papismus Genevensis: & nisi in vitam revocetur Patriarcha Disciplinariorum Aerius, quem extinctum multis jam sæculis elapsis vidimus manu Epiphanii, nova Presbyterianorum Dynastia Ecclesiæ Dei imperitans æternâ nocte obruetur, cum suo primo Autore. Hinc illa simplicitas, hinc inscitia, hinc Credulitas Epiphanio exprobrantur. "Fuit (enim inquit) Vir "ille Sanctus sed Grammaticæ rudis admodum & "Rhetoricæ: ut satis apparet ex ejus Operibus, in "quibus non solùm rationis nitorem, sed etiam Syn- "taxim & periodorum structuram, orationis omnem "lucem desideres. Et aliud agens, Epiphanius ve- "rò (inquit) ut ingenio erat simplici & aperto, & si "dicere licet incauto, & nimis credulo, sic acer fuit "& vehemens in iis omnibus retinendis, quæ sancta "esse & vera in animum induxit, ideoque facilius "abreptus ad multa admittenda, quæ ut semel susce- "perat, non facile dimittebat, sed retinebat mor- "dicus. Petavium priore parte iniquæ censuræ imitatum fuisse D. D. crediderim; apud quem haud dissimili nota inuritur, quòd (sat scio) quasdam Pontificias superstitiones, ut & Presbyteriales confodit. Acrem fortassis, & non minus æquam tulit sententiam in ipsum Petavium Vir Doctus, scil. minus summâ expectatione ipsum præstitisse in Commentariis in Epiphanium: Quod ni fallor sobrius & cordatus experiatur Lector, dum redundare quidem in Locis quibusdam communibus inveniet, in arduis autem

Pag. 172. [margin, beside "lucem desideres. Et aliud agens"]

Montacut. in Episto. Photii Annot. [margin, beside "sententiam in ipsum Petavium"]

autem & obscuris sibi cavere, & lectorem dimittere suspensum. Acrior vero an verior sit illa Eruditissimi Croii de Editione ista Petaviana Epiphanii censura statuant alii: *Mille, nim. eam scatere mendis, & diligentiore & doctiore manu indigere.* Magis me fateor moverent quæ de eodem Patre dicta sunt ab Erasmo nimis asperè, nisi fere morem fuisse docto illi Viro animadverterem, ubi proponit sibi laudibus evehendos antiquos à se editos, non putasse satis se suo instituto fecisse, nisi adversarios, aut æmulos, si quos haberent, aliquanto dejiciat. Hinc fit, Chrysostomum commendanti, dicitur Epiphanius parum eruditus. Quando autem Basilius ederetur ab ipso, Chrysostomus dilutus & verbosus præ illo audit. Ad Hieronymum item præfatus subsidere cogitur Augustinus. In Libros autem ejusdem præfatus, tantùm non ad cœlos attollit. Plus verò ponderis apud me habet Sancti Hieronymi Elogium, qui non solùm Grammaticum sed Pentaglottum fuisse scribit, non uno in loco; item Suidæ, qui Epiphanium Legi à doctioribus propter res, à sciolis autem propter verba. Recentiorum autem Angelus Caninius non modo Sanctum, sed Sanctissimum, nec Sanctissimum solum sed doctissimum laudat. Quibus concinit Maldonatus, contra Dallæum toto cœlo. Qui sic scribit, *Si antiquitate res dubia finitur, Origenes vincet; si judicio, diligentia & gravitate testium, Epiphanius; vir Eruditus, & minimè levis ad credendum ingenii.* Denique Casaubonus virum judicat Sanctissimum Epiphanium fuisse, & ea retulisse in literas quæ certa fide essent comperta: Nec verò vel ignorem vel dissimulem Jacobum Capellum credulitatis nimiæ Epiphanium fuisse ea in re de quâ Casaubonus, affirmare. Quis autem mores Censoris D. D. patienter tulerit, qui Veteres utrinque lancinat? Nunc enim inidoneos

Observat. in Nov. Testam. cap.19.

Erasm. Præf. Lat. in Chrys.

Hieronymus Advers. Ruffin. lib. 3. ca. 3. Item De Scripto Eccles.

Angelus Canin. de Lo. No. Testam. cap.2.

Maldonat. in cap.14 Lucæ.

Casaubon. Exercitat. 13. num.22.

Jacob. Capel. in Vindiciis pro Casaub. lib. 1. cap.4.

Q neos

neos arbitros in Causis Religionis statuit, quod nimium Rhetoricantur: Nunc verò quod elegantuli non sint; quum ipse Epiphanius suum institutum simpliciter exponit, Orationem scil. secundùm artem comptam ipsi non fuisse curæ, sed beneficium legentium. Οὐ γὰρ τῆς κατ' ἄσκησιν λογολεσχίας μόνον, ἀλλὰ τῆς διὰ τῶν ἐντυγχανόντων ὠφελείας.

Epiphanius Hæres. 31.

Quoniam verò parum tanto animo fuerit unum jugulasse Patrem, extra ordinem & institutum, Tertullianum, Hilarium, & Chrysostomum cum aliis nonnullis percellit Vir. D. de quibus post hinc proprius dicendi locus erit. Superest ut hic alterum Exceptionum caput breviter excutiamus, quo V. D. à modo loquendi ad modum disputandi Veterum, transiret, nisi tam sterilem agrum versaret, ut nihil prius aut posterius exagitandum reperiret, nisi, æstum disputandi talem fuisse Patribus, ut arriperent quasdam occasiones aliud quam oporteret, dicendi; quam cavillationem non dubitem, quin à Cardinali Perronio mutuatus sit, ut multa alia. Falsam autem omnino esse hanc accusationem illi soli ignorant, aut desitentur, qui post inculcatam Dallæi monitionem, nesciunt Patres homines fuisse. Humanum enim hoc modo errare, esse, vel argumento esse possit, summum illud Sophistarum flagellum Aristoteles, cui vehementi sophismatum eversori, morem fuisse, testatur Andreas fidus comes & interpres ejus, quod dum pertractat materiam aliquam disputando, non solum reddit rationes probabiles, & necessarias, sed etiam sophisticas. Et, si quod res est liceat aperte proferre, nunquam me legisse memini vel Theologum, vel Oratorem, vel Philosophum, qui sit Antiquus, sit modernus, prolixa oratione vel veritatem defendens, vel errores damnans veris argumentis non interdum admiscuerit fallacia; semper

Pag. 140, 141, 142.

Antonius Andræas Comment. in lib. 7. Arist. Metaphys.

ſemper tamen excipere ſoleo Scriptores Θεοπνεύστους, & ſolatii quidem & ſpei nonnihil erit comites Patribus hoc infortunio adjunctos eſſe Proteſtantes charos nihilominus D. Dallæo: *Qui* (fatente ipſo) *Inanes & evanidas illas figuras quas Romani Sacramentariis, neſcio quibus commentitiis, tribuunt à ſe amoliuntur, & item interdum agunt ut prima fronte videri poſſint, Euchariſtiæ*, quam vocant, realitatem, ſtatuere. Imo his ipſis verbis reprehenſor, & Magnus noſter Literatorum Cenſor, haud rectè ſtetit. An enim unquam ſit auditum apud Pontificios, aut Proteſtantes, ut quis in quæſtionem vocaverit Realitatem Euchariſtiæ? An quis utriuſvis partis Theologus ſtatuerit unquam fictam Euchariſtiam vel imaginariam tantummodo celebrari? Credo ergo & debuiſſe, & velle potius ipſum dixiſſe Realitatem Corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia; Fortaſſis autem & ipſe Figuratè locutus eſt Dallæus; Rogamus ergo ut idem per ipſum liceat Veteribus. Pag. 147.

Ad iſta denique quæ hoc claudunt caput, ubi queritur Vir Doctus, multa inſtituta, & conſuetudines tam ſæculares quam Eccleſiaſticas fuiſſe jamdudum mutatas; & ſignificationis quoque verborum variationem non parum conferre ad difficultates, quas in legendis & intelligendis Patribus offendimus, puto non opus eſſe ut multa reſpondeantur, quandoquidem ſingula perſcrutanti (quod nobis feſtinis, & ſuperflua fugientibus non licet) ſatis erit perſpicuum, non de doctrina hic agi, nedum Fide Eccleſiæ; ſed de Ritibus, qui ſi temporis diuturnitate exoleverint, ſi pro poteſtate Eccleſiæ à Chriſto commiſſâ vel ſenſim deſinere ſunt paſſi, vel ſpreti, parum admodum ad controverſiam facit, cum eorundem, ſi quis fuerit hodie ignarus, tuto ſit ignarus. Pag. 148, 149.

Caput sextum.

Ratio sexta.

Patres sæpe quæ ipsi credunt tacere, & quæ non credunt, dicere; seu aliorum nomine tacito referant sententias, ut in Commentariis, seu contra adversarios disputent, ubi nihil non adhibent, quod ad argumentum suum faciat, seu ad captum Auditorum se accommodant, ut in Homiliis.

IMperfectam hanc & valdè inartificiosam Scriptorum antiquorum partitionem, suprà non indebitâ percussimus censurâ. Ne autem de futuro securè agamus, quid nobis Veteribusque in posterum sit metuendum, discere fas est ex his Dallæi verbis. "Vidimus quantum tenebrarum in Scripta primi & "secundi ordinis inferant ornamenta Rhetoricæ, "quantumque obscuritatis Dialecticæ tricæ, & acu-"mina in Scripta postremi generis offundunt. Vi-"deamus jam an, cum Patrum Sermones ex illa cali-"gine eduxerimus, eorum sensa accuratè perceperi-"mus, certò tandem constituere liceat quæ fuerit "eorum sententia. Negat, ut æquum est, pro ratione instituti Vir Doctus nos posse clarè sensa Veterum percipere: Maximum sane præjudicium, nisi minimo argumento fundaretur. Unus namque Hieronymus satis quidem prolixè, minus autem fideliter in thesim confirmandam affertur. Summa huc redit. Tradit Pater ille consuevisse Commentarios Alterius dicta edisserere, & quid alii sentiunt, quam quid sentiendum sit, docere: quam valdè miram esse

Pag. 151.

Com-

Commentandi rationem censet D. *Quid enim certi* (inquit) *Quid comperti haurire lector possit ex hujusmodi variarum opinionum in acervum ita congestarum, farragine?* Quibus Ego, è converso; Quid non certi & comperti hauriat Lector ex vario isto delectu? Quare insuper, quod Recentibus tandem licuit, Antiquo Patri nefas sit? Quod Munsterus fecit nuper, Hieronymus non olim fecerit? Ille autem consilii sui rationem apertè sic prodit. *Consuluimus ob id in Pentateucho ex Hebræis Scriptoribus Chaldæum interpretem R. Salam: D. Kimhi. Aben Ezram R. Menahem, Abraham Hispanum, &c. & quosdam alios: & cujus expositio in obscurioribus locis nobis commodior visa fuit, hunc secuti sumus. Recitamus etiam non raro quid ipsi sentiant, suspendentes judicium nostrum, & lectori suum liberum permittentes, &c.* Audiat D. Dallæus quam iniquus sit in Veteres & recentes ex ipso Hieronymo præclaro suæ & Veterum consuetudinis vindice: Imo ex eo loco quem citatum ab ipso videmus, nisi majore astutiâ, quam fide visum ipsi esset è medio hæc verba tollere, & capiti caudam orationis connectere; quo Patrem suo gladio conficiat. "Mos (inquit) in Commen- "tariis, & illis, & aliis nostram & aliorum senten- "tiam explicare, Apertè confitentes quæ Hæretica "quæ Catholica. Operæ item pretium erit quo conspectior sit cunctis dolus Dallæi, Patrem eundem fusius hac de re alibi tractantem, & cavilla hujusmodi abundè dissipantem, audire, Epistolâ ad Minerium & Alexandrum (ita enim habent Codices vulgati, malè tamen, si Joan. Croio credamus, & hic & in Præfatione ad Malachiam. Malè quoque restituunt quidam *Numerium*. Verum enim hujus viri nomen est Minervius: quod nos ipse Hieronymus docet, Præfat. in Lib. 3. Comment. in Amos) hoc modo: "Si- "quis contrariæ factionis immurmurat, quare eorum

Sebast. Munster ad Lectorem ante V. Testam.

Hieronym. Adversus Ruffi. lib. 3. cap. 3.

Hierony. Epist. 152.

"explicationes legam, quorum dogmatibus non ac-
"quiesco, sciat me illud Apostoli libenter audire,
"Omnia probate, quod verum est tenete. Et Sal-
"vatoris verba dicentis, Estote probati nummula-
"rii, ut siquis nummus adulter est, & figuram non
"habet, nec signatus est moneta publica, reprobe-
"tur, qui autem Christi faciem claro præfert lumine,
"in cordis nostri marsupium recondatur. Ego in a-
"dolescentia, & in extremâ ætate profiteor & Eu-
"sebium, & Origenem viros esse doctissimos, sed
"errasse in dogmatum veritate, quod etiam de
"Theodoro, Acacio, Apollinario possumus dicere;
"& tamen omnibus in explanationibus Scripturarum
"sudoris sui memoriam reliquerunt. In terra aurum
"quæritur, & de fluviorum alveis splendens gla-
"rea: Pactolusque ditior est cœno, quam fluento.
"Cur me Lacerant inimici mei; & adversus silen-
"tem Crassæ sues grunniunt? Meum propositum
"est, antiquos legere, probare singula, retinere quæ
"bona sunt, & à Fide Catholicæ Ecclesiæ non re-
"cedere. Hæc ex ipso Hieronymo, quæ quantum Dallæo faveant, aliorum esto judicium. Haud diversum autem Augustino animum ab Hieronymo fuisse de variis interpretibus Mosaicorum verborum in Genesi, ipsius suadent dicta: "Jam vide quàm stul-

Auguſt. lib. 2. Confeſſ. ca. 25

"tum sit in tanta copia verissimarum sententiarum
"quæ de illis verbis erui possint, temerè affirmare,
"quam earum potissimum senserit Moses, & perni-
"ciosis contentionibus ipsam offendere Charitatem,
"propter quam dixit omnia cujus dicta conamur ex-
"ponere? Et postea haud dissimiliter: Sensit ille

Idem cap. 31.

"[Moses] omnino in his verbis, atque cogitavit,
"quum ea scriberet, quicquid hic veri potuimus
"invenire, & quicquid nos non potuimus, aut non-
"dum possumus, & tamen in iis inveniri potest.

Adhuc

Adhuc luculentius etiam, rem præsentem aperit idem Pater Epistolâ 59, dicens, "Utile est ut obscuritatibus Scripturarum quas exercitationis causâ Deus "esse voluit, multæ inveniantur sententiæ, quum "aliud alii videtur, quæ omnia sanæ doctrinæ con-"cordant. Prætereo hîc quæ facile huc possunt adduci ex iis aliisque Patribus, quia levi ratiunculæ longam refutationem adhibere, non tam satietatem, quam nauseam pariat Lectori. Nam eodem redeunt quæ sequuntur incusationes hæ, "Patres (quod rei "caput est) nullo discrimine, jejunis, imo quando-"que periculosis, & ex autoribus susceptis infamia-"que apud Ecclesiam laborantibus, desumptis ex-"positionibus commentarios suos referciunt. Putatne autem Dallæus Patres illico renasci pueros, quòd, quoniam ex Didymo, Apollinari, commentarios ornârunt, absque judicio, aut ratione nugas cum rebus sanis, paleasque cum frumento absque discrimine congesserint? Quid, quæro, in Causa fuerit, quo minus cautè legerent, vel magis temerè abuterentur Veterum scriptis, quam ipse Dallæus Papistarum, & præsertim Peronii, cujus labores defloravit plurimùm, nulla sæpe hominis facta mentione? Taceo interim hoc ipsum argumentum (uti alia plurima) à Rivetto desumptum: Non enim negaverim Patres pariter multa transcripsisse à majoribus suis, tacito eorum nomine, rarò tamen absque nota discriminis; quæ si forte defuerit, non verear laudata tribuere Citantibus, ac si ex proprio animo fluerent. Unde puto vires hujus fictæ difficultatis omnino frangi, & sequentis quoque. Quòd enim in alio genere offenderunt Veteres scil. Homiliis, videndum, pene dixerim ridendum. Quæritur enim hic, *An hîc certi esse poterimus ipsos ex animo loqui, linguam non alienam, sed suam sententiam exponere?* Re-

spondetur.

Idem Epist. 59

Dall. pag. 152. 153.

Pag. 155.

spondetur. Vel posse nos, vel non posse. Si prius steterit, cadit penitus quæstio: sin non possumus, deputanda sunt ipsis quasi autoribus & suffragatoribus, quæ tam tecte traduntur. His vero quæ ad augendum dubium ex Peronio (uti solet) traxit huc Dallæus, de Allegoricis sermonibus Patrum, de Eucharistia coram Catechumenis, supra respondimus: & præterea extra oleas dicta hæc esse perspicuum est, & importune.

Quam fæliciter & ingenuè in ultimo ordine, scil. Polemico genere scribendi Veterum se gesserit Vir Doctus, & ardore disputandi, quem hic rursum jugulat, penes Lectorem sit, cujus palato sæpius repetita arriserint.

Pag. 158.

Hîc enim superioribus nihil additur præter satis protritam similitudinem hanc, "Quemadmodum "quum quandoque accidat ut aqua sursum ascendat "quo spacium quod alioquin futurum esset vacuum, "repleat, non ideo motum eum naturalem seu usita-"tum esse inferes; idem Patribus in disputationum "angustiis versantibus accidit, ut vitandi, ut ita di-"cam, vacui cujusdam, à quo sibi metuebant, gra-"tiâ, motum suum naturalem, genuinamque senten-"tiam nonnunquam omitterent, & in contrarium "tantisper concederent, dum se expedirent. Hac profectò comparatione mihi potius nomen & autoritas Veteribus conciliari videntur, quam detrahi. Quis enim de re quapiam putârit judicandum potius ex fortuitis, quam necessariis, vel actibus præternaturalibus, & non ingenitis? Naturale autem hac imagine statuit D. Patribus debitum ordinem motumque tenere, secus verò in errores exorbitare. Omitto autem deceptum hic fuisse (me saltem æstimatore) in Philosophia, quia minimè rem nostram spectat. Primo enim contra vulgus Peripateticorum

asserendum est, nihil eorum quæ quovis modo ad terrenum hunc nostrum orbem pertinent suâ naturâ leve esse: h. e. propria virtute in supera loca tendere, non ab alia vi pulsum à sede inferiore, quam suâ natura quicquid mundi terreni naturæ particeps est, occupare cupit. Deinde, Nihil finis intuitu, (ut ita loquar) movetur è loco, sed impulsu causæ Efficientis. Quærenti enim, Quare huc vel illuc corpus movetur quodpiam, valde crassè & ineptè respondebit, propter hunc finem, qui dixerit; & causam impulsivam tacuerit. Quid ergo accidat D. D. ut triumphos hic ante victoriam agat, me omnino latet. *Nihil Patribus inconstantius, & frequenter idem laudare & damnare, ædificare destructa, & destruere ædificata, quod autore Hieronymo hebetum est.* Calumniæ autem pessimæ argumentum simile fabricatur ex verbis unius Hieronymi; quod alicubi proficiscentes Hierosolymas laudat, alibi verò, condemnat; quod & Nyssenus quoque commisisse, hîc dicitur: iniquè utrobique. Peregrè enim proficiscentes animo prudenti, pioque, nunquam non laudant, h. e. affectuum excitandorum causâ; in quo ab illis minimè me habent dissentientem. Montacutium autem nostrum plenis velis in eam sententiam se transvehentem, "Quod "magnus ille Patriarcha Jacob de loco suæ nocturnæ quietis dicebat; *Hic locus est Bethel Domus Dei*; "multo ego magis de Natali Servatoris usurpem, in "quo factus Emanuel ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· Palestinam licet pollutissimam propter inhabitantium enormia "peccata, hanc tamen ipsam ob causam, Jesu Christi ἐνανθρώπησιν, non immerito solemus Terram Sanctam "appellare. Non quòd sanctitas ulla locis adhæ"rescebat jam prophanatis. Non quòd debeatur lo"co cultus aliquis specialior, ne quidem reverentia, "vel respectus nisi relativus; sed propterea quòd

Ibid.

Montac. Origin. Par. 1. Sect. 40

" cum gratissimis animis recolere debeamus Dei Opt. " Maximi collata in nos beneficia, multò efficacius " id, quicquid est officii, præstamus, cum mentem, " oculos, digitos intendere ad memorias eorum præ" sentes possumus; & quasi singulos actus ad sua " momenta temporum, per circumstantias rerum, " locorum distantias intueri. Hoc ipsum erga Pau" lam suam observat Hieronymus. Damnant verò è contrario superstitiosulos illos qui fuco Religionis exteriùs illiti, vel in exterioribus operibus pietatem constituentes, Pedibus potius quam affectibus cœlum versus tendunt: & præcipuum Religionis opus confectum putant viâ Naturæ, non Gratiæ; quod immane sanioris omnis pietatis vitium sequiores Christianos vana fide & opinione delusit, perdiditque. Quænam autem hîc contrarietas oculi invidia læsi soli vident.

Quis verò non facile unius Adami Jesuitæ, qui cum Puritanis (ut multa) hic quoque cupit ita rem Religionis & Ecclesiæ dispositam, ut nemo impune vel ex Sacris Literis aliter sapiat, quam ipsis placuerit Jesuitis, opinionem contempserit? qui Veteres nunquam non crepant, suis tamen moribus & legibus vivunt: nec ferunt Augustini sententiam aliter quam ex suis ipsorum libris (quos Præsentis etiam Ecclesiæ vocem statuunt esse) recipiendam. Illud demum cautius oportuerat dictum à Viro Docto Patres de ponte dejiciendos, quòd personarum obscurâ varietate opera eorum scatent, nisi mallet S. Scripturarum autoritatem infringere, quam illorum pati, vel complurium autorum humanorum; quibus hoc genus scribendi est usitatissimum. In his Ludovicus Vives quondam observavit offendere plurimos incautiores Lectores, " Qui quicquid à Terentio aut aliis " Comicis, aut Tragicis, quicquid à Platone & Cice" rone,

Ludovicus Vives lib. 1. de Causis Art. Corrupt.

" rone, & aliis qui dialogos ſcripſerunt, literis eſt man-
" datum, eam putaverunt autoris eſſe ſententiam, quâ-
" cunque inducta perſonâ: nec ſaltem admoniti non
" ea Job ſentire, quæ loquebantur ſocii, nec Solo-
" monem aut Davidem, quæ perſonâ ſtultorum &
" impiorum dicuntur. In quem errorem miſerè eſt prolapſus non obſcurus inter Schiſmaticos Miniſter quidam, qui novem Concionum ſive Commentariorum volumina conſarcinans nullo diſcrimine verba Amicorum Job, à ſuis accepit, & tractavit, quantùm ad Authentiam: In quo magis in Canone Scripturæ diſtinguendo, quam Eſtius inter Papiſtas erravit: qui apertè ſcribit, *Eccleſiam Romanam non intendere canonizare verba Interlocutorum cum Job.* Sanctus pariter Hieronymus eis divinam abrogat autoritatem: Ipſe demum Deus eorum prævaricationes increpat.

Eſtius in ſent. lib. 2. Diſt. 3. Sect. 8.

Hieronymus Adverſ. Pelagium, lib. 2. cap. 2.

Job 42. 7.

Manifeſtiores quidem ad ſcopulos adiguntur plerique in Libro Job. In Pſalmis autem, Eccleſiaſte, Cantico Canticorum, Prophetis perlegendis periculoſius alliduntur. De Pſalmis ergo non immerito Lectorem ita præmonet Ludolphus de Saxonia. " De
" modo tractandi ſciendum eſt quod poeta frequen-
" ter perſonas mutat. Talis eſt enim frequenter mos
" Prophetæ, prout in ſingulis locis patet, modo con-
" vertit ſe ad familiarem Domini locutionem, mo-
" do ad Auditores, ut eos ædificet, & inſtruat
" per ſuum ſermonem: modo loquitur in perſona
" ſua, modo in perſona Chriſti; & Capitis; modo
" in perſona membrorum & Corporis, modo in per-
" ſonâ utriuſque. Neque diverſam ſententiam de Prophetis tam ab Auguſtino, quam Hieronymo prolatam legimus. " O altitudo Prophetica (inquit
" Auguſtinus) dum de illo ad illum loquitur, non in-

Ludolphus Carthuſien. de Sax. Proœm. in Pſal.

Auguſti. De Doctrina Chriſti lib. 3. cap. 44.

Hierony. in Nahum. cap. 2. v. 1.

" tellectum, &c. Hieronymus verò in Nahum, " Hinc (ait) vel maximè obscuri sunt Prophetæ, quod " repentè dum aliud agitur, ad alios persona mutatur. Et alibi: " Prophetæ ideo obscuri sunt; quia per- " sonæ in his plurimæ mutantur. Porro Rabbi Salomon peculiare Sanctis Literis obscuritatis genus esse notat Abbreviationem quandam quam קצר מקרא appellat, qua scil. per frequentem Ellipsim Personæ reticentur, adeo ut quis loquatur, ignoretur. Quod si penitius inspiciamus morem Scriptorum Novi Fæderis, crebriores id genus obscuritates occurrent, quam apud Authores Ecclesiasticos. Quot enim ita textæ apud Evangelistas Parabolæ ut incertum reddant Lectorem non attentissimum & cautum, utram in partem sint accipiendæ. Nec hac difficultate Epistolæ Paulinæ vacant, uti expertus sciat, qui hæc loca paulò diligentius perpenderit; unde fieri judicium de reliquis velim: viz. 1 Corinth. 10. 29, 30. & 4. 6. & 6. 12. & 13. 2. Gal. 2. 18. Item Rom. 7. ubi doctissimi interpretes diversa commentantur, seu adversa potius de persona loquente. Quid opus autem plura adjicere, quum certò crediderim Docto viro sua argumenta maximè displicere, ubi quo fecerint maturius perspexerit.

Id. in Isaiam cap. 2. v. 1.

Caput

Caput ſeptimum.

Patres in iiſdem fidei capitibus non ſemper perſtitiſſe, ſed è quibuſdam ſuis ſententiis nonnunquam diſceſſiſſe, prout exercitatione vel ætate eorum maturuerat judicium.

SOphiſtici diſſerendi generis D. D. lectorem ſæpe monuimus; & ſæpius quidem monendus eſſet, niſi opera digiti, non minus quam ingenii monſtrari queat. In debitam tamen formam argumentum hoc revocemus, ut ſoli cæco ſit non manifeſtum, quibus telis adverſus Patres pugnatur: Hæc autem, ni vehementer fallar, erit. Qui in iiſdem capitibus fidei non ſemper perſtiterunt; ſed à quibuſdam ſuis ſententiis nonnunquam diſceſſerunt, non debent de Controverſiis judicare. Sed Patres in iiſdem, &c. Ergo, &c. Cui autem attento non friget Propoſitio? Quis non rejiciat? Et tamen quæ ipſa nullo nititur fundamento nullis rationibus ſuffulcitur, fundamentum toti diſſertationi huic ſubſternitur. Qui enim in nonnullis ſententiam mutârunt, calculumque revocârunt, in nullis perſeverârunt? vel perſeverantes prorſus ſubmovendi quia aliquibus deliquiſſe deprehendantur? Hic labor, hoc opus Dallæo dignum eſſet, ſiquid proficeret criminationibus Veterum. Hîc autem ſecurus, & nullus, in ſuperfluis omnem operam elocat; omnibuſque viribus contendit illa probare & exornare, quæ nemo ſobrius controvertit, viz. Patres aliquando à ſententia diſceſſiſſe: Unde tam turpi ignoratione Elenchi hic

deprehensus meritò nos liberet à studio refutandi.

Ne verò hîc vacuas relinquamus paginas, superfluam operam suscipiamus aliquantisper; & experiamur non quid debeat, sed quid possit in sua sphæra Vir Doctus. A toto autem neque Animus neque opus est Veteres excusari à nobis. Damus juxta Patromastiges, homines fuisse eos; humanumque esse errare, & aliquando decernere quæ paulo post melius sunt statuenda. Qui verò quantillum præstitit Magnus hic eorum Adversarius, consideret; næ ille multò confirmatior redierit in recta æquâque de iis opinione. Quale est enim istud principem querelarum
Pag.165. locum tenens, viz. *Quod sermo eorum nitidior sit*? Hincne sequetur, Patres in fide, vel sententiis fuisse instabiles? Unde verò vel vitiosus ille nitor evincitur? Hieronymus, nimirum in Epistola ad Heliodorum, adolescens lascivit; cano autem capite maturiùs multò scripsit. Quis vero neget? Nonne & ipse Christus dicitur profecisse sapientia & ætate, & Gratia,
Luc.2.52. apud Deum & homines? Homines fuisse Patres satis superque audivimus: Nos præterea & pueros fuisse, & Adolescentes credimus, & aliquando non solùm crepundiis, sed sermonibus & scriptis immaturioribus lusisse, quæ tamen admodum pauca reperiuntur nunc dierum. Idem enim quod Hieronymo, & Cypriano, Juniori novimus accidisse: de quo quid prudens senserit Augustinus, placet hic recitare. "In "populo gravi nec illa suavitas delectabilis est, quia "non quidem iniqua dicuntur, sed exigua & fragilia "bona spumeo verborum ambitu ornantur, quali "nec magna nec stabilia decenter & graviter ornarentur. Est tale aliquid in Epistolis Beati Cypriani, quod ideo puto vel accidisse, vel consulto factum esse, ut sciretur à posteris quam linguam, doctrinæ Christianæ sanitas ab ipsa redundantiâ revocaverit,

Augusti.lib.4. cap.14. De Doctr.Christi

" caverit, & ad eloquentiam graviorem modestio-" remque restrinxerit, qualis in ejus consequentibus " literis securè amatur, religiose appetitur, sed dif-" ficillimè impletur. Quapropter iste vir Sanctus " & posse se ostendit sic dicere, quia dixit alicubi; " & nolle, quoniam postmodo nunquam. Hactenus De Cypriano Augustinus, quæ & rectè possint de Hieronymo aliisque (siqui sint) Veteribus dici, quorum nemo bis eodem genere offendit.

Post phrases exagitatas descendit ad rem Veterum minus maturè gestam. " Origenes enim (inquit D.) " ut refert Hieronymus, longo antè tempore in se-" nectute sua Epistolam scripsit, ad Romanæ urbis " Episcopos, in qua testabatur pænitere se multorum " quæ docuerat, ac scripserat. Nec dubitandum " sit quin simile quid plerisque Patribus acciderit, ut " quæ pro veris aliquando tradiderant, ea postea im-" probaverint. Cumulum auget proximè Augustinus, & Vincentius Lyrinensis: quorum ille, *Fassus est se multis à recto deerrasse, in Libris Confessionum: Hic verò ea solum rata & fixa habenda esse scribit, quæ ipsi Patres constanter docuerant, & quibus permanserint.* Et denique agmen ducit, qui Dallæo idem est, qui Davus in Fabula, Peronius. Quibus junctim omnibus satis fuit respondisse argumentum potius fixæ eorum opinionis esse, quod eos constat suas opiniones fortasse crudius antea expositas severiore trutina postea recognovisse. Attamen quærit D. Unde? " Et Quo-" modo arcanum istud expiscabimur, cujus vix ullum " vestigium apparere potest, Patrem scilicet, qui ob-" jicitur, sententiam quæ oppponitur in senectute non " mutasse? Prius ergo idem de tua mente scriptisque efflagitamus nobis responderi: Librum enim scripsisti eruditissimum, nondum, opinor, adulto judicio, *De Vero Usu Patrum*, *&c.* quo multis argumentis,

Pag. 165, 166.
Ibid.
Pag. 167.

mentis, & gravibus censuris nomen & autoritatem iis obtrivisti: Quæ me quoque haud leviter commoverent, & flecterent in tuam sententiam, nisi suspicaci meo animo infœlix & permolesta subnasceretur cogitatio, Hominem quoque te esse ipsum, perinde ac Patres, & hanc tuam opinionem posse revocare, & jam provectiore ætate reipsa retractasse; vel si forte reliquis mortalibus constantior, nescio quo privilegio, fueris; hoc mihi ipsum perobscurum est, & dubium: Intutum ergo concludo te hîc sequi, vel dimittere propriam opinionem. Ad hunc autem diem credulus ego putâram, satis pro more hominum fuisse amovendæ suspicioni, justè accusari criminis non posse. Alioquin, quem inveniemus innocentem? Vel enim nos sumus omnes de facto homicidæ, & per consequens Capite plectendi, vel si non simus, Judex nullo certo augurio cognoscere possit, puros nos esse: ideoque minimè absolvendi sumus: nisi forte damnandi potius sint hujusmodi nostri, & Veterum quadruplatores, & temnendi disputatores, quibus non solùm satis est ad Majorum frangendam autoritatem, & fidem corrumpendam, accusasse, sed suspicari.

Caput

Caput octavum.

Necessarium & idem difficillimum esse ut certo statuamus quid de suis ipsorum singulis sententiis Patres censuerunt; & an eas ut necessarias, an ut probabiles tantùm, & quo in gradu necessitatis, vel probabilitatis eas habuerunt. Ratio octava.

HUic rationi omnium fallacissimæ falsissimæque consultò V. Clariss. postulatum fere ejusdem monetæ præmittit, viz. *Propositiones veras non esse omnes æquè veras, Logicorum est pronunciatum.* Pag. 169. Quorum verò, obsecro, effatum est hoc? Illorum siquidem esse nequit apud quos illud non incelebre est axioma, *Quicquid est quando est, necesse est esse:* Nam ut pleno nihil plenius, sic & vero nihil verius. Posito, ergo quod Propositio vera sit, omnimodo & necessario est vera, & illa dari veriorem est impossibile. Posito enim quod Socrates est Rufus, non est minus verum, quàm quòd Socrates est Rationalis. Cum D. tamen non contenderim de Propositionibus contingentibus & necessariis, in actu signato, non exercito, intellectis; nisi acuratiùs paulo quàm fert vulgaris usus distinctionem illam sumamus. Propositio enim hæc, quæ est Actûs signati proprie, ni fallor, dicti; *Contingit hominum esse doctum*, necessaria est. In actu autem exercito, hoc est, quando individuum humani generis actu est doctum, ex natura rei necessarium non est; quandocunque autem sit verum non est minus verum quam prior propositio. Neque hoc pacto tres

S illi

illi gradus necessitatis à Philosopho memorati impugnantur.

Mittamus autem has argutias, hominisque potius infortuninum miserti, qui tam splendida tecta tam instabili superinducit fundamento, & exemplum longe horridius præmissis examinemus. "Verbi gratiâ, inquit, Christus est Deus, & Christus mortem pertulit, annos natus triginta quinque. Quis, etsi "ambæ veræ sint, inter utramque tamen summum "esse discrimen non videat? Prior enim necessariò "vera est, i. e. ut fieri non potuit quin Christus esset Deus, cùm hominum salus obtineri non possit "alio modo? Quid hoc rei quod audimus? Indignum Theologia heri initiato, Dallæo autem exercitatissimo longe est indignissimum. Anne Christus Deus est, Quia hominis salus obtineri alio modo non possit? Fidei quidem nostræ ratio optima, ipsius rei pessima est. Puto tamen in priorem prolapsum errorem D. D. duce Peronio, qui non distinxit inter rationem fidei seu Assensus Naturalis, & Divini. Assensus enim humanus intenditur, & remittitur pro Evidentia aut incertitudine Objecti. Fides autem divina augmentum aut decrementum admittit non secundum rem ipsam clarius aut obscurius relucentem, sed secundùm lumen ipsius Revelationis, v.g. Admisso quod Scripturæ nobis tradunt Christum natum triginta tres annos, aut quatuor, Patibulo affixum, Fideli non minus hoc est necessariò credendum, atque quod Christus est Deus, aut mortuus nostra causa fuit; quia eadem formalis ratio fidei, quæ est Revelatio Divina hoc efflagitat: unde præclarè Doctissimus noster Davenantius, "Quod "non est articulus fidei aut forma, si materiam spe-"ctes, potest tamen esse propositio Fidei Theologicè "credenda, si modum Revelationis attendas. Nam

Pag 170.

Davenant. de Judice Controversf. cap. 5.

"quævis

"quævis Propositio Physica, Astrologica, Historica "sit objectum fidei, si à Deo nobis in Scripturis pro-"ponatur. Hæc ille; Ex quibus duo consequuntur. Primum omnia divinitus Revelata necessariò esse credenda, sed non credenda esse necessaria ad salutem: Dein Primarios Fidei articulos necessariò credenda esse, Fide quidem directa, ut ita loquar, non reflexa: h. e. Satis esse Fideli assensum dare iis simpliciter; non autem requiri fidem qua saluti necessarii esse credantur. Neque enim (quod vult Dallæus) magni momenti sit ut te anxia excrucies sollicitudine, utrum probabile, an necessarium habuerint Veteres, quod nobis proponunt, modo rectè cum iis de fide sentis. Nec contrarium evincunt verba ejus, nim: "Ex eo quod Vetus Ecclesia ultro admiserit Pag.172. "aut rejecerit ad se accedentes: primò secundum ea "quæ credebant, vel non credebant: deinde secun-"dum varias rationes quibus credebant, vel non cre-"debant, &c. Prius hujus dicti membrum non invitus concedo; alterum nequaquam: quinimo tam Veteribus quam Modernis impossibile esse arbitror. Duo enim Majoribus nostris imprimis necessaria sunt habita: Alterum ut pura fide filii Catholici imbuerentur, Alterum ut Pacem & unitatem Ecclesiæ studiosè colerent, & religiose, in rebus à fide remotioribus. Posterioris sunt ordinis quæ de Paschate, & Jejuniis hîc memorantur à Viro D. quæque pro consuetudine Ecclesiæ Catholicæ, & charitate alendâ tenendâque summopere caverunt Veteres. Nec aliter quam de Hæreticis senserunt qui cerebrosa philautia Leges moremque Ecclesiæ contemnerent: Διὰ τὸ μὴ τῇ ἀκολουθίᾳ καὶ τῇ διδασκαλίᾳ, καὶ ὅτι τὰ ἴσα τοῖς αὐτοῖς δογματίζουσι, ut scribit de Quartodecimanis Epiphanius. Obedientiam ergò postulat quidem Ecclesia in Licitis Epiphan. lib. 2. Hær.30. & honestis, necessariò. De gradibus autem credulitatis

litatis aut fidei, nihil quod sciam extat apud Veteres. Est tamen ubi magis, & ubi minus explicitam fidem exigant, pro conditione objecti, & explicatiore Ecclesiæ sententia; de Actu autem seu habitu ipsius fidei altum apud eos silentium. Hinc Hieronymi illud apud Dallæum, & alios multos, "Ante-
Pag. 175. " quam in Alexandria quasi dæmonium Meridianum
" Arius nasceretur, innocenter, & minus cautè qui-
August. lib. 16 De Civit. D. cap. 2. " dam locuti sunt. Augustinus pariter, Multa ad
" fidem Catholicam pertinentia dum Hæreticorum
" callida inquietudine agitantur, ut adversus eos de-
" fendi possunt, & considerantur diligentiùs & in-
" telliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur, &
" ab Adversario mota quæstio, discendi existit oc-
" casio. Nec aliter Clemens Romanus, Hilarius Pictaviensis, Cyprianus & ipsi Apostoli, Act. 15. v. 28. judicarunt, qui ea tempestate necessarios istos Judæorum ritus decreverunt, quos hodie devitare non minus est necessarium. Ecclesiæ autem unquam in animum venisse certa ab incertis non solum dispescere, sed proprios quoque gradus & momenta vel personis singulis, vel articulis fidei definire velle, merum est figmentum. Gratis, ergo, & nulla pro-
Pag. 174. babili ratione dicitur à D. D. " Cùm de Commu-
" nione Ecclesiæ agatur, & de salute quæ ab ea pen-
" det, pro certo nobis statuendum est, quo in ordi-
" ne, ea capita quæ hodie reluctantibus Protestanti-
" bus obtruduntur, Patres habuerint, simpliciterne,
" vel magis vel minus ea existimaverunt necessaria. Frustra autem & à quæstione longissimè, multiplices citationes ex Sancto Augustino & aliis hîc cumulantur de necessitate quam Antiqui statuerunt Eucharistiæ Infantibus tradendæ, & Baptismo. In hoc enim nihil à vero alienum dixisse probantur: In illo, perurgere quidem necessitatem Sacramenti illius sumendi;

mendi; nuſquam autem docere Fidei neceſſitate tenendum, modo teneretur ad mentem & praxim Eccleſiæ. Poſtremò, ſi Auguſtinum fuiſſe falſa opinione univerſalis Traditionis deceptum, dixero, hac in re; non putârim me diſſuere Eccleſiaſticæ traditionis catenam, ſed confirmare: nam aliter ſenſiſſe non minimam Eccleſiæ partem Auguſtinum latuiſſe crediderim: & Quid ni? Cætera verò hujus capitis cùm eodem omnia faciant, ampliorem non videntur deſiderare orationem noſtram.

Caput nonum.

Neceſſarium eſſe ut nobis conſtet oratio non de unius aut plurium Patrum, ſed etiam de Totius Veteris Eccleſiæ ſententiâ, quod difficillimum eſt pernoſcere. Ratio nona.

SI D. D. propoſitum non fuiſſet verborum numero, potius quam pondere rationum rem gerere, optimè potuiſſet tres inſequentes in unam compellere. Verbis enim, potius quàm reipsâ diſtinguuntur, nec pluribus una ſolutione opus fuerit. Quoniam verò juſtum eſt me, Authorem quâ via duxerit, ſequi; hîc oportebit pauca, primùm de neceſſitate, deinde de difficultate colligendi ſingulos Eccleſiæ univerſalis calculos, diſputare. *Si enim*, autore Beato 1 Cor. 14. 8.
Apoſtolo, *incertam vocem det tuba, quis parabit ſe ad bellum?* Tubam autem Evangelii & Eccleſiaſticæ Autoritatis vel omnino ſilere, vel in pluribus dubiam vocem edere, nemo rectè inficias iverit. Quærent ergo adverſarii Traditionum, Quid factu opus ſit,

 rebus

rebus sic urgentibus? Quibus breviter respondeo, Vix Tanti esse posse res istas de quibus dubiam profert sententiam, vel nullam, Ecclesia, ut vel hæreat Salus fidelium, vel perplexus esset Fidelium animus. Ubi enim vox Ecclesiæ, verbique divini desideretur, locus erit humanæ prudentiæ, salva manente pace Ecclesiæ: Verissimum ergo est quod
Pag. 180. hîc Vir Doctus suggerit, "In capitibus, in quibus "quid suæ esset sententiæ nondum significaverat "[Ecclesia] non poterant Illi [Veteres] utut "maximè vellent, ejus autoritatem pro suæ senten-"tiæ normâ sequi: Recte proculdubio hæc. Quid verò ad illa, in quibus apertè fuit Antiquitas con-
Pag. 184, 185. cors? "Atqui Canus (inquit) non multos, non "plurimos, sed omnes Patres, Latinos requirere, "Autor est. Si ita, nullum unquam hæc disquisitio "exitum habitura est. Quis enim Patrum de ulla "hodie Controversia sensum omnium explorare po-"test, cum eorum ne millesima quidem pars quic-"quam literis mandaverit: qui vero scripserunt a-"liquid, ii vel interciderint, vel de paucis, certè "rari de omnibus fidei articulis scripserint? Difficillimum fateor esse, & tantùm non planè impossibile singulorum vel in Ecclesia vel in Repub. suffragium consentiens reperire. Quid ergo? Num subortis in Republica Civili dissidiis de rebus gerendis oportet prius conveniri in unum ab omnibus Liberis, aut singulos prius in idem unanimiter & liberè conspirare, quam feratur sententia de Publico sospitando? durum hoc sanè dictu & factu iniquissimum. Est ergo, est proculdubio, ubi disceptationibus finem imponere & necessum, & honestissimum sit, manentibus diversis sententiis votisque. Potest etiam rei naturâ simpliciter spectatâ cum Philosophis, quod uni aut alteri accidit, (quod postulat Vir Doctus) aliis etiam

etiam quamplurimis contingere, nim. ut aliis erranti-bus se adjungant comites, & præeuntium cæcâ fiduciâ vestigia calcent: Potest tamen (credimus) non accidere, & crebrius ita esse, si ingenia hominum paulò altiora vulgari captu spectemus: alias enim conclamatum esset de omni tam humana quam Ecclesiastica societate, quam cernimus, non obstante illo communi infortunio, publicis Consiliis administrari, & decretis regi, in quibus raro aut nunquam ab omnibus, quorum interest, conspiratur.

Accedat quoque & illud, quod vult D. Dallæus, quòd, "Quando istorum sæculorum Ecclesia, quid "suæ esset sententiæ super capitibus hodie contro-"versis nondum ex professo aperuisset, profectò non "plura (scripsit opinor author Plures) magis quam "pauci, id eo tempore nobis exhibere potuerunt. Quî, quod adhuc latebat, vidissent? Rectissimè quidem hæc omnia: Soli enim cæci id quod nec est, nec sensibus apparet, vident. Innumera fortassis sunt quæ & illos, & nos latuerunt, etiamnum latent. Facessant autem nugæ istiusmodi, quæ in regno non Entium triumphant, in Præsentibus autem obmutescunt vel ridentur. Respondeat ergo tandem sine fumo fucove sophisticis: Nullæne ad nos ab Antiquis traditiones sunt transmissæ? Nulliusve sint prætii aut ponderis clara & manifesta, quoniam nonnulla obscurius tradita occurrunt? Hoc ex argumento & Soli ipsi sibi metuendum, ne è cœlo dejiciatur, quia sæpe inter nubila caput suum occulit. Scripturas autem ipsas tristius manere fatum, necessum est. Unde enim de naturâ, de numero, de Authoribus Libellorum Scripturæ nobis constet, nisi à Traditione antiquâ? Num à conjecturis vel nudis assertionibus Modernorum? Num à Spiritu privato, ejusque cæco dictamine, aliis quoque pateant hæc nondum illuminatis?

natis? Sic equidem nugantur Socinus & Episcopius, & quos invitus genuit aluitque Pater Calvinus.

Angit tamen forte non solùm quòd nobis præparcâ manu Antiquitas tradidit de suo penu, sed (verba Doctissimi viri sunt) "Quod sensum [Patrum] ulla "de re controversa explorare nullus possit, cùm eo- "rum ne millesima pars quicquam literis mandave- "rit. Primò respondetur: usquequaque verum non esse quod concessum hic supponitur: viz. oportere necessario omnia omnium Veterum placita aut traditiones scriptis mandari. Fama enim annosa absque scriptis, & communis vigensque hominum mentibus oreque traditio non est facile spernenda, teste Mascardo; & maxime relucens factis, ex plurium Juristarum opinione quos Barbossa recitat (regulam inique illam torquens pro Donatione Constantini) nam usus & consuetudo plurimum faciunt ad mentem antiquorum capiendam. Denique quæ desiderantur, apud prudentes & cordatos non debent, eorum quæ adsunt labefacere autoritatem; nec nobis nocere, quæ prodesse desierunt. Quare autem idem non liceat Politiâ Ecclesiasticâ, nihil ex dictis hactenus obstitit, aut produci possit. Non enim in puncto, vel articulo Vertitur humanum vel Ecclesiasticum judicium, quæ si defuerint, intercipi hoc necesse sit. Nec rectè de Latinis Judicavit Canus, si ubique omnes vel suffragantes, vel non discrepantes Veteres à Romanâ Ecclesiâ dixerit. Doctius ergo multo de hoc negotio judicium tulit Petavius. "Ut de "cujusque à Patribus sententia constet, præcipuè il- "lud intuendum est, non quid uno alteróve loco qua- "si obiter injecerit, sed quæ sit per ejus Scripta "constans ac perpetua doctrina, ut id in Augustino, &c. Eademque ratio diligenter tenenda colligendis variorum

Pag. 184.

Josephus Mascardus de Probat. August. Barbossa de Offic. Sacerdot. Part. 1. Tit. 3. cap. 2. Sect. 73.

Dionys. Petavius Theolo Dog. To. 1. Lib. 9. cap. 6. Sect. 7.

variorum sententiis: quæ si difficultate non careat, saltem nos edocet, Cujusvis non esse adire Corinthum, & Sacrarum Literarum mentem statim capere in omnibus. Canum verò ipsum tam laxè & crudè de Veterum autoritate colligendâ disputasse, credibile mihi non sit, vel cuivis alii recte perpendenti quid ex illo mox adjiciemus, contrarium omnino isti sententiæ. Et sane non indiligens scrutator mentis istius, nequaquam comperi citata hæc. Interim non erit absonum eorum quæ supra tradiderat Vir Doctus pauca huc transferre. *Nunc illud dicimus, in communi omnium controversiâ, certum argumentum ex communi fidelium sensu depromi: quamvis non oporteat singulorum sensum perscrutari. In fide autem earum rerum quæ propriæ sunt doctorum atque sapientium, solùm horum sententiam expetendam, vulgi ne expetendam quidem.* Aperte hic affirmat Canus, non necessarium singulorum sententiam perscrutari ad animum stabiliendum juxta communem sententiam. Nec hîc nos moveri scommate Dallæi debemus, qui ut addiscamus quid sensit de nostris controversiis Ecclesia antiquâ, oportere putat, (vel fingit potius) è tumulis eos nos resuscitare: Immortale enim est, quod superest ipsorum, & instar Optimi Abelis) per opera sua etiam defuncti adhuc loquuntur. Præter hominis suavitatem ergo, & errores aliquos Veterum (de quibus posthinc dicemus) strictim notatos, nihil habet hoc caput vel examine vel mentione dignum, & multo minus refutatione prolixiore.

Lib. 1. cap. 1.

Can. Loc. Com. lib. 4. cap. ult.

Quoniam verò otia nobis hic fecit Do. Dallæus inopia ipse laborans, summè necessariam tam rei Literariæ generatim, quàm nostro instituto disquisitionem, de Communi sententia dignoscenda breviter percurramus. Sæpius enim usu venit animos etiam doctorum cruciari & nutare inter Affirmantium &

Negantium variantes de ipſa communi Opinione (quæ ſolet multum confirmare mentes modeſtorum hominum) opiniones. Verbi gratia (ut Azorii di-

Azorius Inſtitut. Moral. Lib.1. cap.3. To.1.

ligentiſſimi hîc veſtigia ſequar) Julius Clarius ſcribit eſſe communem ſententiam, poſito ſtatuto; ut quilibet publicè relegatum & proſcriptum (quem Bannitum vocant) occidere poſſet impunè; imò

Julius Clarius.

etiam ſuum Patrem proſcriptum necare, juſque eſſe cuique id facere: & tamen prædictus author, eo loco ait alios aſſerere tanquam communem opinionem, Nemini licere id facere, etiam poſito ſtatuto prædicto. Idem author ibidem tradit communem eſſe opinionem, poſito prædicto ſtatuto, jus eſſe publice proſcripto, ſeſe defendendo, occidere eum qui in ipſum irruerit, ad eum interimendum; Alii verò tradunt eſſe communem ſententiam, nefas eſſe ſi quempiam publicè proſcriptus, ſui tuendi causâ, occidat. Sicut nefas ſit ſi reus ad mortem damnatus ſe defenderet à Judicum miniſtris, eoſque interficeret: nunquam enim bellum poteſt eſſe ex utraque parte juſtum. Jam verò non tam quæritur in hac diſputatione, Quænam harum opinionum verior ſit & magis conſentiat juri ſive humano, ſive divino; quàm, quænam ſit quæ Publici ſuffragii titulo meritò decoretur, palmamque eâ parte cæteris præcipiat. Reſponſio enim prior Azorii ἀπροσδιόνυσος eſt, viz. Quando Scriptores ita diſſentiant, tunc ſi ex lege, vel ex more, vel ex conſuetudine recepta nihil certi elici poſſit, tutior pars eſt eligenda, ſiquidem communis opinio facile internoſci non poſſit. Hoc, inquam, eſt difficultatem declinare non ſolvere; docere ſcil. quî nos ipſos iſtiuſmodi arctati anguſtiis geramus: nam, An, & quomodo communis opinio diſtingui à non communi, quæſitum præcipue erat. Paulò ergo propiùs accedens ad quæſtionem addit. *Deinde nonnunquam*

nunquam etiam communis opinio discerni non potest, cùm sæpe contingat, ut sententia quæ olim erat recepta communi sententia, modo non sit. Hic tamen desideratur apposita solutio dubii, quo inquiritur, Quæ hodie, Quæve heri esset communis opinio, quum res diversissimè agitetur? Neque enim sufficit quod sequitur ex eodem: *Tum tempora sunt distinguenda, & Scriptores studiose, attentè, & diligenter legendi: Nam usu venit non rarò ut Scriptores doceant hanc vel illam esse sententiam communem, ut in Theologia dicere solent Bonaventura, Ricardus, Henricus, &c. In jure Pontificio & Canonico Glossa, Joannes Andreas, &c. & tamen intelligendi sunt isti autores loqui juxta tempora in quibus ipsi scribebant. Quare videndum est, an qui postea successere Scriptores, eam opinionem, an aliam habuerint: quoniam frequenter accidit ut quæ opinio paucis ab hinc annis in usu non erat, modò communi consensione recipiatur. Insuper est animadvertendum habendam esse rationem Provinciarum, Nationum, & Gentium; nam solet etiam evenire ut quæ opinio in una Gente, Natione, Provincia communis sit, in alia communis non sit, &c.* Quæ verba Azorii nodum quidem non parum expedientia; non tamen eo sunt trahenda à Sectariis, & Antiquitatis osoribus, ac si nihil certi colligi possit ex superiorum ætatum scriptis in re Fidei, quæ ipso judice non admittit Locorum aut temporum varietatem, sed de casibus à doctrina Fidei remotioribus, in quibus erit optimum & consultissimum communi se consensui subdere doctorum & Præpositorum inter quos degitur. Quæritur tamen adhuc, An communis opinio æstimari & intelligi debeat, ex numero, an potius ex autoritate Opinantium: & Respondetur à dicto Autore, Potius ex autoritate opinantium quam ex numero solo esse judicandum. Nam opinionem aliquam plurimi unum aliquem auctorem sectati docuerunt, more ovium vel volucrum, quæ

plures unam præeuntem secutæ, eandem viam arripiunt: ut tradit Navarrus, Decius, Alexander: & sciendum plerique, Patrum, quos dicunt, suorum, nullo rectè facto judicio, doctrinam sequuntur, & defendunt, quod perspicuè videre est in Scholasticis, quicquid sui Ordinis Scholæve princeps docuerit, sollicitius requirunt, retinentque firmius, quàm quid vel Scripturæ ipsæ, vel purior antiquitas tradidit. Proculdubio tamen, distinguendum est nobis inter veriorem, & communiorem opinionem: & fatendum quidem, (quod monet Azorius) Veriorem opinionem non temerè æstimandam ex numero docentium, sed dignitate & præcellentia. Communem autem dicendam illam putamus quæ multitudine aliis antecellit: sive vera illa sit, sive falsa: sive sana, sive Hæretica. Porro dubitanti, Quot sunt, & Qui, qui opinionem communem constituunt? Azarius ex Navarro respondet, "Oportere eos autores esse Classi-"cos: h. e. quorum autoritas in Scholis sit appro-"bata: Item oportere eos esse plures: non enim "unus tantum aut alter ad communem opinionem "sufficit: v. g. Si quinque aut sex ex instituto quæ-"stionem tractent aliquam, & quinque eorum unum "opinentur, uno aut altero contrarium docente, "communis est opinio ea quam quinque unanimi "consensu tradiderunt. Præterea animadvertendum "est posse nonnunquam unius autoris sententiam "multorum & majorum opinioni præferri, &c. His, licet haud vulgari acumine & cautela hoc modo disputatis non clara elucet Quæstionis principalis definitio: Et quanquam sobriè & modestè Inquirentes non temnendos progressus faciant conscientiis stabiliendis, prædictis servatis regulis; tamen nondum removetur omne dubium de communi opinione. Addendum ergo censemus absque diffugio: 1. Posse non-

nonnunquam & solere accidere ut nulla certa divinatione quis assequatur quæ dissidentium Partium communis sit dicenda. 2. Hoc, si quid est mali, nihilo magis in Theologia, quam Politia, Oeconomia, & Physica occurret; vel traditioni, quàm Scripturis ipsis sæpius accidet. Quemadmodum ergo in dictis facultatibus propter varias & incertas opiniones, non tollitur certitudo Legum, non Justum, æquum, verumque, quo minus humanæ scientiæ & societas solide consistant: eodem modo fit in divinis, ut vel non dubitetur graviter de necessariis, vel satis liquidò pio & cordato constet, quid, quique sequendi sint. 3. Hoc prudenter tenendum censemus, eam opinionem, quæ publicâ autoritate fulcitur, quæque cunctis pro modulo cujusque perpensis communior videtur, talem revera esse: neque fas esse cuipiam illam deserere priusquam certiore & manifestiore ratione abducatur ab illa. Donec enim mortalitas in immortalitatem transfiguretur, & humana natura induat divinam, sapienter admodum & providè factum non dubitem à Deo, ut in multis palpemus, hæreamusque, & claræ lucis usura destituamur, ut animi nostri ab humana ope, mediisque naturalibus ablactati, se ad Deum conferant, auxiliumque humilius & ardentius implorent. 4. Postremò, id omittendum non esse putem, paulo aliter de communi Ecclesiæ voce, quam de hominum, Philosophandum. Sententiæ enim Civiles non semper eædem & constantes fuerint: rebus ipsis, vel hominum moribus, vel Regionum statibus diversim euntibus. Ecclesiæ autem uniformem, etiam temporibus & locis diversissimis, rationem in Fide & doctrinis saltem oportet esse: adeoque, non quærendum duntaxat. Quæ hodie, Quæ heri fuerit ejus sententia: sed conjunctim agendum: & nullam admittendum opinionem fuisse Ec-

clesiæ communem, quæ contrariis per pristina æquè ac sera sæcula potior non fuit. Salva semper libertate singularum non subordinatarum Ecclesiarum, qua fas iis sit se rerum & fidei circumstantiis accommodare.

Solet, me nequaquam nescio, à Viris Doctis hîc fere rideri & temni operosior omnis disputatio & sollicitudo de Traditione & Communi opinione: Aiunt enim, nisi vulgatissima & nulli non manifestissima sit, Traditio non erit. Magnificè quidem dictum: utinam tam verè quoque: Mihi verò luscioso fortassis, nihil Luculentius apparet quam ne millesimam Litium momentosarum Religione partem, tanta in luce positam esse. Et si aliter sentirem, certe nolentem me in aliam sententiam pertraheret opera diligentissimi Dallæi ad quam redeundum nobis est.

Caput

Caput decimum.

Ægerrimè sciri posse, Num Patrum de hujus sæculi controversiis sententia ab Ecclesia universali, an ab ejus parte tantùm recepta fuerit. Id ipsum tamen scitu pernecessarium, ut locorum qui ex iis proferuntur usus aliquis apud nos esse poßit. Ratio decima.

ALteram jam partem, vel rectiùs fortasse dixero, modum paulo diversum ejusdem argumenti, hîc habet Lector. Neque enim Thesis solùm reipsa eadem, verbis paululum mutatis, sed eædem instantiæ cum superioribus hîc opponuntur. Quis enim ignoret, Utrum Doctrina aliqua sit Orbis totius, vel Urbis, seu Provinciæ, & ignarus non sit, Utrum Ecclesiæ sit Universalis, vel Particularis? Illud tamen fortè novum erit; Quod difficillimum sit Ecclesiæ in varias scissæ partes sententiam expiscari, & quæ sententiæ alteri sit proponenda: Diximus modo ad hæc, nullo in foro ad plenum numerari posse, aut debere necessariò singulos calculos in idem probandum, aut rejiciendum. Dicimus præterea jam, hoc non minus incumbere inimicis Traditionis se expedire modo, quam defensoribus. Tum demum enim rectum nobis & facilem aditum patefaciendum Doctorum sententiis colligendis non dubitamus, quum filo Dallæano ad sensus Scripturarum ducemur, collidentes inter sententias Ecclesiasticorum interpretum. Scindi enim Ecclesiam quis unquam audiverit

verit inviolatis, aut indivulsis scripturis? Si qui verò in tam tristi discordia, & undarum concursione speret se tuto posse navigare ope Spiritûs sancti: Quid desperet idem in dissidiis Ecclesiasticis? Ad hæc. Nunquid quia perdifficile erit dijudicare verum, ubi contraria tradit Ecclesia; ubi consensus sit, contemni oportet? Aut qui alicubi discordes, nullibi conveniant? Postremò, Immane illud schisma quod Ecclesiam divulsit, hodieque dividit, non nisi post Annum à Christo nato sexcentesimum grassatum est, citra quam Periodum, quam Rivettus & reliqui rigidiores Protestantes constituunt doctrinæ & cultûs sinceriorum, cæpit nobis etiam Ecclesiæ autoritas suspectior haberi, & levior. Superioribus verò temporibus etiamsi variis Errorum portentis sæpenumerò colluctata est; divina tamen ope eluctata est Ecclesia Catholica, Pharumque eminentissimum erexit Posteris, Fidei, moribusque dirigendis nostris, ingruentibus Errorum tempestatibus. Adde, quod quum non magis quam adversarii simpliciter nostræ fidei imperare optemus Veteres, sed hoc unum obnixè petimus, & probamus, juncto lumine Ecclesiasticæ autoritatis, verbíque Divini, clarius quàm ex singulis divisisque veritatem enitere, & dubia de Religione plenius & clarius solvi posse; contra hoc planè nihil tentavit, nedum profecit D. Dallæus; ac si quæ fugit, vicisse se crediderit.

Quæ cùm sic se habeant, inanis operæ esset singulas Exceptiones, quas hic adducit, ad examen vocare; sintne appositæ, vel non. In quo tamen mala fide rem curasse deprehenditur. Nam notissima illa altercatio inter Victorem & Ecclesias Asiaticas, non rectè hîc statuitur. Neque enim ille, neque Hæ universalem Ecclesiam juxta suam sententiam uspiam definiisse asseruerunt: sed praxim utriusque

Partis

Partis Apostolicam fuisse, meritò & constanter affirmabant: Apostolis enim (Socrate teste) in opere Evangelii & Ecclesiis in magni momenti rebus disponendis, summopere desudantibus, vix dignum, si congruum esset, temporum & reliquarum circumstantiarum minutias religiosiùs definire universis Christianis: Ipsi autem pro suâ quisque prudentiâ, mores variantes diversis in regionibus suo facto & exemplo probârunt: quos Posteri summâ curâ coluerunt: quod impotens dominatio Victoris ægrè ferens, in turpiorem lapsa est errorem, & Ecclesiæ funestiorem. Neque (quod putare videtur D. D.) Cyprianus & Firmilianus Ecclesiam Catholicam ab antiquo abstulisse omnem baptizandi potestatem Hæreticis aut Schismaticis, affirmârunt; licet contrà acriter ipsi disputârunt, fieri scil. nequaquam oportere. Neque Lapsis quod negavit pœnitentiæ beneficium, ideò credidit Antiqua Ecclesia, apud se nullam esse potestatem, eandem indulgendi (quod suspicatur V. D.) Sed congruum putavit in terrorem sublabentium à fide, flagrante persecutione, non concedere: quam Ecclesiæ consuetudinem, quum Montanistæ & Novatiani in Legem ire cupiebant; Sanior Ecclesiæ Pars fortiter se tantæ opposuit immanitati: uti Episcopus Aureliensis Albaspimæus recte observavit. Hactenus ergo sibi pugnantem Catholicam Ecclesiam non habemus ex Dallæo. Albaspimæus Observat.

Nec felicius procedunt quæ sequuntur de Canone Scripturarum ex Concilio Laodiceno, & Carthaginensi; quæ paulo diversa de Scripturis decreverunt: Facili enim compendio distinctione adhibitâ Sancti Augustini & Hieronymi, concilientur Concilia; *de Canone ad Mores, & Canone ad Fidem:* de quibus commodus non est hîc differendi locus. Supponamus autem Ecclesiam contrariam, vel incertam in con- Pag. 188.

U troversia

troverſia de Libris Canonicis ſententiam tradidiſſe. Age, quo, obſecro, pharmaco huic malo medebimur? Num ipſis Scripturis, vel Spiritu proprio? Quare autem non verentur iſta aliis objicere, & improperare, quæ fortius ſeipſos vulnerant?

Denique quod Eccleſiæ Orientales Sabbato feriandum, Occidentales jejunandum eſſe docuerunt, aliquid ponderis habere videatur; quod tamen facile elevemus; dicendo, Superiore Jure dirigi in hac cauſa oportere, quod permittit, imo præcipit in hujuſmodi diſcrepantiis, cum Romæ fueris Romanum ſequi morem; cum Conſtantinopoli, Conſtantinopolitanum; fremente etiam & renitente Papa Romano, qui ſolus in omnibus coli vaniſſima arrogantia cupit. Quod ſiquis importunius adhuc percontetur, Quomodo ſaltem Eccleſiæ vocem, de qua jam agitur, internoſcamus in his diſſenſionibus? Reſpondetur apertè, in hujuſmodi rixis iniquum & ſuperfluum eſſe petere decreta peculiaria, & præciſa; ut & ſpernere, ubi ſatis conveniat in rebus fidei Corpus vel conſtituentibus, vel cohoneſtantibus. Nihil enim ſanctius, nihil fundatius in Eccleſiaſticâ ſit Politiâ, quam privata ingenia oportere dictis ſuorum Præpoſitorum, ubi non colliſerint cum Sacro-ſanctis Scripturis, aut Jure Eccleſiæ verè Catholicæ, acquieſcere. Quæ verò ſint Jura Eccleſiæ Univerſalis & Particularis, tum demum rite perdiſces, quando modum fueris aſſecutus humanarum poteſtatum mentem cognoſcendi, & autoritati parendi.

Caput

Caput undecimum.

Fieri non posse ut super ullo eorum capitum quæ sunt hodie in controversia, clarè liquidóque pernoscamus, quæ totius Veteris Ecclesiæ sive Universalis, sive particularis sententia fuerit. Ratio undecima

QUæ paulo superius diximus futura, hîc Lector facta experiris; semel iterumque eadem recocta fercula, additis tantummodo quibusdam condimentis, secundum artem Rhetoricam. Principiò enim Terminos uti antea, distinguit, & quotupliciter Ecclesiæ vox accipi solet, docet, de quibus satis jam dictum à nobis. Hîc vero superest ut oret, peroret, instet, colligat, atque concludat, secundùm Officinam Rhetorum, novi autem nihil pariat. Dignum tamen observatu judicem, quòd hîc, quæ suprà invidiosius negavit nobis, concedit, dicens, *Possumus quidem quæ verorum Ecclesiæ membrorum fides fuerit, ratiocinando colligere.* Optimè jam se res habet; & serenior, post rugosam aliquandiu frontem, vultus apparet. Quod hactenus non potuimus, aliquo saltem modo nunc possumus, non solum contra argumenta duorum proximè præcedentium capitum, sed totius hujus Libri institutum, quod huc præcipuè faciebat, ut demonstretur, non posse nos, quid sit mentis Antiquis, expiscari. Necessarium erat tamen ut vinum hoc generosum aqua statim dilueret, hoc modo: *Id imprimis non ad omnia religionis capita refertur, sed ad ea tantum quæ sunt necessaria: præter quæ multa sunt alia, de quibus dissentire licet salvâ non solum Ecclesiæ com-*

Da pag. 192, 193.

Id. ibid.

Ibid.

munione, sed & hæreditatis æternæ spe. Quæ verba Scorpiorum virus quod trajiciunt, propria virtute auferunt. Magnum proculdubio beneficium, solatium ingens est modestè dubitanti de fide, cum fiducia eam amplexari commendatam. Hoc Patres, hoc Traditio præstant: Fidei autem μυνείσμαν, nihil vetat quo minus securâ Ecclesiæ pace, liberius à veris Ecclesiæ membris colantur. Secunda autem exceptio à re adhuc alienior, nisi me fallat conjectura de Authoris mente, qui sic pergit; *Deinde ejusmodi ratiocinatio non valet nisi eorum ratione qui sunt genuina Ecclesiæ membra. Qui verò Christiani non revera, sed solâ tantum professione sunt, eos profectò neque servari, neque ea fide quæ ad salutem requiritur, præditos esse necesse est. Possunt sub hujusmodi larvâ omnis generis opiniones etiam maximè impiæ latere.* Sensus, uti auguror, huc redit: Parum scil. valere ad salutiferam fidem Christianorum, decreta Ecclesiæ, Traditionisque secreta calluisse, nisi verme Hypocrisis longe remotâ, & tineâ Larvatæ pietatis: quod verissimum agnoscimus, sed à scopo longissimum. Putâram enim ego, & quisque æquus arbiter controversiæ hujus, nihil hic omnino agi de Fide seu doctrina Christiana in concreto seu subjecto; sed absolutè & in propositione tantummodo: nec spectandum quam sincerè & Catholico corde quis in se credat, sed quam pura sanaque fide, quâ quis sive fictè, sive seriò imbuitur; *de re*, inquam, non *de Persona* quæritur: De Fidelitate Matris Ecclesiæ tradentis, non de fide Filiorum recipientium. Neque enim quæ manifestissimè exhibet S. Scriptura, quæ Symbola sanctissima Ecclesiæ porrigunt, tutos quosque reddunt ab Hypocrisi: solius hoc Spiritûs divini opus erit, quem phanatici idcirco ambiunt unicum controversiarum judicem, quia, cæci ut sunt, vident se hoc obtentu, Liberatos ab omni humanâ

humanâ Lege & coercione. Adeſt tamen tertium hoc, *Denique quod maximè ad rem noſtram facit, hæc cognitio ratiocinatione paratur, cùm de ea nunc agamus quæ ex citatis & interrogatis teſtibus habetur, qui de ea re quam ſcire avemus, certiores nos facere poſſunt.* De teſtibus quidem veritatis hîc imprimis agitur: at non ſolum ſub iſta ratione. Miſtæ enim rationis recte Eccleſiæ ſuffragium eſſe dicamus: nam, quod antea ſcripſimus, Teſtimonium ejus ſumma ratione ſit conjunctum, licet aſſertoriè duntaxat proferatur. Deinde, non tam ſtupidos quærit Eccleſia filios, ut ſenſibus gaudentes ſufficiant tramitem rectum abſque errandi periculo incedere. Revera indaganda, evolvenda, conſulenda, & conferenda plerunque Eccleſiæ monumenta ſunt ſtudioſo Veritatis, & mentis Eccleſiæ priſcæ: Quod quoniam otioſi non ſit tardive ingenii, redit neceſſitas dicta ſuprà, quâ tutiſſimum ſit vulgo Duces in Chriſto tam de Eccleſiæ quam Scripturæ mente ſubſequi. Quod utcunque rideant & aſpernentur nonnulli emunctiores Proteſtantes, clamitentque in contrarium; quaſi Spiritus Sanctus nunquam ſuos regere deſinat in omnem veritatem, poſtulant tamen ubi poſſunt, & ſe judices cogunt nos agnoſcere. Verum, *Racionatione paratur notitia Traditionis*, quereris. At non omnis, vel ſi omnis, ejuſmodi profectò eſt, quâ nulla in humanis actibus clarior certiorve reperitur. Præterea, non tam de modo, quam facto laboratur; quod ſi ſucceſſerit, collabente primo fundamento Libri prioris id fit. Neque quod ex Auguſtino & Hieronymo affertur in præjudicium cedit Eccleſiaſticæ Traditionis: qui piè & prudenter conſulunt propter Eccleſiæ pacem, quædam ſequi potius quam probare. Nam hoc inter primas & utiliſſimas Eccleſiæ traditiones ſemper ſanctum fuit, ut poſt articulos Fidei & neceſſariam diſ- Ibid.

Pag. 195. ciplinam Ecclesiæ, unitas & pax religiose serventur, & minus anxiè de veritate extrinsecorum contendamus. Nec aliud responsum desiderant quæ à Cypriano & Ambrosio huc adducuntur, de variante à se Ecclesia, & diviso ipso clero aliquando. Nam & disperdi, & dissipari eam justo Dei judicio posse, facile concedimus; non tamen de his contingentibus ferri judicium debere. Sit ergo (quod lubens agnoscam) hæc nostra sententia, Cassandri quoque, viri sanè incomparabilis; Cassandriani quoque audiamus, qui pro antiquitate certamus: nihil moramur: Fuit enim semperque erit (quod docuit optimè Cassander) in medio corruptionum genus hominum qui religiosius adhærescunt avitæ Traditioni; frementibus Papalibus & Puritanis Innovatoribus.
Pag. 197. Addis verò probrosè satis, *Si clancularia illa, quæ se reliquo, cujus se partem profitetur, corpore saniora sentire existimat, paulatim vel per se ipsa extinguatur, vel vi opprimatur; omnis ejus memoria sic peribit, ut posteri, nisi forte divini fuerint, quæ fuit eorum religio nunquam sunt intellecturi:* Nos hæc temerè supposita nequaquam patimur convalescere adversus inconcussè posita à Domino Christo. Neque enim absque incredulitatis labe, suspicio animis nostris nasci possit, ne Ipse in tantum Ecclesiam deserat, ut disertis non stet promissis, quibus fidem nobis facere vellet, Inferorum portas nunquam prævalituras supra Ecclesiâ suâ: quam tamen tum demum necesse est deficere, quum extincta sit ubique pars aliqua Fidei integralis, & apud omnes; ut, ne Clancularia secta supersit testis Veritatis. Ex malè suppositis tamen haud malè corruptissima dogmata moresque Romanæ Ecclesiæ notas: quam, si tollantur testes (quod supponitur) sanioris doctrinæ, profectò omnis spes unà videtur mihi sublata, corrigendi & restituendi. Verùm singulari bene-

beneficio Dei Tabulæ prostant quæ defectionis eam coarguant. Quoniam verò supposita odiosa Dallæo placent, supponamus quoque Scripturas ipsas extinctas, & ex Ecclesia profligatas, ut ad idoneum Judicem nondum natum perveniatur. In causa verò tantarum Tragœdiarum quæ per scripta hæc moventur adversus Veteres, nos certiores facit: Gratiâ scil. Divi Aerii, & formosulæ Disciplinæ, quam ambierunt Protestantes quidam, vel deperierunt potius. Per plures enim & longas ambages de dubia fide Ecclesiasticorum testium, singulari certamine Epiphanium adoritur, errorisque accusat, quòd existimârit Aerii dogma contra Universalis Ecclesiæ judicium esse, cùm Hieronymus in eadem sententia esset. Non patiemur nos ad finem Primi Libri perductos, novæ & arduæ disputationis de Regimine Ecclesiæ in Pelagus rapi; præsertim cùm locus commodior posthinc non desit de hac quæstione disserendi. Sufficiat hîc breviter dixisse & ostendisse verbis Hieronymi non concludi Epiphanium, ipsumque contraria scripsisse, Hieronymus dicit, "Apud Veteres eosdem Episcopos & Presbyteros fuisse, quia illud nomen dignitatis, hoc ætatis fuit. Epiphanius tradit, Aerii dogma contra Catholicam fuisse Ecclesiam: Nulla tamen est Contradictio, quippe quod de Ecclesiæ mente ad tempora Aerii locutus est Epiphanius, Hieronymus verò post Aerium suam sententiam prodidit. Hic autem quis non demiretur viri proculdubio Antiquiorum seculorum callentissimi incredibilem temeritatem, nisi studiosum potius mallet dicere errorem; Davidis Blondelli; qui projecto omni pudore scribit, *Aerium hæreticum non habitum ob sententiam quæ ei cum Hieronymo & universis propemodum Veteribus communis fuit, & Presbyteratus cum Episcopatu identitatem inculcavit, sed ob falsum ac perperam à verissima illa sententia*

Pag.201.

Hierony. Epist. ad Oceanum.

Blondellus Præfat. ad Apolog. p. 59.

tentia

tentia deductum πίσευμα. " Ab iis ſcil. qui ullum inter
" Epiſcopum & Presbyterum conſuetudine Eccle-
" ſiaſtica invectum diſcrimen, quomodocumque ad-
" miſerit ſecedendum eſſe.

In qua non quod pro ſuo dogmate contendit; ſed iis mediis, quæ nullum, ſecluſis ſuis Fide & autoritate, fundamentum habent. Primò enim id nimis abſurdè & falsò aſſeritur: viz. *Univerſos propemodum Veteres cum Aerio communiter de Epiſcopatu & Presbyteratu ſenſiſſe.* Cum ipſe ſubtiliſſimus & accuratiſſimus hac in Lite Antiquitatis perſcrutator ne unum adhibeat teſtem ante Aerium, qui id ῥητῶς, uti Aerius, affirmaverit. Et quæ à quibuſdam hauſit per conſequentias ex ingenio & conjectura ſuis textas, facile ſolvantur. Dein quod audacter, Theſi deſerviens, nullo præeunte, vel comite, Aerium aſſerit Hæreticum habitum, quòd ab iis ſecedendum docuerit qui admiſerint diſtinctionem Graduum ſeu ordinum iſtorum. Aſt quem unicum ex univerſo Veterum choro, quibus perquam familiaris videri vult Blondellus, in ſuam traxerit ſententiam, precor? Quare tam inopem in tanta copia ſe invitò prodit, nullum memoret, niſi quia neminem invenerit? Epiphanius enim quem paulum ante teſtatur, contrarium potius ſcribit. Nam ejectum dicit ab Eccleſia, non ſponte exiiſſe. Cæterum dices (quod alio in loco profers de contentione Auguſtini & Hieronymi de Anima) nullo modo eſſe probabile Hieronymum in iſtiuſmodi ſententiam iviſſe, quæ omni Antiquitati contradiceret. Ergo falsò proditum eſt ab Epiphanio univerſam Eccleſiam aliter ſenſiſſe: Mihi equidem nulla ratione affirmari videtur Sanctum illum Patrem velle quicquam convellere, vel facile potuiſſe ignorare quod univerſa docuerat Eccleſia: Siquidem crebriùs vix quicquam occurrit Venerabilis Patris, quàm

Idem initio, Apologiæ, &c.

Epiphan. Hæreſ. 75.

ſummâ

summâ religione se Veterum calcare vestigia, quale illud ad Theophilum est, "Tu scito nobis nihil esse "antiquius quàm Christi jura servare, nec Patrum "transferre terminos. Transferunt autem Princi- "pes Judææ terminos quos posuerunt Patres eorum, "quando commutant mendacio veritatem, & aliud "prædicant quam ab Apostolis acceperunt. Quapropter nec sibi ipsi, nec Traditioni inviolatæ repugnat Hieronymus. Non enim sunt contraria quæ dispositione divina instituuntur, & Instinctu Diaboli: Quemadmodum enim in statu Innocentiæ Lege, seu dispositione divina omnia omnibus communia esse, & postea Diaboli instinctu primos Parentes à fastigio honoris illius deturbantis, Jus Divinum singulis privata sua constituit. Juxta illud Gregorii Magni: *Sicut in Libris Moralibus dixisse memini, liquet quod omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur, ut quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero.* Primo item Evangelicæ lucis crepusculo, forte isti ordines nullo jure divino divisi erant; postea suadente humanâ malitiâ, & instinctu Diaboli, schismate & dissidiis Ecclesiam discerpentibus, visum fuerit Spiritui Sancto legem novam Hierarchiæ Ecclesiasticæ dare, quâ melius semina discordiarum tollantur. Occasio ergo à Diabolo, causa Distinctionis à Deo esse possit; quomodo pessimi mores optimis Legibus originem dare soliti sunt. Porro hoc non gravatim sumus jam largiti, non raro contigisse Patrem aliquem (homo cum sit) æstu posse rapi disputandi contra Hæreticos vel Adversarios importunos, quales habuisse quando hæc scripserit, diaconos quosdam Presbyterorum æmulos, certum est, Hieronymum; ut parum consentanea vel Ecclesiæ vel sibi ipsi posteritati mandet:

Episto. 68. ad Theo.

Idem lib. 2. Com. in cap. 2 Oseæ.

Gregor. Mag. Pasto. Curæ Part. 2. cap. 6. initio.

de quo jam Libro Secundo nobis superest dicendum, satis superque succidisse ratis nervos Prioris Generalis argumenti, quo lectorem cuperet persuasum, Vel plane impossibile, vel perdifficile esse Veterum sententiam de controversiis Religionis expiscari.

Responsionis

RESPONSIONIS PARTICULARIS AD Joan. Dallæum *De Usu Veterum*, &c.

Liber Secundus.

Caput primum.

PRiore generali exceptione absolutâ adversus Veteres: hoc secundo libro ad alterum genus argumentorum se Vir Doctus confert; ubi sex rationibus satagit ostendere, Patres tantæ autoritatis non esse ut nostras de Religione controversias possint decidere: quarum prima hîc sequitur.

Patrum de Fide Ecclesiæ testimonia non esse semper certa veraque. Ratio prima.

POstquam, quod magni & fælices Duces partâ jam victoriâ, cæsisque vel profligatis hostibus consueverint facere, stragem, quam se fecisse Veterum, superioribus argumentis credit, non nisi summâ

ostentatione collustraverat Dallæus, (quæ ego omnia lubens omitto) ad deprædicatam illam Lernam errorum, quibus omnem Ipsis autoritatem penitùs obrui putat, movendam, omnes intendit vires.

Prius verò quam speciatim Veterum fidem famamque querelis suis atterat, summam earum exhibet: Dein notissimâ distinctione utitur de autoritate Patrum, quatenus Doctores, & quatenus testes doctrinæ sunt traditæ: quam sanè receptissimam, & aliàs utilissimam, in hac quæstione neque simpliciter probandam, neque damnandam existimem; sed potius distinguendum inter varios modos & occasiones Scriptorum à Veteribus, non minus quàm ab aliis. Sunt enim non pauca fortasse, quæ, quasi securis, nemine adversante aut excitante, exciderunt. Alia verò ab iis profluxerunt maturiùs re expensâ, & attentiùs literis mandatâ, & constantiùs, crebriusque inculcatâ. Non pari veneratione illa, atque hæc sunt recipienda. Non enim tantùm Doctorum munus sed & Testium quoque hi obeunt. Docent enim, argumentantur, testanturque ex Antecessorum autoritate & traditione. Nec expectandum semper ut in Synodos cogantur Patres ut solenniter testimonium perhibeant de Fide Christiana: quod enim in eorum scriptis legimus, aliam ob causam proditum posteris non credimus, quàm quia & Spiritui sancto & Veteribus ductui ejus parentibus, ita visum fuerat: Quan-
Dall. pa. 205. quam cum Viro Docto non contenderim, *Sitne* (quod scribit ipse) *inter ista duo magnum discrimen*: quia in genere saltem latum est; tantum tamen in rixosâ (quam vocant) Theologiâ non esse, quantum in aliis scientiis sit, aut in Ecclesiæ conciliis, atque in Foris Civilibus asseveranter dicam. Doctores enim Ecclesiæ semper se astringendos probe noverunt Traditioni, ideóque docendo testantur quodammodo Ecclesiam

Ecclesiam quoque ita docuisse: aliter enim aliud docuissent. At *In teste* (inquis) *requiritur Fides, in doctore eruditio:* Optimè sanè, si Logicè de rebus disputemus: sed nihil obstat quo minus quæ naturâ sunt diversissima in unum cadant subjectum, idemque docendo testetur & testando doceat. Verum ergo concedimus, sed nobis non incommodum quod sequitur, viz. *Falli* etiam posse probos & pios Veteres quantum testes sunt. *Sæpe enim accidit* (pergis) *ut viri etiam optimi ea se vidisse innocenter testentur quæ se vidisse putant, tametsi eos falsos id putasse certis postea documentis deprehendatur.* Nihil his inesse dubii posset, quandoquidem nec tua te probitas ratiove summa effecit ne erroribus hic variis sis deprehensus. Quo verò te calumniandi studium, etiam ubi maximè deneges, asportavit, postrema hac ratione discimus. Tametsi enim multum sæpeque egimus de veneranda Patrum autoritate, nunquam tamene videntiâ sensuum communium testimonia exæquare diximus: Neutiquam ergo pudebit profiteri non minus nos erroribus obnoxios auscultantes Voci Antiquitatis, quam sequentes externorum sensuum dictata. Detur ergo par ratio in utroque: non opus erit ut Fallibilitatem Ecclesiæ Spiritus divini extraordinario adjutorio (quod tamen non est nihil) sublevemus: Christus enim prænuncians & promittens ad futurum Spiritum Sponsæ suæ, ait, *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur de seipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vos.* Sed ad particulatim objecta deveniendum, laudandumque imprimis Viri Clariss. ingenium, præ innumeris Novatoribus modestum: non enim, ut solitum his effervescentia pravi zeli, apertis convitiis invehitur in Traditionem, sed honestâ loquendi formâ præmissâ cæco verbere, & amici vulnere

Ibid.

Joan. 16. 13.

vulnere conficiendos Patres statuit: eos scil. imitatus divitum hæredes, qui quos extinctos intus & animitus lætantur, eorum corpora amplo funere efferri curant.

Pag. 106. Ex iis autem primus omnium malè audit Philastrius Brixiensis, quod "Inter Hæreticos eos censuit, "qui levissimis rebus, & fortè veris, ab aliis discre"pârunt. Quomodo autem hoc huc pertineat, aut Capitis titulo respondeat, difficile mihi est assequi; quod eò potissimum videbatur collimare ut incertam fluxamque Veterum fidem in deferenda ad nos Traditione Ecclesiasticâ proderet. Hîc autem eorum potius fides symbolica quàm Historica perstringitur: quæ duo ipse in Limine hujus capitis distinxerat. Atqui si neque ut Doctor offendit Brixiensis, graviùs multo ab Incusatore peccatur. Facile autem Polysemia vocis Hæresis tam apud Antiquos humanæ, quàm Divinæ doctrinæ autores hoc constiterit. Cicero enim in bonam utitur partem eo vocabulo, in

Tertull. Præf. adv. Hæret. cap. 6. Isidor. Hisp. Origen. lib. 2. cap. 3. Euseb. Præp. Evangel. lib. 13. cap. 12.

Paradoxis, *Qui Cato*, inquit, *in ea hæresi est*: à quo non dissentit vel Tertullianus, vel Isidorus Hispalensis. Neque enim Græci illam refugiunt dictionem in materia honestâ: Nam & Aristobulus Pontifex Maximus Judæorum sic apud Eusebium de sua loquitur Religione, Ὁ μάλιστα διεσάφηται καλῶς καθ' ἡμᾶς αἵρεσις. Et apud eundem Constantinus M. & Ethnicis suam superstitionem, & Christianis τῆς αἱρέσεως καὶ ἑαυτῶν τὴν αὐτὴν φυλάττειν permittit. Nec denique Sanctus Paulus dis-

Tit. 3. v. 10. similiter Epistolâ ad Titum loquitur, ubi monet Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitio-

Calvinus in Locum. nem fugiendum: de quo sic commentatur Calvinus. "Vulgo trita est distinctio inter Hæreticum & Schis"maticum, quæ tamen hîc à Paulo, ni fallor, con"funditur. Neque enim tantum eos designat, qui "certum errorem, aut perversum aliquod dogma fo-

"vent,

" vent, aut tuentur: sed in universum, quicunque
" sanæ doctrinæ non acquiescunt, quam nuper pro-
" posuit.——— In summa, quisquis Ecclesiæ pacem
" suâ proterviâ abrumpit is Hæreticus vocatur à
" Paulo. Quæ cùm ita sint, impudenter hîc Philastrium & Epiphanium obelis criticis Dallæi perfossos esse, constet. Poterit his Augustinum quoque & alios adjunxisse complures, qui interdum laxius, interdum strictius Hæresis vocem usurpârunt. Ita enim de Civitate Dei ille, *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti at sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici fiunt; & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Auguft. De Civ. Dei, lib.8. cap.51.

Jam verò videamus si vel alterum Par Ecclesiasticorum Heroum Hieronymus & Augustinus modestiùs inter se committantur: quòd Ille ponat ex sententia Ecclesiæ, Animas hominum à Deo immediatè creatas; Augustinus autem aliter scripserit; " Quòd si Pag.206.
" vero Hieronymi verum esset Testimonium, ea (in-
" quit D.) fuit Augustini modestia ut sine injuriâ di-
" ci nequeat eum receptam in Ecclesia sententiam
" ut privatæ indulgeret, reliquisse. Quorsum verò hæc, si quod res ipsa est, respondeamus, Utramque opininionem Ecclesiæ fuisse; Ecclesiam verò in neutram unanimiter consensisse: quod non tantum vidit, sed aperte tradidit Cælestinus Papa de hoc dubio loquens, " Profundiores verò, difficilioresque Cælestinus ad Episcop. Galliæ.
" partes intercurrentium quæstionum, quas latius
" pertractârunt, qui Hæreticis restiterunt, sicut non
" audemus contemnere, ita non habemus astruere.
De his autem verbis sic Cornelius Jansenius in suo Augustino. " De his intellexit Cœlestinus, quas Jansenius Auguft. To.2. Procem. ca.16
" Augustinus disputando & in omnem partem se
" (pro assequenda veritate) vertendo, in medio in-
" decisas

" decisas præteriit. Talis est illa latebrosa de Ani-" mæ origine, quam multis locis propter Pelagianos " latè pertractavit. Hæc ille. Quibus si addamus, Augustinum ipsum hanc controversiam nusquam definiisse, & suam sententiam nunquam Ecclesiæ tribuisse, merus Paralogismus hæc tota crepatio Dallæi erit.

Pag. 167. Nec multum dissimile erit responsum ad similem reprehensionem Veterum, docentium, Angelos esse Corporeos, juxta Joan. Thessalonicensem Episcopum. Primò enim, Nihil hâc in quæstione definitum invenimus ab Ecclesia. Dein, Est res potius Philosophiæ quam fidei: Denique hæc ipsa sententia, si æquius quam à vulgo Peripateticorum solet, perpendatur, à vero minus abhorret, vel judicio Præsentis Ecclesiæ. Verbis enim & loquendi formulis licentia neganda non est, quam quævis ætas delegerit. Placuit autem priscis Philosophis, æquè ac Christianis, quoblibet subsistens & in rerum natura permanens, *Corpus* nuncupare. Unde Lucretius.

Lucretius, lib 1.

Præterea nihil est, quod possis dicere ab omni
Corpore secretum———

Tertul. de Carne Christi cap. 11. Item Tertullianus, *Nihil est* (ait) *incorporale, nisi quod non est.* Et contra Hermogenem, *Ni fallor, Omnis res aut corporalis aut incorporalis*, ut concedamus interim *aliquid esse Incorporale, de substantiis duntaxat, cùm ipsa substantia corpus sit rei cujusque.* Contra Marcionem autem adhuc apertius sic scribit. *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus sit?* Platonici autem Philosophi hoc idem senserunt, ut ex uno Apuleio pateat. *Dæmones sunt in genere Animalia, ingenio rationabilia, Animo passivi, Corpore aerei, tempore æterni.* Enimverò nisi quis tandem (quod mihi videtur humani

Idem contra Hermog.

Idem contra Marcion. lib. 2. cap. 16.

Apuleius de Deo Socratis.

mani ingenii vires & acumen ſuperare) clarè & præcisè definierit extremos corporeæ puritatis terminos, quos excedere Divinæ potentiæ fuerit impoſſibile, non putârim contra Angelorum corporietatem pertinaciùs aut moroſiùs diſputandum, vel Animæ noſtræ; qui, utut ſe res habeat, non immerito Spiritus dici poſſint, quod ſpiſſiore materiâ, qua Senſibilia conſtant, eximuntur. Me verò quod attinet, fateor probabiliorem & temperatiorem videri illam Auguſtini ſententiam, quam explicat latè, Epiſt. 28. Aug. Ep. 28. Puerile autem & novum illud noſtri ſæculi argumentum eſſe duco in contrarium, quod è Penetratione Scholaſtici ſolent uſurpare. Nam hodierna explicatio Penetrationis vel admodum futilis, vel nulla eſt, vel talis, quæ ad aures Veterum vix perveniſſe videatur. His proximus Epiphanius, reprehenſus quòd traditum ab Eccleſia ſcripſit, ut ter in Hebdomade conveniret ad ſacram Synaxim, *quod Petavius, an ſatis certò conſtet, ſe haud ſcire dixit.* Dall. ibid. Mirarer equidem Virum doctiſſimum potuiſſe latere, non ter ſolùm, ſed quotidie, per ſeptimanam convenire ſolitum Chriſtianis antiquis fuiſſe, ad Euchariſtiæ celebrationem, quod Auguſtinus & Origenes expreſſim affirmant. Quæ verò eſt illa diſcrepantia, quæ pro temporum locorumque varietate, facile conciliatur? Nam autore Auguſtino Eccleſiæ aliquæ quotidie; aliæ ter celebrarunt in Hebdomada: Aliæ, ſingulis Feſtis.

De Auguſtini, Fulgentiique opinione de ſumma neceſſitate baptizandi Parvulos, cujus verba ſatis quidem rigida hic ponis, viz. *Firmiter tenendum & nullatenus dubitandum de æterno eorum ſupplicio*; Pag. 203. primò dicimus, mirum nobis videri, ut te, tuumque Petavium præteriret, hæc quæ allegantur quaſi Fulgentii verba, ipſius potius Auguſtini fuiſſe, in opere illo ad

August. To. 3. Petrum Diaconum De Fide: imo integrum tractatum istum transiisse (nescimus quo errore) ex Operibus Augustini in Fulgentium; & potius Filium populi esse, quam utriusvis Patrum. Erasm. Nasutissimo enim Erasmo figmentum olebat: easque ob causas quæ utroque abjudicant: nim. Styli impuritatem, quam Fulgentius videatur magis quam Augustinus perhorruisse. Neque tamen dissimulem Erasmum inadvertenter arguisse opus esse suppostititium, à formulis inconcinnioribus loquendi, Augustino minimè competentibus: qualis illa est, *Pergere Hierosolymam*, quod nollet ab Augustino dictum: non meminit scil. Augustinum non semel ea phrasi usum in Epistolis. Primò enim ad Marcellum scribens, ait; *Per Diaconum Peregrinum, qui cum illo perrexit commonitorium direxi.* Item alibi, *Perreximus*, inquit, *comitantibus non paucis.* *Pergere* scil. dixit Pater ille, ubi non dubitem disertissimum Erasmum meritò *Proficisci* dicturum. Nec multò firmior altera ratio conjectantis est, sumpta à toties repetita illa phrasi *Firmissimè tene*; *& Nullatenus dubita*; *non simplici* (inquit) *vitio latinitatis*: Nam ab hac formulâ non abhorruisse Augustinum, alicubi experti sumus. Ratio ergo tertia, ut sanior, ita magis nostra refert, viz. *Toties hic iteratur, infantes, qui citra baptismum hinc decesserint æternis ignibus cruciandos, quòd aliàs apud Augustinum nunquam legi, licet pœna damnationis & Interitus vocabulis frequenter utatur.* Distinguamus ergo de Pœnis Infantum Baptismali fonte illotorum, & mollior veriorque erit sententia Fulgentii & Augustini. Nam æternis puniuntur pœnis secundùm doctrinam Ecclesiæ, qui damnum beatificæ Visionis æternùm patiuntur. Pœnam verò, quam dicunt *Sensûs*, luere infantes ob carentiam Baptismi, non adeo communis aut constans est, fuitve unquam opinio Ecclesiæ. Hanc differentiam latam

Augustin. Epist. 158.

Augustin. Epist. 162.

tam ſatis non attendens quiſquis ille fuit Collector Opuſculi iſtius ex operibus Auguſtini (ut probabiliter admodum conjectavit Eraſmus) errare facile potuit de mente Auguſtini, ut & Dallæus iſto duce, de Fulgentii.

Virum inſuper liberalis ingenii dedecere putarem famæ Veterum inequitare propter lapſus eorum Chronologicos; ubi, ſi quempiam mihi ſiſtat Recentiorum, qui non prolapſus in ejuſmodi errores ſit, & manum exhibentis, & pedes tam fœliciter procedentis polliceor me ambitioſè exoſculaturum. Peccaſſe ergo, & dormitaſſe agnoſcimus aliquoties Bedam, ſed doctrinam fidei, quò minus recipiantur, vel illum vel alios hoc modo læſiſſe pernegamus. Dall. ibid.

Quid verò audimus poſt hæc niſi Salmonei tonitru: viz. *Autoritatem nullam contra rationem admittendam:* & *Sanctum eſſe, veritatem cujuſlibet amicitiæ anteponere: Suntò ergo* (inquit) *ſi placet, eodem in Chriſtiana Philoſophia loco, quo in ſæculari eſt Ariſtoteles. Fatebor eorum de Religione ſententias reverenter eſſe habendas atque expendendas. Fateor de viris maximis & præcipuæ eruditionis ac ſanctitatis fama florentibus non eſſe temerè quicquam ſecius ſuſpicandum; neque eorum ſententia abſque gravi & evidenti ratione erroris aut vanitatis, præſertim in re momentoſa, inſimulanda, ita tamen ut memineris eos homines fuiſſe.* Egregia hîc Apophthegmata habemus. Rectiſſimè enim & æquiſſimè Ratio ſana autoritati inſanæ præponitur: ſed rationes nullas habemus hujuſmodi contra autoritatem quam defendimus. Præterea conſilium & conſtantiam in te, Vir eximie, deſideramus, qui Libro ſuperiore negaſti, & pro virili probaſti mentem Antiquorum à nobis non poſſe capi; quod ſi verum demus, evaneſcant neceſſe eſt ampullaceæ hîc veterum laudes: non alio certè animo adornatæ, quam ut poſtmodo ſecurius & certius jugulentur. Pag. 211.

lentur. Optime sanè & liberalissimè consultum à te illis crederem, si vel tantam revera tribueres ipsis autoritatem, quantam Aristoteli pridem in Scholis vidimus ubique concessam: & sic quidem utrique homines fuisse Patres meminerimus: Vos, ne dum homines creditis, deteriore loco quam pecudes habeatis: & non quia possunt errare, ita contra ipsos disputare, ac si non possint non errare: Nos verò, ne vel supra rectè institutâ demonstratione, (quam nusquam hactenus assecuti sumus) vel divino verbo constituamus: quod unquam hominum Christianorum in mentem venisse, nondum accepimus. Imo concedimus (quod multa prece supra postulas) in minimis, &, si vis, in majoribus, & potuisse falli, & actu cespitasse: Agedum verò experti judicent lectores, an necessitate, an detractandi animo, Veterum publices nœvos, ex sequentibus. Cæterum hanc litem dirimere non opis est nostræ, nedum D. Dallæi definire. Post Scholasticos videat, cui sit volupe, succinctè hanc quæstionem explicatam à Cl. Gerardo Vossio.

Pag. 210.

Pag. 212. Joan Gerard Vossius de Idolatria, Lib. 1. cap. 7.

Quoniam verò multa hoc libro Veteribus objiciuntur, animo existimationem eorum denigrandi, quæ simplicioribus negotium haud leve ferant, ex numerosissimis instantiis; utile hic existimavi ea semel enervare, quæ postea per partes conficiam: atque invidiæ declinandæ causâ Cani potius quàm meis verbis, quantùm per compendium fas sit. Postquam enim ipse fere singula quæ Dallæus hîc Patribus exprobrat, & nonnulla alia, Lib. 7. cap. 1. & 2. contraxerat: tertio capite propriam sententiam hoc modo explicat. Conclusio prima sic se habet. *Sanctorum autoritas sive paucorum, sive plurium, cùm ad eas facultates affertur, quæ naturali lumine continentur, certa argumenta non suppeditat, sed tantum pollet quantum ratio naturæ consentanea persuaserit.* His concessis tolluntur illæ

Melchior Canus Lo. Com. Lib. 7. c. 1. 2. & 3.

illæ quæ infra fiunt exceptiones adversus Philosophicos errores Sanctorum Patrum.

Secundo, concludit. *Unius aut duorum Sanctorum autorum autoritas, etiam his quæ ad sacras literas & doctrinam pertinent, probabile quidem argumentum subministrare potest, firmum non potest. Ita dispicere & pro nihilo habere, impudentis; suscipere & habere pro certo, erit omnino imprudentis.* Hujus eadem, quæ nusquam non occurrit apud Do. Dall. ratio redditur, scil. *Quia homines fuerunt & spiritu humano sunt locuti.*

Tertia conclusio est. *Plurium Sanctorum autoritas, reliquis, licet paucioribus, reclamantibus, firma argumenta Theologo sufficere & præstare non valet.*

Quarta conclusio. *Omnium etiam Sanctorum autoritas in eo genere quæstionum quas ad fidem diximus minimè pertinere, fidem quidem probabilem facit, certam tamen non facit.* Hoc ex superiore colligitur.

Quintò: in Expositione Sacrarum Literarum communis omnium Sanctorum Veterum intelligentia, certissimum argumentum Theologo præstat, ad Theologicas assertiones corroborandas: quippe, cùm Sanctorum omnium consensus S. Sancti sensus ipse sit.

Sexto: *Sancti simul omnes in Fidei dogmate errare non possunt.* Hanc plurimis Veterum testimoniis conclusionem confirmatam apud ipsum legere autorem, mallem Lectorem remittere, quàm hîc prolixiore eum oratione defatigare. Ex his autem satis non planè obtuso sit perspicuum, quàm subleftâ Fide caput ipsum quæstionis tam secundùm Pontificios, quam Reformatos pertransiit Vir Doctus.

Caput secundum.

Ratio secunda.

Patres ipsos negare nudis suis assertionibus absolutè standum esse, in iis quæ de Religione ipsi in medium proferunt.

Vide Whitak. contra Duræum lib. 5. initio. Rivett. ca. 8. De Autoritat.

SUperfluum planè esset Lectorem hîc demorari & defatigare iis recensendis, sanè quam plurimis, quæ D. D. ex Whitakero, Rivetto, aliisque, comparavit hujus Thesis tuendæ & ornandæ causâ: Transeo ergo ad æquissimas illas conditiones quas huic præmittit capiti, cupiens istam de Veteribus valere sententiam, quæ & ipsis judicibus est præponenda. Summa omnium huc redit. Patres, tali se non dignantur (ergo iis non debetur) honore; aut à nobis, ipsis renitentibus, concedendus. Quid autem fiet huic rationi si ne illud quod supponitur verum sit? æquum scil. ut secundùm verba Veterum de seipsis, ferenda sit sententia? cum aliud longè sit Civilis, & Theologica seu divina confessio? & ista reatu fatentes innodet, pœnâque hæc absolvat? Ea sanè solet esse Sanctorum modesta & humilis de seipsis opinio & voces, quæ infra quàm par est, ipsos dejiciant: quod pie & eleganter à Chrysostomo legimus observatum. Hom. 58. To. 5. Τοιοῦτον τῶν ἁγίων τὸ ἔθος· εἰ μὲν τι πράξαιεν φαῦλον, ἐκπομπεύουσιν αὐτὸ καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν θρηνοῦσι καὶ πᾶσι ποιοῦσι κατάδηλον· εἰ δέ τι γενναῖον, καὶ μέγα, ἀποκρύπτουσι, καὶ λήθῃ παραπέμπουσι. In Politicis autem aliter res se habet. Non ergo sequitur, Patres illum Arbitrorum honorem à se modestè amoliuntur, ergo ab aliis tribui fas non sit. Justus enim, secundum Solomonem, est prior accusator

sui: & rectè Augustinus de sobrio Christiano: *Neque enim quisquis nisi imprudens ideo quia errata mea reprehendo, me audebit reprehendere.* Is tamen est Dallæus qui hoc naviter facit, his verbis. "Hunc nihil opus est lon-"gis sermonibus probare in rebus ad Religionem "pertinentibus errare potuisse, qui id ultro luculen-"tissimo Retractationum opere confessus est, quo va-"ria quæ quidem præter, vel contra veritatem scri-"psit styli ipse mucrone confodit. In hoc scilicet Sanctus ille Pater potissimum erravit, quod crederet errores, quos exposuit & retractavit ipse, Ipsi ab illiberalibus ingeniis non esse exprobrandos. Qualis verò est illa autoritas tandem quam nolunt sibi ipsis, vel Ecclesiæ dari Veteres? Juxta ipsum Dallæum, Fundendæ fidei. Hanc autem & nos, & sani omnes negant Patribus. Nemo autem nisi cæcus hanc nequaquam esse illam de qua contenditur, non videt, uti sexcenties fere jam dictum est. Dolosè ergo non nervosè, de proprio, uti antea, hîc quoque suggerit, *Nudas assertiones Patrum absoluta fundamenta, aut religionem absolutè stare*; quum id abundè sobriis cunctis sufficiat, non absolutam seu primariam Regulam credendi Veteres habendos; sed Secundariam, & ministerialem tantummodo. Facile ergo prolabuntur nullo impellente adversario, quæ contra nullum adversarium fortiter facere videatur Vir Doctus. Ne tamen penitus huic Capiti desimus, placet hîc, quanti sint istæ exceptiones, quæ hîc contra Veteres moventur, præcipuas delibantes exploremus.

August. Prolog. in Lib. Retract.

Pag. 81.

Primò, nego fideliter memorari hîc dissidium illud Hieronymum inter & Augustinum, de Scripturis, & Antiquorum autoritate. Nequaquam enim quærebatur, An illarum, an horum autoritas staret, quod credi à Lectore pervelit Dallæus. Quis enim animo non exhorret, (nedum Sanctus Hieronymus) tam insulsum

Pag. 212.

fulsum errorem ? Quin imo, rectè expendenti litem istam, perspicuum fuerit, Hieronymum non simpliciter Augustini opinionem rejecisse, quæ statuit Petrum à Paulo revera fuisse reprehensum, non simulatè; sed locum pariter suæ & Veterum quorundam sententiæ quæsivisse; & commodiorem judicasse ad retundendum Ethnicorum quorundam importunos latratus, qui inde arriperent convitiorum materiam, adversus fidem Christianam, & fideles. Est porro quod huc maximè attineat, Neque Hieronymum neque Augustinum usquam tradidisse suam, fuisse etiam Ecclesiæ sententiam; quanquam consentaneam utramvis fuisse eidem crediderint. Denique, si per suppositionem fortè Augustinus eo esset animo ut putaret Ecclesiasticos Patres à Literâ deerrasse hujus Textûs, propterea putaverit in iis fidem non esse habendam Ipsis, quibus liquido non constet offendisse ? Quid opus autem est prolixiore certamine, non video, ubi dupliciter vacillat Dallæus, Primo, quod haud rectè facta Veterum æstimet, Dein, quòd Normam seu cardinem quæstionis perpetuâ Fallaciâ pervertere laborat. Qui autem vel Antiquorum vel Recentium somniaverit dogmata Veterum S. Scripturis opposita, locum obtinere debere, eat per me ad Anticyras, & qui operosiùs contrarium disputando demonstret, eum, si placeat, comitetur.

Secundò vero notandum duxi Diffidia ista quæ hic tantopere exagitantur, Problematica (ut loquuntur) ut plurimum esse, nec nostra multùm referre in quam partem pedibus eamus; neutrâ enim vel Ecclesiam, vel fidem periclitari.

Tertiò manifesta ignoratione Elenchi Lectorem deludit integro hoc capite, eò quod non ut Veritatis Testes; sed ut Doctores deliquisse Veteres accusat, contra proprium institutum. Age verò utrum tanto hiatu

hiatu ſtrepituque dignum quid hac in parte præſtitit, paucis probemus, luci publicæ exceptiunculas exponentes.

Ad Palmarium argumentum ab Auguſtino ſumptum jam ſupra ſatis reſpondimus, & nunc cum Cardinali Hoſio (quem non latuit) dicimus, "Libenter cum Auguſtino ſolis Scripturarum libris, qui "Canonici vocantur, timorem hunc honoremque "deferimus, ut earum authorem nullum erraſſe ſcribendo firmiter credamus; alios autem ita legimus, "ut quantalibet doctrinâ aut ſanctitate præpolleant, "non ideo verum putemus quòd ipſi ſenſerunt, ſed "quia nobis vel per iſtos autores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat perſua"dere potuerunt. Quæ ex ore ſummorum Pontificiorum tam perſpicuè dicta, immeritò admodum ſecundum mentem, uti opinatur, Auguſtini, docent triumphare Dallæum his verbis, "Unde liquidò ſequitur quam nunc adhibent methodum ad demonſtrandam veritatem, non ſufficere. De opinione "quadam vel de Scripturæ alicujus ſenſu ambigitur. "Affertur ad eam rem Patris ſententia, planè con"tra quam vult Auguſtinus hîc, ut ex Patribus de "Scripturis fiat judicium: His quoque quæ infrà habentur conſentiunt, viz. "His ſi ſubjungas quam "disertè celeberrimi quique ſupra [locis ſcil. laudatis] in hanc rem dixerunt, videbis hoc eos velle & "cupere, non ut ſuas opiniones pro oraculis & decretis habeamus, ſed ut de iis ex Scripturâ & ratione judicemus, tanquam de doctorum hominum "placitis. Sed nec uni Dallæo, ſed & Petro Martyri, Rivetto & pluribus aliis arriſit nimium hoc cavillum, cujus (niſi quos planè deſeruit pudor) pudere omnes oportet. Martyr quidem ſolito turbatior ſic ſcribit, "Quod denique ad illud attinet de Pa-

Hoſius de Fide & Symbolo. cap. 19.

Pag. 214, 215.

Petrus Mart. Loc. Com. Claſſ. 4. ca. 4.

"rum judicio, pronuncio, mihi non videri Chri-
"stiani hominis, ad hominum judicia provocare à
"Scripturis Dei. Hæc autem quorsum spectant? Ecquis Christiani nomine insignitus à Deo ad homines provocat? vel à verbo Dei ad hominum vocem confugit? Vel qui Patrum consulit scripta de Scripturis divinis, has deserit? Mihi sane videtur multò eas religiosius colere quàm qui suo tantùm Marte, & acumine eas adit. Tam altè tamen animis hominum complurium insedit hic paralogismus, tam crebrò linguis volutatur, & Scriptis scatet, ut mihi in dubium sæpius & serio venerit, utrum minus cordis an judicii hac in re iis insit. Quis enim eodem modo de Scripturis ex Ecclesiasticis scriptoribus, quo, de his, ex divinis Oraculis judicandum est, putaverit? Aut quis denique tam desipienti mente sit, ut credat ex Scripturis petendum, quid senserint Veterint aut scripserint in locis obscuris, vel non decere tam Sanctis & peritis ducibus uti in explorandâ mente Spiritûs S. & elicienda ex fontibus istis Divinis? Non enim dubii, an vera tradiderit Spiritus Sanctus in Scripturis, Veterum prudentem & piam operam quærimus: Absit planè. Sed, an verè illa sunt à Scriptoribus Theopneustis tradita quæ passim præsumuntur. Sensus scil. Literalis seu Grammaticus indagatur. Quando autem Veteres ex Scripturis examinantur, non de Mente eorum tam laboratur, quàm de naturâ doctrinæ ipsius: an, putà, secundùm fidem vel secus scripserint. Est ergo horrificum illud monstrum impietatis nullibi à me visum, aut inventum extra operationem superstitiosorum quorundam ingeniorum, quæ primò fingunt nescio quas belluas sibi, quibus postea conterritos se esse conclamant, aliisque fugam consulunt: Hoc equidem mirandum in modum nos solet conturbare, quòd
qui

qui Libertati Christianæ quàm maximè operam dare videantur, & Sacræ Paginæ plus aliis deferre, eandem credulitatem immodesti pronique habent erga quosdam insigniores modernos, quam extremâ abominatione Antiquæ Ecclesiæ denegant; quasi, verbi gratiâ, tam securi ab errore essent Lutherus & Calvinus quàm eo penitus absorptus est Romanus Papa: unde accidit quàm sæpissimè ut vix quicquam ab his Verbum Dei obtendentibus tam crudum, inconditum, falsum fallaxque tradatur, quin discipuli jurati confestim illico devoveant & defendant. Hinc Chamierus proculdubio qui hujusmodi argumenta vitium non penitus ignoravit, mallet steriles quasdam versutias mediteri, & suffugia quam rem ipsam cordatè uti est, prodere, quibus refellendis operæ pretium non duxi lectorem demorari. Chamierus To. 1. lib. 15. cap. 11.

Qui potius argumento à se allato respondeat, hic videndum. "Si non ea est Patrum in fide definien-"dâ quæ iis vulgo tribuitur autoritas, cur ergo Pa-"trum sententiis & testimoniis in suis de Religione "disputationibus utuntur, & Athanasius & Cyril-"lus, & ipse ille qui nuper à nobis memoratus est "Augustinus? Prius autem quam satisfacit huic dubio, quasi trepidè iter prætentat, quid nonnulli rectè annotârunt, præmittens, viz. "Patres non a-"liter quàm ab Adversariis provocatos in hanc are-"nam descendere. Quinam autem isti sint, nobis expectantibus invidet, nisi me verò conjectura fallat (quæ facile possit quum potius plerique Recentiorum, quam Veterum quispiam, sic eludunt rationem istam) Laurentius, à nobis haud rarò memoratus, eorum Pars magna sit; ex quo fere integram hanc objectionem, unà cum solutione, desumptam contenderim. Quantillum autem, rogo, interest, Utrum Lacessiti, an sponte fecerint, quod frustrà est, & ini- Pag. 223, 224.

què factum? Frustra autem omnino facient qui eâdem cum D. D. fuerint opinione, nequaquam posse nos ad sensa Veterum pervenire investigando: Inique, qui existimaverint oppositis eorundem vocibus refelli posse vel tolli argumenta à Testibus illis adducta. Sponte verò & prudenti consilio hanc sibi methodum elegisse, verum esse quæ prius diximus de Praxi Antiquæ Ecclesiæ, satis probant: & plura infrà dicenda probabunt: Unum hîc obiter Tertullianum audiamus. "Non ergo ad Scripturas provo- "candum est, nec in his constituendum certamen, in "quibus aut incerta victoria est, aut parum certa. "Nam licet non ita evaderet conlatio Scripturarum, "ut utramque partem sisteret, ordo rerum desidera- "bat illud prius proponi, quod nunc olim disputan- "dum est. Quibus competit fides? Aquo, & per "quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina "qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse "veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit "veritas Scripturarum, & expositionum & omnium "traditionum Ecclesiasticarum. Hæc ille. Nonnihil est etiam quod (paulò benignior) largitur ipse Dallæus, qui hæc prioribus subjungit: "Hoc insu- "per moneo, nos tametsi negemus Patrum autorita- "tem ad fidei caput probandum sufficere, non ideo "tamen prohibere quo minus illi legantur & alle- "gentur. Sapientum Ethnicorum, &c. Quis hanc Viri Docti pietatem in Patres non demiretur, vel potius derideat? Non frontibus eorum Expurgatorium illud stigma inurit, *Authores omnino Damnati.* Non infra Prophanorum apud Gentiles Oratorum, aut Poetarum subsellium detrudit; contemptius ut habeantur non est in causa: Quod nullo pacto possit prohibere, non prohibet Vir bonus: Legi illos & allegari quoniam (ipso nolente) ita velint homines per

Tertull. de Præscript. Advers. Hæret. cap. 18, 19

Dall. ubi supra.

per ipsum licet. Cui autem bono? Quare hoc? Num ut calculos claræ aliter Scripturarum voci afferant, & Scripturarum absolutissimæ autoritati superpondium sint? Hoc est: ubi Quæstio liquidò solvitur, ut resolvatur? Enimverò nihil amplius fundere nobis laxum hîc Dallæi gremium, quàm hujusmodi vanitatem, hæc quæ adduntur, ostendunt. *Quid juvabit demonstrasse sic sensisse Veteres, si nulla apud eos extet ratio quâ ad idem sentiendum commoveri queamus?* Pag.225. Quid si autem rationem attulerint? Non plane rejicientur, credo. Sed Rhetorum & Poetarum numero & censu habebuntur. Quid autem si & ipsa Autoritas ratio interdum non temnenda sit sobriis? Ita quidem Ciceroni aliquando visum est de Platone agenti. *Si rationem* (inquit ille) *nullam afferret (vide quid homini tribuam) sola autoritate me frangeret.* Cicero Tusc. Quæst. lib.1. Huc quoque spectant quæ & Aristoteles scripsit in Ethicis. Arist. Ethic. Lib.6. cap.11. Hanc denique Cartwrighti immodestam olim morositatem optimè Hookerus refutavit, qui quod res est ostendit, Deficiente ex utrâque dissidentium parte pondere rationis, Virorum præclarorum autoritatem haud levis esse momenti. Hooker. Ecclesiast. Polit. Lib.2. Sect.7. Quanquam enim Scriptores docti non semper unà cum sententia sua rationes prodiderint, tamen non facile quis statuere possit nullâ eos ratione flexos, nixósve nullâ. Quod non negaret nisi plus Sophistarum deliriis apud Gellium deferre Dallæus videretur, quam doctorum istorum gravi judicio. A. Gellius, Lib.2. cap.7. Isti enim eodem fere contra Parentes argumento sunt usi, quo ille contra Patres, sic disputantes. " Aut rectè imperat Pater, aut " perperam, si rectè imperat, non est quia imperat, " parendum: quoniam id quod fieri jus est faciendum " est. Si perperam, nequaquam scil. faciendum " quod fieri non oportet. Nunquam est igitur Patri " parendum, quæ imperat. Pariter & Vir Doctus

Dall. ibid. "Quid verò incommodi erit si in ea fuisse sententiâ "Veteres nesciamus, modo ita se rem habere apud "nos constet. Quasi dixerat, Si verum esse liquebit quod Veteres docuerint, Quid juvabit à Veteribus didicisse? si non; quid juvabit demonstrasse sic sensisse eos? Mittamus autem hujusmodi propria invidia & vanitate disrumpi argumenta, & videamus, An fæliciùs fingat quàm solvat argumenta. Equidem nisi ipse magis Modernorum Rivetti scil. Laurentii, & aliorum autoritate, vel exemplo moveretur, quàm Ratione, contra institutam methodum, neutiquam hic (quod fecerunt prius illi) à Sisinnio Diacono Novatiano contra Autoritatem disputaret: viz. *Hoc modo ut Arrianos impugnaret dedit consilium Nectario Constantinopolitano Episcopo, teste Sozomeno, lib. 7. cap. 12.* Ita sane. Quid autem inde? *Fuit*, inquit, *homo iste Veterator, & Schismaticus.* Ergo, &c. Quid ista? Nunquid (quod Cyprianus parum Novatianis favens respondit simili disputatori) *Quia Novatianus facere audet, nos putabimus non esse faciendum?* Tantæne iræ Evangelicis Animis contra Novatianos ut continuò oderint, quod illis arriserit? Scoticæ quidem Reformationis nebulo insignis, longe aliter de Novatianis (uti æquum est factioni isti) judicavit, de quibus parum honestè loqui posse se putavit nisi Clarissimos Catholicos, Chrysostomum, & Cyrillum Alexandrinum, infami notâ dehonestet, quòd Puritanos, scil. Novatianos persequerentur, & propterea vindicem scribit manum Dei cerni, quâ ille exilio, hic Sedem repetens, periret.

Rivettus ca. 3. Dall. p. 226. Cyprianus de Confirmatione. Episto. 72. Meditatio de Antipuritanismo, pag. 70

Pag. 226. Urget autem Dallæus, "Si ea fuit Legitima me-"thodus, cur tot Catholicis Episcopis non venit in "mentem? Nesciebant scil. isti quibus armis pug-"nandum esset adversus Ecclesiæ hostes? Quî vero D. Dallæo sit compertum hanc methodum Catholicis

in

in mentem non venisse? Quia fortassis venit in mentem Novatianorum? Bellè. Consilia autem non semper inopi dantur, sed dubio; confirmandi, non informandi gratia, & concordiæ ineundæ. Quod fas Mosi Divini consilii participi sit, qui Jethro Socero libenter paruit Consulenti de administranda Politiâ Judæorum, licet Ethnicus esset; Catholicis nefas erit de Novatianis? Cur in mentem Mosis non venit? Nesciit scil. ille Spiritu divino instructus & θεοδίδακτος quâ viâ, quibusve consiliis Populum Dei judicare, & regere? Ita tamen fit, non absque divino nutu, ut Chrysostomus facundissimè notat: Moses ὁ σοφὸς, ὁ δυνατὸς ἐν λόγῳ καὶ ἔργῳ, ὁ φίλος τοῦ Θεοῦ, ὁ τῇ κτίσει ἐπιτάξας, ὁ τοσαῦτα θαυματουργήσας, οὐ συνεῖδε πρᾶγμα πολλοῖς τῶν ἀνθρώπων εὐσύνοπτον. ἀλλ' ὁ μὲν κηδεστὴς αὐτοῦ, βάρβαρος ἄνθρωπος, καὶ δι' πολλῆς συνεῖδεν αὐτῷ, καὶ εἰς μέσον ἤγαγεν ——— τί δή ποτε τοῦτο; οἰκονομῶν, ἵνα μάθητε ὅτι ἕκαστος σύμβουλος δεῖται, &c. ——— Desinant ergo malevoli Veteres infestius incessere, si quando etiam prophana ingenia, quod ipsis negatum, in lucem claram educant, & ex impiorum consilio & opera, pii proficiant. Porro, An non multò magis valet istiusmodi ratio ab Hæreticis quam Schismaticis? Annon Gravissimus vir, post alios, Tossanus scribit, "Hæreticos minus Patribus & Ecclesiæ credere quàm "Scripturis, uti apparet ex historiâ Ecclesiasticâ Arrianos & Nestorianos post Concilium Nicææ, & "Ephesinum, & decreta Patrum pertinaciores fuisse? Pari ergo ratione fugienda est illa Methodus à Scripturis controversias definiendi, quia teterrimi omnium Hæretici hâc viâ incesserunt. Hanc quoque solam Anabaptistæ hodie tenent.

Chrysosto. To. 5. Hom. 43.

Dan. Tossan. Thes. 26.

Post hæc sequitur aliud præjudicium contra Veteres unde Vapulat Vincentius Lyrinensis: quia scil. "Tota istius in hoc argumento oratio sic anxia, sic "perplexa est, ut satis appareat hominem id quod "cupiebat,

Pag. 217.

" cupiebat, sensisse, & vidisse ipsum à vero alie-
" num. —— Nihil ergo homo ille respondet, nisi
" futurum ut non fallamur, si modo nulla nisi sancta
" dogmata admittamus. Sic solent pueri ludere dum
" te negant moriturum, si modo cibum semper sump-
" seris. Ne verò nesciat quis verba Vincentii quæ tam faceto ridet scommate Dallæus, hæc sunt.
" Catholicis hac lege credendum est, ut quicquid
" vel omnes, vel plures uno eodemque sensu mani-
" festè, frequenter, perseveranter, velut quodam
" consentiente sibi Magistrorum concilio, accipien-
" do, tenendo, tradendo, firmaverint, id pro indu-
" bitato certoque habeatur. His canino risu Vir Doctus respondens, æquum erit ut humaniore paulo contemptu excipiatur & dimittatur. Id nihilominus dicendum, quod candidum non latet lectorem, non ita intelligenda esse verba, aut Legem, de qua agit Lyrinensis, ac si sola & una illa sententia dubiis fidelibus esset tenenda quæ nemine dissentiente aut desitente in Ecclesia aut Conciliis viguit, sed more humano, quam pars longè major, præstantiorque decreverit, in illa perseveraverit, & superioribus sæculis ad nos descendisse ostenderit.

Pag. 132. Quæritur autem præterea, quum juxta Augustinum, " Nos nullâ cujusquam autoris sententiâ te-
" neamur, nisi vel Scripturarum Canonicarum auto-
" ritate, vel aliqua ratione constituta confirmataque
" fuerit, Hic Lyrinensis Eremita, quam vel Scrip-
" turam, vel rationem attulit, quæ suam illam nobis
" assertionem probaret? Quæritur etiam à nobis ubi locorum tandem Augustinus tam crudè est locutus? Sæpe quidem Scripturarum autoritatem meritò exigit in rebus fidei, at non iis quæ humanâ prudentiâ absolvi & concludi possint. Quam porro tu Scripturæ vocem affers, quâ tam morosa tua fundetur

detur opinio? Nihil profectò isto homine injustius, qui suo non patitur se æstimari modio: Nihil imperitius, qui suo se telo transverberat. Quod novum Neotericis non est. Petunt ea ratione cum Veteribus agi, qua ipsi occidione occiduntur omnes. Ridentque ipsi maxime omnium ridendi, & temnendi.

Pergamus tamen. *Non solum*, inquit, *delirus Eremita, sed Semipelagianus erat idem Vincentius:* quod indubitatò affirmatur; quum tamen in medio sit à Doctis positum, Utrum idem, an alius sit à Collatore isto apud Prosperum; quod fundamentum unum suspicionis est. Esto autem, Semipelagianus erat. Non statim in omnibus damnandus qui in aliquibus fortassis graviter peccaverit. Bene equidem & sobriè Sirmondus haud dispari casu: "An inter Ecclesiasti- Sirmond. Historiæ Prædestin. cap. 4.
"cæ historiæ scriptores fidem omnem abrogabimus
"Eusebio Cæsaræensi, aut Socrati, aut Sozomeno
"propterea quòd Arrianus ille, hi vero Novatiani?
Sic scil. sapiunt scribuntque sophistæ, qui doctiores promptioresque multo sint aliena inanire & evertere, quam sua implere aut stabilire.

Caput tertium.

Ratio tertia.

Patres ea ratione scripsisse ut manifestum sit iis inter scribendum de Religione pronunciare non fuisse propositum. Errorum, in quibus lapsi sunt, & erraverunt, exempla quaedam.

VEteribus nobisque pariter gratulemur oportet, quod paulo aliter non temperavit stylum V. D. qui si dixisset, Propositum fuisse Veteribus *Non judicare vel pronunciare de Religione*, omnino actum fuisset de Autoritate Patrum. Mitius autem quid sonat, *Non iis propositum.* Nihilo tamen est minor aut modestior jactantia quâ Rationem hanc celebrat: quam tamen ego non hîc minutim contundam; Quae ad confirmationem faciant Thesis, tantùm examinaturus; cujusmodi haec sunt, viz. *Tantum suas in varias Religionis partes nobiscum meditationes communicarent, eâ lege, ut liberum nobis esset eas prout commodum videretur, examini subjicere, admittere vel repudiare.* Pœnitet scilicet opinor, Virum eorum quae largiore manu tribuerat Patribus. Supra enim Homilias, Commentarios in Scripturas, & Polemica scripta Veterum adversus Haereticos & Schismaticos iis non invidet: hîc verò nihil praeter Meditationes quasdam iis relinquit. Quibus nos simpliciter respondemus, apertè negantes vera hic tradere D. D. Falsum quippe est primùm, simplices solummodo suas meditationes Posteritati à Patribus traditas: Dein haud minore inscitia (quam tantam esse in viro Eruditissimo nefas suspicari) vel inverecundia dictum, *Liberum nobis linqui*

linqui ea omnia quæ à Veteri decreta sunt Ecclesiâ, admittere, vel repudiare: quum infinita sint Conciliorum anathemata contra dissentientes.

Nec istud multum nos movet quod sequitur, "Si "Judices haberi vellent Veteres, tempus non tri"vissent quod plurimum faciunt in colligendis variis "aliorum sententiis. Hæc diligentia in doctore lau"dem meretur, in Judice ridicula. Neque verò eo"rum stylus Judici convenit. Nos enim de tam rigoroso sensu nequaquam contendendum putamus, qui non solùm Patribus verùm & universis tam humani, quàm divini ordinis Authoribus munera judicandi eripiat: sed tam lato, quo vel ipsi clare de nostris pronunciant, vel suis laboribus effecerunt, ut facilius & rectius nos ipsi judicemus. Ibid.

Superest tamen alterum cavillum quod vice argumenti factum, si excutiatur, habebit Lector quicquid in eo genere hîc reperiri possit. "Inter Patrum ope"ra (objicitur) non pauca occurrunt raptim scripta, "quædam etiam extempore fusa, adeòque ejusmodi, "ut admodum probabile sit autores ipsos multa fu"isse emendaturos, si recognoscere licuisset. Omnia hîc ultro concedimus: Conclusionem autem pernegamus hinc sequi quam suspicatur. Quanquam enim pleraque subitis animi motibus populo dicerent, pro re natâ; non temerè, aut crudè ad dicendum accesserunt, sed re secum generali saltem meditatione & dispositione, libratâ. Prætereà longè plura debitâ curâ elimarunt, quàm extemporaneè ederent. Imo eadem ipsa quæ rudius forte Auditoribus porrexerunt, postea scriptis mandantes excoluerunt: quod Rectè advertit Grodecius, de Patribus sic scribens. "Quæ "ad Populum verba fecerunt, ea etiam literis man"dabant, ut certa Orthodoxæ fidei & Doctrinæ ra"tio constaret.——— Hac de causâ orationes istius

Joan Grodecius de Scriptis Cyrilli ante Opera,

"modi extemporaneæ fuerunt editæ quod non longâ "meditatione verborum fuco expolirentur, sed simplici puraque verbi Dei interpretatione prout Spi-"ritus dabat eloqui. Hactenus ille. Hujusmodi autem fuerunt Catechetici sermones Cyrilli Hierosolymitani, Magni Basilii Homiliæ, Chrysostomi Homiliæ Antiochenæ, & in Genesim, & aliæ aliorum plures quas domum reversos Patres posteà expolivisse rectè judicat Grodecius. Quod & Gregorius Ma. fecit, ut author est Joannes Diaconus in Vita ejus: & Prophetas ipsos divinitus inspiratos fecisse, docte post alios, advertit Perkinsius, & homilias ad populum factas postmodo in breviculum contraxisse, & publice exposuisse: quorum vestigiis Patres institisse, non dubitem.

Vide Joann. Diacon. in Vita Greg. M. lib.4. cap. 70. & cap.72. Perkinf. in Symbolum initio.

Pag.236, 237.

Quòd autem de solius Hieronymi apologiis huc attrahit Dallæus, fanè meritò ex parte facit: Nemo enim Veterum vel crebriùs vel solicitiùs quærit excusationes Festinanti calamo, quam ipse. Cujus Ratio mihi videtur, quòd præ cæteris purissimo dicendi genere oblectato, displiceret quicquid (præter naturam sermonis) ascititiis destitueretur coloribus Rhetorum. Unde illa in Esaiam Commentantis, "Dictamus hæc, non scribimus, currente Notario-"rum manu, currit oratio. Nolumus enim nostra "laudari, sed prophetæ dicta intelligi, nec jactantes "eloquentiam, sed scientiam quærimus Scriptura-"rum. Hanc autem sermonis simplicitatem quam ipse oratorum præstantissimus in Philosophia laudavit, non putârim Theologiæ posse nocere; aut Apologiam hanc nocivam reddere.

Hieronymus in li.5. in Esa.

Cicero.

Quocirca, his rejectis, ad ingentem illum errorum acervum quibus gravantur Patres, jam accedamus. Quæ autem ille potius ornatè & prolixè quàm solidè tractat, nos succinctâ prosequemur oratione, & maximè

Pag.237,238, 239.

ximè quia uberiùs & fortiùs hujusmodi reficit opprobria, proximo Capite. Quæ autem Veterum sphalmata in Chronologiâ, in Historiâ, in Philosophiâ, & Mathematicâ, denique in Grammaticâ notantur, hîc & immiti censura feriuntur omnia, quid ad fidem? In his nihilominus ipsis qui accusat, non qui accusantur, plerunque labitur. v. g. Non per inscitiam errârunt Veteres, qui nomen Jesu à Græco derivârunt fonte; non quòd propriè hebrææ originis non sit, verùm quia percommoda allusione ex Ἰάσεως duci possit; ut Hebraicè ἐκ σωτηρίας ducitur: vel, uti habet Cyrillus Hierosolymitanus eleganter, ex σωτηριώδους ἰάσεως. Ipse pariter Hieronymus, quo nullus sui sæculi doctior extitit Veterum, multis quidem etymologiis utitur Hebraicarum vocum, non quas sciverit genuinè fluere à dictis fontibus, sed quas existimârit rei rationem optimè explicare. Hinc Seth à Thesi, Græco scribit oriri. Et Author Commentarii in Marcum Hieronymo ascripti, *Philippum*, quod vocabulum Græcum est, *Os Lampadis* interpretatur, ab Hebraicis פי לפיד: His plura hujusmodi adjungere licebit, quibus pateat, Patres non ex ignorantiâ sed illustrandi ornandique causâ subjectum quod tractarent, ita datâ opera ingeniose & piè magis quàm solide scripsisse.

Catechef. 10.

Hierony. Quæst. seu Tradit. in Gen. pa. 379.

Præterea, Credibile est, Viro Docto si in mentem unquam venisset optima illa Thomæ distinctio inter Etymologiam, & Significationem Nominis, fuisse prospecturum si non Patrum, Sui tamen hic famæ, missis tam inanibus quam iniquis censuris. Nam inquit Thomas, *Etymologia attenditur secundùm id à quo imponitur nomen ad significandum. Nominis verò significatio attenditur secundùm id ad quod significandum nomen imponitur: quæ quandoque diversa sunt. Nomen enim lapidis imponitur à læsione pedis, non tamen hoc significat.* His addi possunt disertissimi Viri Gerardi Vossii haud

Thom. 22. Quæst. 92. 1. 2.

temnenda verba contra vim characteristicorum incantamentorum disputantis. *Aliter si esset, verba eadem idem apud omnes valerent, cùm contrà videamus vocem eandem huic genti illud; alii, aliud atque aliud, denotare. Pro exemplo nunc sit vox,* Amen. *E Latinis hac utitur Arnobius in septimo, cui idem est, ac* amentum, *ut dicitur* momen momentum, &c. *Est verò*, Amen, *sive* amentum *id quo hastu aut jaculum vincitur ut mitti possit——— sed Græcis ἀμὴν est εἶδος πλακοῦντος, ut interpretatur Hesychius. At quantò aliud est Hebræum*, Amen, *quo liber quisque Psalmorum terminatur; ut Psal.* 41. *& alibi: quo item crebrò utitur Christus, quodque in Ecclesia primitiva populus respondebat post recitatas preces, ut videre est,* 1 *Corinth. cap.* 14. *Hoc Amen idem valet ac γένοιτο—— Possum trecenta id genus vocabula adferre, quorum diversa pro linguarum ratione significatio.* Quæ solidam responsionem præstant Carptori Veterum, qui sæpe delectantur ingeniosis exquirendis nominum notationibus, quas à fontibus fluere nativis non credebant: In quo si nollet Veteribus non solum veniam sed licentiam concedere, frustra ab aliis petet, si me audiant. Hinc autem est quod v. gr. Patres Phase seu Pascha Græce explicant ἀπὸ τοῦ πάσχειν; propter mirandam Hebrææ Græcæque linguæ conspirationem, significando Redemptionis nostræ veneranda mysteria peracta isto tempore. Quòd verò Optatus Milevitanus κέφας ἀπὸ τῆς κεφαλῆς deducere videatur, tribuendum non tam ipsi Patri, sed scholiastæ imperito marginem suo glossemate oneranti, quod irrepserit in ipsum textum postea, uti haud malè auguratus est Franciscus Baldwinus Commentario in Locum istum. De corruptela autem hujusmodi Veterum, quam sentio statim exprobrandam nobis, suus erit dicendi locus. Errârunt proculdubio in Chronologia, ut prius diximus, magna tamen autoritate, sæpissimè Septuaginta

Gerard. Vossius de Idololat. lib. 1.

ginta duorum interpretum: quorum supputatione usi sunt: In Chorographia quoque Paradisi scil. minus attenti fuerunt: nisi Recens Lutherus rectè de loco, seu potius de natura ejus judicavit, qui universam terram Paradisum fuisse ante inobedientiam Adam putavit. Dal. 241. Luther. Colloq. Mensal.

His ergo nugamentis præteritis, graviora siqua impingit D. audiamus; qui "Tametsi (inquit) Patres in Scripturis essent versatissimi, easque longè majore veneratione quàm reliqua omnia scripta prosequerentur, sæpe tamen in iis allegandis hallucinantur. Magnum profectò, si attendamus, argumentum hoc est: quod si omnimodo esset verum, nullo modo validum esset. Soline qui rejiciunt Patres, homines fuisse eos norunt? vel homines memoriâ labi solitos? Quanto verò zelo, quanta opera & sudore Veteres Scripturas S. manû diurnâ & nocturnâ volverunt, & curâ memoriæ mandârunt, ex Hyperio diximus: idem paulo aliter ut hîc quoque dicatur postulat occasio; erudito Croio nobis præeunte; qui de Patribus agens, & primùm Augustini Confessionibus; *Scripturæ*, inquit, *sacra verba ita locis suis posita in illis sunt, ut vermiculatum dictionis Propheticæ & Apostolicæ emblema illius oratio esse videatur. Atque hinc factum est sæpissimè, ut sacros Codices, licet occasio esse videatur, non consulerent, sed extemporales suas dictiones, suosque tractatus locis quos memoriæ mandatos in promptu habere videbantur sententiis quidem iisdem, sed verbis aliquanto diversis exornarent.* Hinc natos leviores aliquos errores Patrum Scripturarum voculis paulum immutatis, prolixè observat Croius, & eos in certos locos communes conjicit; quos non indignos curiosorum ingeniorum operâ existimem notatu; sed ab instituto nostro paulo alieniores: & diligentia majore quàm usu collectos, & sæpius ad styli potius ornatum, quam subjecti

Pag. 245.

Respons. Gen. cap. 6.

Vide Joann. Croium Observ. in Nov. Testam. cap. 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24.

subjecti confirmationem. Permulta ante ipsum concesserat D. Henisius huc spectantia; non tamen absque hac præfatione: *Jam verò Patribus qui verè hoc nomine sunt digni, quid quantumque tribuendum sit, qui nescit, multum sanè nescit, neque qui antiquitatis orthodoxæ asseclam profiteatur, dignus sit.* Quid autem si & ipsi divinitùs moti scriptores eadem interdum admiserint, quod ex incogitatione Veteres? Quod per œconomiam quandam Ipsis Evangelistis accidisse Chrysostomus haud veretur alicubi affirmare, non absque commodo legentium. Nihil tamen me fateor ausum hîc in re tam gravi definire. Siquidem sive sit, sive non sit verum, negari non possit à Scriptoribus Evangelicis Scripturas veteris Instrumenti præter genuinam formam, si non sensum literalem, sæpius recitari. Qui aliter senserit collationem, si placeat, instituat. Cui autem illud sit grave, adeat diligentissimum Franciscum Nancium qui multis id probat instantiis. Ex veteribus autem Hieronymum audiat, "In omnibus scripturis Apostolicos viros inponendis "testimoniis in Vetere Test. non verba considerasse, "nec eadem Sermonum calcare vestigia, dum sen-"tentiis non recedunt. Idem quoque alibi sic, *Sunt qui asserunt in omnibus testimoniis quæ de Vet. Test. sumuntur istiusmodi esse errorem, ut aut ordo mutetur aut verba, aut interdum sensus quoque ipse diversus sit, vel Apostolis vel Evangelistis non è libro carpentibus testimonia sed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur.* Hæc autem à me allata non sunt ut vel nebulam tenuissimam serenissimo Sanctorum Scriptorum nomini inducam, sed quo quisque rectè judicet quam vana sit hujusmodi conclusio viri Docti, viz. "Ex his prudens "Lector (ni fallor) intelliget hanc docendi formam "luculentissimè significare sanctis istis Patribus, "cum libros scripserunt, non fuisse consilium ut de-"fide

Heinsius Prolegom. in Exercitat. Sacras

Franciscus Nancius in Nonnum.

Hierony. in cap. 6. Amos.

Idem in cap. 2. Joelis.

"fide nostrâ judicarent. Atqui hic falleris Erudite Domine: non enim ex hac loquendi forma vel nobis Veteres Judices constituimus, vel nos de Veteribus judicare æquum arbitramur. Denique toto distant cœlo, Patribus [aliquando] non fuit consilium de fide nostra judicare: &, Fuit iis consilium vel semper, vel unquam de nostris non judicare.

Caput quartum.

Patres sive seorsim singulos, sive conjunctim plures in variis Religionis capitibus errâsse. Ratio quarta.

LEvi quadam prolusione superiore capite factâ famam Veterum & autoritatem elevando, hîc certam necem iis interminatur D. D. & propriorum errorum strue quasi contumulare. Quâ viri exquisitissimâ diligentiâ in mentem revocatur quod de Ave apud Indos scribit Scaliger, quæ nullo alio pabulo vescitur, quam stercore quod à cæteris avibus excernitur; unde alicujus semper assecla assidua. Nec alio animo D. D. assiduus videtur fuisse in Veterum scriptis, quam ut retrimenta, lapsusque eorum corradens vitam viresque novis suis, suorumque dogmatibus addat, ruentibus Veteribus. Quam ut certius fæliciusque conciliet longo primùm & honestissimo sermone eos compellat, quos acerbissimâ tandem hac ironiâ (sicut ego judico) excipit. "Facile adducor "ut credam ipsos patres, si nunc superessent, grati"am nobis de conatu hoc habituros, quos ut ab er"rore teterrimo abducamus, nævos etiam suos nu"dare audeamus. Ab uno autem Vincentio Lyri-

Jul. Cæs. Scaliger Exercit. 235. 2.

Pag. 252, & 283.

Vincent. Lyrinens. Common. cap. 11. nensi quales quantasque reddituri essent gratias, discamus omnes. "Qui Sancti cujusque viri memori-"am tanquam sopitos jam cineres profanâ manu "ventilant, & quæ silentio sepelire oportebat, redi-"vivâ opinione diffamant, sequentes omnino vesti-"gia autoris sui Cham, qui nuditatem venerandi "Noæ non modo operire neglexit, verùm quoque irridendum cæteris enunciavit, &c. A paritate tamen rationis egregiam Apologiam sibi natam putat

Peron. Vir Doctus. *Si enim Perronius Cardinalis* (inquit) *ut probaret, jure ab Ecclesia Romana prohibitum nequis non im-*

Dal. pag. 154. *petratâ prius veniâ libros divinos legat, non dubitavit Scripturæ non quidem errores (qui revera nulli sunt) sed falsas errorum & contradictionis species quæ nonnullos in Sacris literis offendunt: quanto æquius est hanc nobis veniam concedi ut Patrum* —— hallucinationes notemus. Quòd eo apparentes Scripturarum pugnantias Perronius collegit, ut usus eorum prorsus populo negetur, pessimè bonas horas elocavit: haud malè verò, ut modestiores sint indocti & superbi (nemo autem perniciosiore præsumptione solet Scripturas solicitare quàm imperitus rerum & verborum sacrorum) qui ingerunt se in profundum Scripturarum sola opinione Divini auxilii ipsis præ aliis, assistentis; certis indiciis colligant, quam prorsus sint inepti interpretes divinæ legis, nisi forte in iis quæ propius Fidem & mores necessaria spectant. Pejus tamen adhuc faceret si propterea abolendam autoritatem Verbi Divini existimaret. Perspicuum autem est Perronium non adeò ambiguum aut incertum sensum Scripturæ velle probare, quin Ecclesia satis explicatè eum capiat tradatque. Tu verò longè aliter cum Patribus agis, qui non in specie, sed re, falsa, contradictoria, hæretica, stulta, & impia docuisse totis viribus contendis probare: ut ne Ecclesia ipsa in sanam mentem eos revocet. Hæccine paria sunt? Parum

Parum autem Vincentio fuisse videtur hominis vanitatem repressisse, nisi & alio loco, argumentum principale quo duci se prodit D. præoccupatione pervetusta diluat. "Quid (inquit) si in ipsâ vetustate "duorum aut trium hominum, vel certè civitatis uni-"us aut etiam provinciæ alicujus error deprehenda-"tur? Tum omnino curabit ut paucorum temeri-"tati vel inscitiæ, siqua sunt, universaliter, anti-"quitus universalis Ecclesiæ decreta proponat. Quid "si tale aliquid emergat, ubi nihil hujusmodi repe-"riatur? Tum operam dabit ut collatas inter se "consulat interrogetque sententias. Quibus Vincentii verbis consona sunt quæ scribit Hervæus Monachus, sive, ut alii malint, Anselmus Comment. in 1 Corinth. cap. 3. v. 15. viz. "In libris Sancto-"rum doctorum quos authenticè legit Ecclesia, non-"nunquam interveniunt quædam prava & Hæretica, "non tamen pro his, vel autores damnantur, &c. Hactenus ille. Exemplo autem sint quæ de Origene petit, dicitque M. Basilius. Quem tantùm absuit ut Beza (ipse certè purissimus) cum Erasmo Veteribus omnibus anteponat, ut contra liberè profiteatur nullum sibi magis impurum Scriptorem videri. Et in multis quidem offendisse non diffitetur Basilius ipse: non tamen cum Neotericis, vel ipsum, vel Traditionem quæ & ipsa interdum vacillare deprehenditur, prorsus rejiciendam arbitratur, verùm ex adverso egregium hinc Traditionis usum colligit, sic scribens ad Amphilochium, viz. Οὕτως δ᾽ οἶμαι τὸ τῆς παραδόσεως ἰσχυρὸν εἶναι πολλάκις τοὺς ἄνδρας καὶ τοῖς οἰκείοις ἑαυτῶν δόγμασιν ἀντιλέγειν: Ac si dixisset, Erravit quidem in multis Origenes, Traditiones quoque Ecclesiæ aliquando suos habent nævos: verùm Tanta est vis Traditionis ut cogat Errones suis ipsos non rarò contradicere dogmatibus.

Idem cap. 4.

Vide Usserium de Successione Ecclesiarum, cap. 1.

Sixtus Senensis Biblio. Sanctæ lib. 5. Præfat.

Beza Episto. Dedicat. in Nov. Testam.

Basil. Ma. ad Amphilo. de Sp. Sa. c. 29.

Præterea, quanti sit hæc D. exceptio æstimanda, responsio viri sanctitate pariter & doctrinâ clari Ridleii nostratis refellentis quorundam Papistarum tergiversationem, qui hoc prætextu clarum contra Transubstantiationem testimonium Antiquitatis eluderent, cordatos doceat. " Quàm verò frivolum sit " (inquit Martyr Beatus) ita respondere & pernici- " osum, facile intelligat, qui hoc pacto omnes dam- " nari veteres videat, qui in vetustis Bibliothecis si- " tu & squalore obsiti nunc tandem sedulâ doctorum " operâ à tineis & blattis vindicati in lucem emit- " tuntur. Altera eorum [Pontificiorum] responsio " sequitur. Fidem scil. idcircò illi Origeni non " adhibendam quod in cæteris fortè opinionibus er- " ravit. Quæ sanè eorum responsio non potest desi- " derare doctiorem confutationem quàm secum ipsa " adfert. Nam ut libenter fateamur errasse illum " quibusdam in rebus, ejus tamen errores tam per " Hieronymum, quàm Epiphanium sunt animadver- " si, & descripti, ut eo magis debeat valere apud nos " ejus autoritas. Hactenus ille. Eleganter & solide Facundus Hermianensis. Errores Patrum Luminarium sunt defectus, quæ licet nonnunquam splendoris damnum sustineant, non tamen amittunt luminaria esse quod sunt. Nec plura opus est hîc congerere quibus abstergantur importunæ calumniæ in genere. Placet tamen illa Augustini his subjicere, quæ imitemur. Non enim cæci & præcipites ferimur in verba Veterum jurantes, sed quod ille de Cypriano, nos quoque de Reliquis Patribus dicimus; " eos scilicet deserimus in iis quæ Ecclesia non ac- " cipit, pro quâ illi sanguinem fuderunt.

Ridleius.

Augustinus contra Crescon. lib. 2. cap. 1.

Pro more tamen particularia quædam libemus, ad certa capita revocantes quæ adversus Veteres hîc fusius sparguntur: singula namque persequi tantùm non

non infinitum esset. Primò autem notandum existimamus, pompâ hîc magis quàm pondere pugnatum à Viro Docto: & quo atrociores suspiciones animis insideant suorum, sæpe eadem vitia repetere, & objicere Patribus. Hic enim rursum novâ invidiâ vetus querela, De Chiliastarum deliramentis movetur. Tertulliani quoque & aliorum opinio de Corporietate Angelorum: De Ætate Christi Patientis Parachronismi quidam de novo instaurantur: Errores item De Eucharistiâ Infantibus traditâ; Negato Hæreticorum baptismo: De Sole, de Luna, de statu defunctorum & id genus referuntur, & secunda nece conficiuntur.

Secundò, quod supra meminimus advertisse, occurrunt problematica quædam & in utramque partem disputata ab Antiquis, Fide Christianâ incolumi & inconcussa manente: qualia hîc sunt arduæ & dubiæ controversiæ de salute Priscarum Gentium, & Infidelium præsentium: De Loco, & pœnis defunctorum, Animarumque statu ante Judicium Extremum; quas quidem decretorio suo stylo, &, quâ est autoritate in Ecclesiâ Catholicâ, definiit Dallæus: cujus tamen Novi sententia haud minus displiceat nobis, quàm Veterum Patrum quos propter suas opiniones liberè exagitat, & quod aliter quàm ipse, sentirent, scriberentque.

Cum enim, Christo docente, Multæ sint Mansiones in domo Patris sui; Paulus insuper Gloriæ diversos Gradus ponat; Patres uno concentu docuerunt, Antiquos Sanctos in refrigerio quodam secretos tam à perfectissima beatitudine, quam miseriâ; quod Paradisum placuit appellari: Post Christum autem mortuum & resuscitatum, eductos in superna loca & Claritudinem excellentiorem. Quod rectè secusve dictum sit, manifestioribus eget argumentis quam Joan. 14.

quæ à curiosis nonnullis Recentioribus adduci in medium solent. Quæ vero sententia in his tutior & sanior, non facile possit doctius aut modestius exponi quam à Viro Clarissimo Regio quondam professore in Cantabrigia. Anno Domini 1599, Publica disputatio ipso Præside habita in Scholis de Statu Sanctorum; qua finita pro more Vir Gravissimus Problema determinans docuit, nequaquam ex Scripturis constare, Sanctos ante Christi Resurrectionem animâ ad sedes illas in Cœlo beatissimorum conscendisse: Imo Ecclesiam antiquam, fere uno consensu, aliter docuisse, neque se posse temerè ab ea dissentire: Quæ modestia Puritanos quosdam tantopere incendit, ut non levibus opprobriis nomen ejus incesserent: & Proximis Comitiis renitenti dicto Professore, proponitur Quæstio disputanda pro immediato transitu Sanctorum ab hac vita in Cœlum Beatorum; etiam ante Christum natum. Alter Professorum Dominæ Margaritæ Plaiferus, flumine dicendi potius quam acumine præpollens, multis verbis eam sententiam exagitavit: quæ omnia vir doctissimus prudenter tum temporis devorans; paulo pòst plurimâ eruditione & judicio justam instituit disputationem ea de re: qua probavit, neque Veteres, neque Celeberrimos Reformatores discessisse ab ea opinione, quæ statuit negatam cælestem animabus piis beatitudinem: Quam Determinationem aliàs perituram ex Autographo Authoris, Montacutius meritò perennitati consecravit, unà cum accurata Facti Historia, in Apparatu Suo: unde quam importuna hæc Domini Dallæi sit accusatio, cuivis sit perspicuum.

Montac. Apparat. 1. Sect. 104, 105, 106.

Huc fortassis attinet, (vel ad tertiam cuivis licuerit reducere classem) error Irenæi De Ætate Christi. Mihi quidem longe probabilior receptior Ecclesiæ opinio videtur: Neutram autem ex Scripturis apertè consequi

consequi perspicere possim. Quanquam enim ex quatuor in Evangelio Paschatis memoratis à primâ Prædicatione seu Baptismate Christi conjecturam solent facere interpretes de Ætate Christi, certa tamen illinc conclusio non sequitur, quia non repugnat œconomiæ divinæ, ut nulla eorum quæ præterea celebravit, mentio fieret, quum Pentecostarum totidem non meminerint Sacri Scriptores. Christum enim sapientissimum vel nescivisse, vel, juxta Paulum, divina dispensatione factum sub Lege, volentem neglexisse Ritus antiquos nulla probabilitate dici possit. Lex autem statuit, *Ter in anno apparebit omne Masculum tuum coram Domino Deo tuo:* Scripturâ ergo altè tacente de prioribus Paschatis à Christo celebratis, Quid absurdi erit credere potuisse plura interjici inter primum memoratum & extremum, de quibus nulla mentio fiat in sacro codice: Et Juvenci Distichon illud verum fuisse testatur, Exod. 23. 16, 17.

Ad Templum lætis puerum perducere Festis,
Omnibus annorum vicibus de more solebant.

Falsa enim bliteaque est opinatio Maldonati in Locum, contra Irenæum disputantis; Ubicunque volebat Joannes Pascha intelligi, ibi nominatim Pascha, & non per Periphrasin designare. Generali enim appellatione Festum dicitur, Matth. 27. 15. Item Joan. 4. v. 45. *Viderant quæ Hierosolymis fecerat in Festo.* Nec alium admittunt sensum quæ Judæi requirebant, Joan. 11. v. 56. *Quid putatis quòd non venit ad diem Festum?* Et Barradius clarè asserit, non quatuor duntaxat, sed quinque intervenisse Paschata à Baptismo ad Passionem Christi: Baptizatum enim 6 Januarii consentiens est traditio, eodemque die Epiphania Virtutis divinæ miraculo aquæ in vinum con-

versæ

versæ claruisse. Pascha autem integro isto anno interfluxo unum celebratum, necesse fuit. Ante Miraculum autem illud in Nuptiis Canæ Galilææ editum, nulla injecta est mentio Paschatis. Non ergo Irenæus tam crassè erravit, uti Dallæus autumaverit. Et alii quidem errores qui hîc percensentur tam leves sunt, ut Viri Docti potius livorem, quam Patrum levitatem indigitent, & coarguant. Quis enim mentis sanæ invideat Posteriorum sæculorum gloriæ quæ accuratiorem multò temporum calculum quam superiora explorarunt? Nondum tamen infallibilem constituisse vel invenisse, nimium omnibus in re Chronologica mediocriter versatis patet. Unum hîc Spanhemium testem, de quo nulli Dallæanæ causæ fautori suspicio insit, adhibemus his verbis. "Quum verò facillimum cespitare in talibus, haudquaquam ob id convicium dicimus viro eximio [Bucholzero] & de re Chronologica bene merito, sed ista tantùm adducimus ad cautelam, ut pateat quam ardua sit Epocharum variarum collatio, & quam difficile sit hîc non quandóque impingere, &c. Et paulo inferius. "Hæc προθεωρία loco in antecessum prolixius præmittenda duximus, ut ostendatur lectori perplexitas ejusmodi Quæstionum Chronologicarum, & ut æquitatis simul, & candoris in hallucinationibus Scriptorum observandis, habeatur ratio, si alicubi fuerit peccatum in calculo. Quæ rectè & modeste observata fuisse ipse noster Reprehensor turpiter labens suo exemplo comprobavit: in iis utique rebus quas in Antiquis reprehendit.

Frederic. Spanhemius Dubiis Evang. Par. 1. Dub. 1.

Ultimi ordinis sint quæ fateor quidem graviora esse, iisque Patres incogitanter admodum deliquisse. Verum quum nec constanter, nec perseveranter ea tradiderunt, contrariâ alibi doctrinâ leniuntur. Malè equidem

equidem (quod hîc non omittit D. D.) ſcripſit alicubi de Providentia Sanctus Hieronymus; quanquam non ignorem Scholaſticos commodâ ipſum (uti rentur) explicatione tueri ſolitos ab Hæreſi; qui ſi minus præſtiterint, illud ſanè Cοζὸν φάρμακον ſit quod legimus eundem Patrem Catholicam doctrinam in Commentario in Matthæum præclarè aſtruxiſſe. Nec aliter dicendum de triumphis Schiſmaticorum hodiernorum, propter Hieronymi opinionem (de qua ſibi maximè blandiuntur) de Regimine Eccleſiæ Antiquæ: Cùm quod ſæpiùs & liberius ſinceram in hoc articulo tradit doctrinam, tum quod ipſe ſibi non tam contrarius Pater videatur, quam pii & prudentis lectoris idoneâ interpretatione concilietur. Quod dicendum etiam puto de gravi (uti videtur Authori noſtro) errore Ambroſii, qui hîc magno clamore exploditur quòd dixerit Adulterium non eſſe interdictum ante Legem. Simplex enim Adulterium, de quo ibi Ambroſius, quod nos Chriſtiani damnamus, quando ſcil. plures uni conjugio copulantur, vel aſſumuntur in Genialem Thorum, certum eſt vetitum non fuiſſe antè, vel Poſt Legem Moſaicam. Deinde de interdictione quæ Lege fit, agit Sanctus Pater, apertis verbis. Vultne autem Dallæus ingentem haberi errorem quòd dictum ſit aliquid Lege prohibitum non fuiſſe ante latam Legem iſtam?

Οἱ δὲ λοιποὶ πάντες Ἰουδαῖοι ἐπειδὰν πρὸς κακίαν ἐπέκλειναν, τοῦ κατὰ τὸν νόμον ἐδεήθησαν χαλινοῦ· ὅτι οὖν ἐποίησε τὸν μόσχον καὶ τὸ γλυπτὸν προσεκύνησε, τότε ἤκουσαν· Κύριος ὁ Θεός σου, Κύριος εἷς ἐστιν· ὅταν ἐφόνευσαν, καὶ τὰς γυναῖκας τῶν πλησίον διέφθειραν, τότε ἤκουσαν, οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, καὶ τὰ ἄλλα δὲ πάντα ὁμοίως. Chryſo. Serm. 56. To. 5 pag. 379.

Atque de his quidem hactenus, hæc; quæ ſi cordatus lector tenuerit, prælongam & ſanè ſatis ornatam D. Dallæi diſputationem facili negotio diſſolvat, laqueoſque quos tetendit multiplices ad capiendos incautiores, devitet, ipſo malè irretito autore. Specialius autem remedium variis Veterum dictis qui adhibendum, quam hic locus poſtulet, putaverit, adeat Sixti Senenſis Bibliothecam: Ferdinandi Velloſilli advertentias Theologiæ Scholaſticæ

in Chrysostomum, Ambrosium, Hieronymum, &c. unde soleo dubitare num lapsus Patrum ibi notatos non collegerit inque suum digesserit Librum neglecto omnino σύφα φαρμάκω, ibi confecto, Dallæus. Adeat denique Virum summe Eruditum Herbertum Thorndicium, qui cap.25. De Ratione ac Jure finiendi Controversias Ecclesiæ, De Veteris Traditionis erroribus agit.

Caput quintum.

Ratio quintum.

Patres inter se aliquando dissentire & quidem interdum in rebus magni momenti.

Quæ superiore capite præparata sunt pharmaca adversùs virus D. Dallæi, plurimum etiam hujus capitis ad tollendas dilationes, valent. Multiplici enim errore ipse implicitus Veterum errores impotentius insectatur. Adeo ut in genere sufficiat perstrinxisse quæ ille nimis copiosè & singulatim prosequitur. Nos enim cum Ambrosio Catharino, "Credimus de Sanctis, etsi in multis à Domino & "Spiritu Sancto directi fuerint, ut vera loquerentur, "tamen dimissos nonnunquam sibi ipsis, & idcirco "in nonnullis non solùm non probabilia dixisse: ve-"rum etiam improbabilia valdè; imo certissimè fal-"sa. Nam sæpenumero inter se dissident, opposita "docent, & nonnunquam secum etiam non constat "quivis eorum. Probatur autem ab Ecclesia eorum "doctrina, non quia in quovis articulo vera sit, aut "probabilis, sed quia si spectetur in universum bona "est & utilis: quia plurimas continet veritates, & "rectas Sacrarum Scripturarum interpretationes ad confirma-

Cathar. Annotat. in Comment. Cajet. Lib.4. pag.272.

" confirmationem verorum dogmatum & Sanctorum " præceptorum Dei. Et quia hoc quoque in ea do- " ctrina sit, quod illi sincerè profiterentur, nolle " quicquam à se accipi quasi assertum, quod pugnet " cum veritate, sed cuncta, quæ dixerunt, subdunt " examini & probationi Sanctæ Ecclesiæ. Primò enim, quod solidè olim à Vincentio Lyrinensi obser- vatum est, " Non in omnibus divinæ Legis quæsti- " unculis, sed solùm præcipuè in Fidei Regula magno " nobis studio antiqua Sanctorum Patrum consensio " & investiganda & sequenda. Secundò, in articulis magni ponderis, rarò dividuntur. Tertiò, Posito quòd à se invicem diffideant rebus gravioribus, non sunt omni propterea autoritate (quod contendit D. Dallæus) denudandi. Siquidem verum sit, & ap- positum quod Duditio suo Respondet Beza, scanda- lum passo propter varias & atroces discordias Prote- stantium, viz. " Istas non debere nos permolestè ha- " bere; jam pridem enim laborare Patres necesse fu- " erit in demonstrando ipsorum Evangelistarum con- " sensu. Si neque summi, neque infimi, neque Pri- mi, neque Ultimi, neque Apostoli, neque Prote- stantes ipsi prorsus ab hâc incusatione fuerunt immu- nes, unde fit ut soli Medii, Viri Apostolici, & Pa- tres sequentes hâc causa rejicerentur? Bene ergo Gerardus Vossius, " Non enim audiri merentur (in- " quit) qui ullum in Antiquis consensum iniri ne- " gant. Quemadmodum enim infinita sunt in qui- " bus disconvenit Ecclesiæ Reformatæ magistris, ne- " que hoc impedit quo minus consentiant in necessa- " riis,(uti arguit Harmonia quæ tot Ecclesiarum con- " fessiones comprehendit) Similiter non, si Veteres " dissentiant in multis, eò negari debet consentire " etiam in nonnullis. Zanchius verò non solum non obesse, sed Ecclesiæ prodesse arbitratur dissidia Fide-

Vincent. Lyrin. Comment.

Beza Epist. ad Duditium

Vossius ad Lectorem ante Historiam Hæresis Pelagianæ.

Zanchius Tom. 8. Quæst. 11. de Scripturis.

lium Fratrum: "Quod Deus, ait, permittit ut in "multis Scripturarum interpretationibus inter se "dissentiant Patres, hoc facit propter ipsorum & "nostram utilitatem. Neque credo, si fortè malè conveniant his quæ alibi scribit Dallæus hâc de re disputans, ideo nullius unquam momenti cætera erunt, quæ multa & varia scripsit, vel inscitè, vel indoctè scripta habenda. Quid autem dicemus de his

Pag. 358, 359. quæ propè finem hujus operis scribit? "Illa verò "sententiarum de quibusdam Religionis capitibus à "nobis supra memorata diversitas, quæ interdum "apud Patres occurrit, adeo nullum ipsorum de "Christianæ doctrinæ veritate testimonio pondus de- "trahit, ut etiam plurimum ad id momenti adjicere "videatur, quæ eorum scil. in hac parte consensum "omni syncretismi suspicione liberet. Sic enim con- "stat eos non ex compacto, neque ex communi ali- "qua conspiratione eadem de Christo loqui. Nam "quos, &c. Hem ipsum Autoritatis Ecclesiasticæ eversorem jam factum Apologistam, & vanitatem victam à saniore ratione.

Pag. 273. Sed novum illud munitum autoritate Petavii contra Epiphanium, multis interpositis paginis, non tam secure dimittendum: Hunc enim fere omnium Antiquorum solent Calviniani maximè destomachari, & cupere sublatum ex hominum mente & memoria, ut Calvino & Aerio potiùs honos amplior accedat. Quid verò hîc offendit Epiphanius? Falsò (teste

Petav. Pag. 291. Petavio) narrat, *In Ecclesia initiis decrevisse Apostolos ut Judaico ritu Pascha celebretur, aut cum iis etiam Christianis atque Episcopis, qui Judaicè & minimè legitimo tempore fungerentur.* At tuum testem, doctissimum quidem, obtestamur, ut posito præjudicio rem sincerius tradat: & ne, salva ut sit Romana traditio, infamet alias omnes. Epiphanius enim non alia ab Eusebio

&

& Socrate scribit, non à protestatione Polycarpi & Polycratis, qui rectè proculdubio affirmârunt se à Joanne Apostolo recepisse morem Paschatis observandi: quod tamen non contradicit traditioni Victoris, quæ non diffitetur Joannem tradidisse legem illam, sed Romanos diversimodè ab antiquis Pascha coluisse; quadam Apostolicorum virorum varietate, contrarietate nulla; quibus (teste Socrate) præcipua erat cura fidem per omnia eandem ubique disseminare, circumstantias autem non exigere ab omnibus Ecclesiis pares. Porro, ipse falsi vel contradictionis Petavius est arguendus. Quid loco à te laudato scripserit non habeam quod definiam. Illud tamen certò mihi certius constat ipsum disertè scripsisse utriusque Traditionis Apostolos fuisse Autores, Romanæ scil. Petrum & Paulum; Asianæ Joannem Apostolum, juxta sententiam Polycarpi & Polycratis.

Vide Petavium Ecclesiast. Hierarchiæ, lib 1. cap. 1. Sect. 12.

Alterum quod attinet Epiphanii errorem, de Spe quam putavit Diabolum cepisse salutis ante nativitatem Christi, neque probem neque defendam; neque pretium atramenti eum notando existimem Virum Doctum Causæ suæ fuisse lucratum. Et tamen si absurdum videtur falli vanâ Spe diabolum, quem crediderimus scripturas ipsas non ignorasse, non erit absurdum nos quoque falli posse, qui à longè ingenii subtilitate eum sequimur: Neque enim credibile est eum velle decipi in propria causâ. Sed Spiritus forte infallibilis nos ducat in omnem veritatem: Verum equidem: sed suo, non nostro modo, spirans ubi vult.

Tertium est, quod revera primum locum obtinuisse debebat, contra Epiphanium objectum: Quòd Sexto Januarii scripserit Natalem Domini observatum ab Egyptiacâ Ecclesia, secus quam universa alias Ecclesia tradiderit: quæ *Decembris 25 celebravit:* Sunt, fate-

Dal. pag. 272.

Ibid.

fatemur, hæc perobscura & quovis Sphinge (ut ais) perplexiora: non tamen sunt ejusmodi quæ Patrem probent tam simplici, aperto, & incauto ingenio & nimis credulo fuisse, ut hinc penitus diloricetur à Novatoribus. Tam luxa enim sunt in hac causâ ejus verba & incerta, ut nullâ invicem Grammatica arte cohæreant partes orationis: quod ante me Clarissimus Episcopus Norvicensis Montacutius acutè subodoratus est: & proinde minimè pigebit quid sensit ipse prolixius referre. Scripserat autem Epiphanius in Athyr Christum fuisse baptizatum: contra communem opinionem. "Est autem Athyr (inquit "Episcopus) Mensis October. Dies Octobris 12 "quomodo poterit esse 6 idus Novembris? Dissen-"tit etiam Ægyptiis, cum tamen, Episcopus Con-"stantiæ Cypri, Ægypti ἐπαρχία accenseretur. In-"tra Ægypti regionem (ait Cassianus) mos iste an-"tiquissima traditione servatur, ut peracto Epipha-"niorum die, quem provinciæ illius Sacerdotes, vel "Domini Baptismi, vel secundum Nativitatis esse "definiunt, & idcirco utriusque sacramenti solenni-"tatem, non bifariam, ut in occiduis provinciis, "(ubi tum Cassianus versabatur) sed sub una diei "istius Festivitate concelebrant. Atque ita non "triplici tantum sed quadruplici mysterio insignitum "unum atque eundem diem volebant: Nativitate, "Magorum adoratione, Baptismo, & vini ex aqua "confectione: quæ quidem Ægyptiorum consuetu-"do (Nam conclamata & deplorata Epiphanii sen-"tentia) non abhorrebat ab Ecclesiæ communi "praxi. Qui enim nobis est 25 Decembris, Ægyp-"tiis Januarii primus reputabatur: Annum illi à "Septembri inchoabant. Theth sive primus anni "dies à tricessimo Augusti inchoabatur: cumque "omnes ipsorum menses diebus 30 plenis constarent,

Montacut. Origen. Eccles. Part. 2. Sect. 66.

"rejectis

“ rejectis qui in ſingulis menſibus erant ſuperflui
“ dies, 25 Decembris & primus Januarii coincident.
“ Hoc eſt, In Auguſto, extrito uno die, in Septem-
“ bri item uno, in Octobri duobus, in Novembri,
“ duobus; in Decembri tribus, ſumma conficietur
“ dierum 8: quod ſpatium intercedit inter Decem-
“ bris noſtri 25, & Januarii 1. atque ita inter ſe con-
“ ſpirant hæc ἐναντιοφανῆ & fixum atque ratum manebit
“ etiam ſecundùm Ægyptios & univerſalem Eccle-
“ ſiam, diem Januarii primum tot ſolennibus myſte-
“ riis conſecratum. A qua ſententia Epiphanium
“ minimè arbitror receſſiſſe, ſed ipſius Codices com-
“ maculatiſſimos circumferri. Atque, ut in cæteris,
“ receptam illam Traditionem antiquitatis ſequitur,
“ & tuetur in ſuis Liturgicis, Eccleſia Anglicana,
&c. Ex his vero Viri Reverendiſſimi verbis ſuccur-
ritur deplorato Epiphanio; & Puritanorum ictus
contra ſolennem Natalem Domini noſtri declinan-
tur: Dallæi tamen ancipulam his non effugimus:
qui vel Falſi, vel interverſionis labores Veterum ac-
cuſare ſolet. Prius evanuit: poſterius non eſt omni-
no nihil, ſed tanti negamus eſſe quod ſævius in Vete-
res quam Novos graſſetur: præſertim in hoc caſu,
ubi potius Veri damnum, quam Falſi incommodum
patimur.

Hîc verò theſi deſerviens ſuæ, quod Magni mo-
menti, & præ cæteris memorabile prædicat eſſe, præ-
teriri penitùs non debet. “ Si enim, ait, Judices Pag. 303.
“ noſtri conſtituantur ſubinde, ac pene aſſiduè con-
“ ſulendi ſunt de locis quorum ſenſus apud nos con-
“ trovertitur; Quid fiat ſi de horum expoſitione a-
“ pud ipſos Patres non major quam apud nos concor-
“ dia ſit? Reſponſum ſanè facile & clarum eſt; In
eo caſu (quem aliquando accidere poſſe non negârim)
parum aut nihil facere poſſe ad noſtras lites compo-
nendas:

nendas: Non tamen propterea pro rejiculo habendam esse tunc Antiquitatem, si vel Vincentium prius laudatum, audiamus, vel Hilarium de Synodis, qui, "Si contraria, inquit, invicem senserint Con-"cilia, debemus quasi judices probare meliora. Longè etiam melius Dallæo, ipse Keckermannus difficultatem dirimit, hoc modo. "Quod si autem in "Loci alicujus interpretatione interpretes clari vi-"deantur inter se dissentire, antiquiores, clariores, "& doctiores præferendi erunt aliis, ita certè meri-"tò in negotio cœnæ præfertur Augustinus Damas-"ceno. His accedat Nili Thessalonicensis, vel, ut aliis videtur, Nicholai Cabasilæ non temnendum consilium. Ὀυδὲ γὰρ δυνατὸν τὴν αὐτὴν ῥῆσιν πρὸς διαφόρους διδομένην ἐννοίας ἐφορμάζειν ἀπάσαις ὁμοίως. Ἀλλ᾽ ἡμᾶς δεῖ τὰς κυριωτέρας τούτων ἐκλεγομένους καὶ συμφωνούσας τοῖς Ἐκκλησιαστικοῖς δόγμασι, τὰς λοιπὰς ἐν δευτέρῳ τιθέναι. h. e. "Impossibile cùm sit eandem dictionem quæ diversos reddat sensus, utris-"que accommodare, principalem nos decet eligere, "& Ecclesiæ doctrinæ consentaneum, reliquos verò "post-ponere.

Hilarius de Synodis.

Keckerm. Rhetor. Ecclesiast. lib. 1. cap. 7.

Nilus Thessal. περὶ καθαρτηρίου πυρός.

Postremò, quum eadem omnino difficultas sit in Jure dicundo, quæ hîc Theologiæ objicitur, eâdem methodo procedendum in utrâque Facultate. Nam Juristas maximos contraria sibi scripsisse, imo Baldum Jurisperitorum Coryphæum hâc in parte crebrius deliquisse, à doctis censetur. "Ideo (inquit quidam) "pro distinguendis doctorum contrariis opinionibus, "Regulæ nobis traditæ sunt vel ex eorum numero, "vel ex scribendi modo, vel causarum naturâ, vel "interpretum personis, vel temporis cursu, vel ali-"unde sunt desumptæ quas hîc breviter apponendas "censui, &c. Cuipiam autem potius dubium, quî se expediat in colluctantibus vel Theologorum sententiis vel Jurisperitorum, authoris citati consulat admi-

Arthur Duck. de Authoritate Juris Civilis, lib. 1. cap. 8. n. 9.

adminicula, quàm ut tanta ego utar hîc excursione; Vel potius placeat ipsi ipsum Codicem Theodosianum adire, qui hunc nodum Authentice solvit. Proclive autem erit eodem Ariadneo filo à Labyrinthis quos hic conficit D. dubium pedem extruere, & tutum facere incessum. Quibus expeditis, tenuis erit operæ fugare nubeculas istas, quibus per hoc integrum Caput studet Author noster claram alias veritatem infuscare credulis Lectoribus suis. Ne tamen minus curasse præsentem videamur Provinciam, decrevimus paucis plurima jugulare.

Vide etiam Cod. Theod. lib. 1. Tit. 4. De Responsis Prudentum.

Notandum ergo primò, meliorem Pugnantiarum partem, quam hic visum est Calumniatori recoquere non aliam à superioribus esse, sed terque quaterque repetitam, de nova apparari; ostentationis procul dubio causâ. Sunt verò hujusmodi, dissidia de Animæ Origine: De Sabbaticis Jejuniis, De Ætate quâ Christus est passus.

Secundò, vix vicesimam tantæ farraginis partem substantiam Religionis vel Ecclesiæ attinere: sed corticem, seu Problemata, & Circumstantias fidei arrodere: quo fere unica objectio revocanda est De Spectro Celebratissimo formâ Samuelis inducto. De quo, An merum phantasma divinâ permissione factum, An verus Samuel, tam docti hodie, quam olim Veteres fuerunt dissentientes.

1 Sam. Vide Michaelem Rothardum de Samuel redivivo.

Denique Contradictiones quas hîc amplificat D. Dallæus, Apparentes potius quam Reales, factâ prudenti & diligenti disquisitione, dicentur meritò: quales sunt rixæ inter quosdam Patres ortæ de vocum nonnullarum significatione idoneâ Mysteriorum Trinitatis. Non illi omnes errores dati, sed accepti quos graviores esse hîc vult D. D. nec studio brevitatis committere debemus, ut illud Theodoreti contra Cyrillum quod disertius Dallæo videtur, quam ut

Pag. 191.

 eludi

eludi queat, prætereamus intactum. Dissimulari hoc quidem nequeat, Patres istos nimis invicem exacerbari, & perlibenter alterum alterius sententiam velle exagitare, humanum quid passos: Non tamen vel hujus vel illius dicta respuere debitam medelam. Ait quidem Theodoretus, (quod tam horrendum primo auditu videtur) "Si proprium Spiritum filii, "& quidem ut ejusdem cum eo naturæ & ex Patre "procedentem dixit, simul confitebimur, & tan-"quam piam suscipiemus vocem, Si verò ex filio, "aut per filium, existentiam habeat, hoc ut blasphe-"mum & impium rejiciemus. Hic vocem fatemur à forma saniorum verborum multum variantem: Si tamen quis, quid Cyrilli Anathematismus damnavit, spectaverit, & ordinem Reprehensionis Theodoreti, haud difficili negotio utrumque rectam & coluisse & docuisse fidem perspiciat.

Anathemate percutit Cyrillus quicunque Jesum Christum non propriâ virtute claruisse, sed accepisse totam à Spiritu Sancto: Quod Catholicè admodum dixit, loquens de Naturâ Divinâ Christi: Theodoretus verò avidè arripiens hinc ansam stomachi levandi contra Cyrillum, disputat summo ardore quasi verba Cyrilli de humana Christi natura proferrentur: Quod facilè cuipiam argumenta ejus perlegenti
Luc. 1. constabit, A Gabrielis enim Archangeli salutatione ad B. Virginem factâ probat, Sp. Sanctum supervenisse
Matth. 1. Virgini: A monitu dato Josepho in somnio, ostendit, Quòd natum, ex Spiritu S. esse. Item aliis ex textibus tam Veteris quàm Novi Test. quæ omnia necessariò de Christo homine sunt intelligenda. Concludit ergo blasphemum & impium esse affirmare hoc sensu Spiritus essentiam à Christo quoquo modo promanare. Quo nihil fidei nostræ consonantius dici poterit. Vides ergo ut nulla quidem arte, verum

simplici

ſimplici interpretatione quæ monſtro ſimilia videbantur, jam nihil in ſe vel contrarii vel erronei continere. Et ſi otium nobis, aut multis opus eſſet, id genus plura his addere queamus, quæ magni momenti quidem ſunt, ſed grano ſalis accepto optimè ſecum, & fide Catholica conveniunt. Et Hieronymo ſuſpecta potius vox Hypoſtaſis, quàm res eâ denotata diſplicuit. De ſchiſmate verò, de Proceſſione S. Sancti, nato inter Græcos & Latinos, quid dicam vix invenio, quum docti utrobique Viri aſſerant, negentque cauſam fidei verti in eo articulo. Sufficiat inſtituto noſtro dixiſſe, hoc malum Eccleſiam Catholicam non diſcerpſiſſe ante annum 800 poſt Chriſtum natum, ad quæ tempora rarius conſuevimus quoſvis adverſarios provocare: & tum quidem in levioribus, vel iis in quibus integra & unanimis permanſit Eccleſia, inde ab Antiquo.

Quoniam verò ſteriliorem verſat agrum nomen Veterum juſte ſulcando, injuſte admodum de fide ipſa non dubitat accuſare. "Nullus enim, (quod "ſciam) Patrum Sanctorum illa Sancti Joannis ver-"ba, *Pater major me eſt:* & illa, *Ego & Pater unum ſumus,* Orthodoxè non expoſuit: Niſi manifeſtos Hæreticos Patrum titulo decorat Dallæus, quo ſpecioſiùs omnes confodiat. Nam quod de Tertulliano & Ambroſio queratur quòd Chriſtum Unum cum Patre amore dicant, immeritò facit; quandoquidem nihil præſidio S. Scripturarum deſtitutum aſtruunt; vel quo Naturæ quoque unitatem deſtruant. Ambroſius enim comparationem inſtituens inter duo hæc, *Verbum Caro factum eſt;* & *Chriſtus factus eſt peccatum, & Execratio:* Non modum, ſed res ipſas confert; innuens Chriſtum tam verè factum eſſe peccatum, quàm Caro factum eſſet Verbum; licet ratione longè diverſâ. Hoc fortaſſis Viro vel parum in hac cauſa

Joan. 14. 28. Cap. 10. 30.

attento ob studium accusandi, vel pronissimo in verbera & vulnera Priscorum, vel denique nimium credulo Supparum censuris, imposuit: quod occurrit apud Veteres prærogativam quandam Patri præ filio concessam *Auctoritate Originis* (ut loquitur Sanctus Hilarius) non dignitate, aut diversitate naturæ. Sunt quidem fateor qui & *διακονεῖν* Patri satis incautè scribunt. Novimus tamen in eo durius dicto, non penitus à phrasi Scripturarum ablusisse quæ commodam ferant interpretationem. Quæ enim tradunt (sunt autem tam Canonicæ quam Apocryphæ quæ hunc faciunt) Mundum à Deo per filium conditum, tanquam Medium sanè non otiosum aut inefficax nobis proponunt: Quod secundum Veteres nonnullos *Ministrare*, dicatur. Quoniam verò nullus Veterum hic adducitur qui fidem incursasse ostenditur, cui sufficit Dallæi Accusatio; satis sit nostra Negatio. Sacrilegum illud commentum Novorum potius quam Veterum fuit: & qui hesternos Magistros potius quam antiquos secuti sunt, vel proprii cerebelli prolem, partum S. Spiritus celebrarunt. Socini scil. hoc fuit: & paulo modestioris Episcopii cujus hæc sententia est, hæc verba. *Certè ego nullus dubito quin filius ipse Patrem suum ob hanc etiam prærogativam & ἐξοχὴν se majorem vocare potuerit*, Joan. 14. 28.——— Et post pauca. *Quod enim ad primum attinet, quo filius Patrem suum se majorem esse dixit, etsi id ad Christum quatenus & Mediator inter Deum & homines erat, referri maxime potest, tamen nihil vetat id etiam referre ad totum illud, quod filius qua filius est. Sic enim minor Patre est*, &c. Hæc ille, qui & Zanchium suffragatorem, quærit. Hæc non Veteres. Imo contra hæc Symbolum Athanasianum, expressé.

Episcopius Instit. Theolog. Lib. 4. cap. 32.

Sed restat jam in hoc genere ultimus Dallæi conatus ter maximus sanè, nisi fallatur. *Eorum* [Patrum]

Ubi supra.

trum] *expoſitiones non modo inter ſe pugnant, ſed, quod ſanè graviſſimum eſt, pleraſque frigere comperiet* [*quis*] *raróque apud illos occurrit ſolida illa ſimplicitas.* Mihi autem multò magis frigutire ipſe videtur Dallæus, qui neſcio quæ pollicitus monſtra, ſatisfactum ſuo delatorio officio abundè putet, ſi per omnia plenè & ſolidè non ſcripſiſſe Veteres oſtenderit; vel potius dixerit; quin addi poſſit quid. Et quidem bene denſæ ſphalmatum Veterum ſylvæ quam propoſuit & contradictionum, fortaſſe plura potuit adjeciſſe ex Stephano-Tritheita, Hæreſiarchâ apud Photium, qui Dux viæ Dallæo (uti auguror) in hoc negotio, Sexaginta articulos ex Authoribus variis Antiquæ Eccleſiæ, conatu invidioſiſſimo compulit, in quibus inter ſe diſconvenit Priſcis Eccleſiæ Doctoribus. Dignus profectò ille tali Authore, & Causâ Patronus; Indignus verò uterque cui aliter quam contemptu reſpondeatur, qui vera quidem ſed valida neſciit objicere.

Photius Bibliothec. num. 232.

Caput sextum.

Ratio sexta.

Neque Protestantes, neque Pontificios agnoscere Patres Judices rerum ad Religionem suam pertinentium. Hos quoque non minus quam illos, quæ ad palatum suum non faciunt nulla religione respuere. Satisfit duabus quæstionibus quæ ex superioribus omnibus oriuntur.

HActenus se demonstrâsse Vir D. venditat Patrum scripta non tantum habere in se autoritatis ut judicent de nostris controversiis, *Restat jam*, ait, *sibi dispiciendum*, *Quæ nostri ratione sit autoritas eorum*: & proinde se jam monstraturum promittit, neque Pontificios neque Protestantes hanc dirimendi controversias probare methodum, Quæ promissa postquàm compleverit, nulli non sit Magnus Apollo: quum & nos suprà, Protestantium proceres contraria huic thesi scripsisse docuimus, De Ecclesiâ autem Romanâ fere nihil à nobis dictum, cùm quòd vitio ei verti contrarium solet; tum quòd præcipuum totius Operis hujus Dallæani sit Ecclesiæ Pontificiæ doctrinam de autoritate Veterum refellere. Quid verò sua Reformata sentiat Ecclesia, nobis curat proponi; quæ ut salva sit imprimis, has turbas excitari credam, & supercilium contrahi.

Pag. 303.

Quanquam autem facile concederem rectiùs ipsum, quæ sit ejus Ecclesiæ mens, quam me, callere; non verear tamen affirmare verba ab ipso allegata parum probare thesim suam.

Conf. ss. Gall. Artic. 4.

Verba autem Confessionis Gallicanæ hæc apud Dallæum

Dallæum ſunt, viz. " Libros quidem Eccleſiaſticos " eſſe utiles, ſed non ejuſmodi ut ex iis conſtitui poſ- " ſit aliquis fidei articulus. Satis equidem mirari nequeam ut proprios oculos ſibi eruerit Vir Acutiſſimus, ne videat, quod ſaltem ſe non videre Sexcenties ſimulat, ſecundum nullos, Eccleſiaſticos doctores vel Eccleſiam poſſe fundare leviſſimum fidei Articulum. Forte inter marcidos Romani Pontificis adulatores, veſanus quidam nebulo tale quid ſuo Vice-deo tribuat. Id autem ſobrii conſtituunt, Eccleſiæ tam Antiquæ quam modernæ eſſe, non ſimpliciter condere, ſed ſubobſcurum punctum poſſe in apricum proferre. Eſt itaque illa Concluſio valdè lubrica, & præter Præmiſſas, viz. " Qui credunt Scri- Pag. 307.
" pturas complecti quicquid ad cultum Dei & ſalu- " tem hominum requiritur, nullo alio Judice opus " habent, fruſtraque ad Veterum autoritatem confu- " gerent. Quam toto ſcopo aberrat hic Vir Doctus? Leges enim quæ omnia non minus complectuntur ad Civilem vitam dirigendam, & juſtitiam cuſtodiendam, quam Leges Divinæ ea quæ ad cultum Dei & hominum ſalutem faciunt, Judice indigeant tam ad Legem enarrandam, quam applicandam. Et nulla in Politia Judicis eſt (quod falſo ſuſpicatur Dallæus) Leges fundare; ſed duntaxat declarare: uti dictum ſæpiuſcule eſt à nobis: quod, poſthac diruens quod hîc & antea paſſim extruxerat, ipſe fatetur, viz. " Hinc apparet Patrum autorita- " tem veluti ſecundum quoddam poſt Scripturas re- " pagulum eſſe, ad eorum impoſtorum comprimen- " dam ac retundendam audaciam, qui novam fidem " procudere, novaque & inaudita myſteria falsò Pag. 307, 308.
" Chriſti nomine orbi obtrudere aliquando moliun- " tur. Nec iſta quæ mox ſequuntur hæc deſtruunt, ſumpto argumento de Apoſtaſiâ Celeberrimâ de quâ

Apoſtolus 2. ad Theſſalonicenſes, cap. 2. agit. Hinc tamen concludit, quum à primævâ ſimplicitate & puritate fidei defecerit Eccleſia, juxta præmonitionem S. Sancti, autoritatem ejus perexiguam præſertim nunc dierum eſſe apud nos oportere.

Huic verò objectioni in Limine Prioris Libri ſatis reſpondimus, de Hegiſippo agentes. Hîc verò libenter è Dallæo quærerem, Quorſum hæc ſunt adducta verba, ſi forte hîc non de Eccleſiæ defectione, ſed potius de Judæorum apertâ Apoſtaſiâ, quâ Antichriſtiana eorum doctrina & mores manifeſtiſſima eſſent, & quam prope è tergo ſecuturum eſſet Luctuoſiſſimum illud excidium, de quo ibi tractat Apoſtolus; quod gentem illam irreparabili internecione deleret; contra quam, credo Fidelibus (qui & ipſi nuper è Judæorum numero erant) ſolatium parat Apoſtolus. Hanc ſanè poſt innumeras interpretationes mihi multo veriſimiliorem videri fateor. Cæterum, Quid ſi de Eccleſiæ diſceſſione intelligendus ſit Apoſtolus? Non de apoſtaſiâ è Fide, ſed à piis moribus accipi optimè poſſit, & Sanctitate; quæ inconcuſsâ fide accidere poſſit. His ergo miſſis ad reliquas Eccleſias Reformatas tranſeamus.

Hîc verò tam jejunus eſt, & quaſi gradu ſuſpenſo incedit, ut ex cunctis, ne unius; tres ſolummodo Viros quidem, Eccleſiæ vocem aut decretum huc adduxit in jacturam Traditionum. Et quod antè Archiſchiſmaticus Cartwrightus noſtras delirârat, ipſe probat dicens; “ Non nego Primarios quoſdam inter ipſorum [Proteſtantium] Scriptores quales “ ſunt Bucerus, Martyr, Juellus Epiſcopus Sariſburienſis, & Recentiores fermè omnes Patrum libros “ in diſputationibus adhibere: ſed ſi eorum mentem “ atque inſtitutum accuratè inſpexeris, reperies eos “ ad refutandum, non ad confirmandum; ad ever-“ tendas

Cartwrightus lib. 2. pag. 22.

"tendas opiniones Romanas, non ad ſuas conſtitu-
"endas, Patrum uti teſtimonio. Rectè quidem: quid autem faciunt hæc vel ad confirmandam vel illuſtrandam Theſim Propoſitam, viz. *Proteſtantes non agnoſcere Patres Judices rerum ad Religionem pertinentium?* Siquidem parum intereſt, An quis è Veteribus monſtret Adverſarios falſa pro veris colere, & veritatem ipſam nobis favere, ſi contrarii ſumus. Et tamen non dubito & Dallæum, & Cartwrightum, & hodiernos Sectarios, quibus mirificè arridet hoc effugium, vehementer errare. Nam & Patres, & Viri inter Reformatos maximæ notæ, non minus ad veritatem ſtabiliendam, quàm errores retundendos, purâ utuntur Antiquitate.

Supereſt ergo, poſt munus negligenter illa in parte curatum, ut Pontificios hanc methodum legémve controverſias definiendi recuſaſſe oſtendat. Ubi primùm jucundum ſit contueri duos primarios Symmyſtas, qui junctis dextris viribuſque adverſus Veteres proceſſerunt hucuſque, Rivettum putà & Dallæum, in contrarias ſententias rapi. Sic enim ille, "Omnes Pontificii in eo conveniunt in expoſitione "Sacrarum Literarum, communem omnium Sancto-"rum veterum intelligentiam Theologo præſtare ad "Theologicas aſſertiones corroborandas. Hic autem hoc modo ſcribit, "Diſcrepant inter ſe, quod "alii ſcripturis, alii præſenti Eccleſiæ ſui ſæculi "ſummam autoritatem tribuunt, ſed in eo utrique "conveniunt, quòd eam autoritatem non minus hi, "quàm illi Patribus negant, adeo ut incaſſum terant "tempus, &c. In hac diſcordiâ fratrum, Ille tantum habet veritatis, quantum valeat ad convellendum Inſtitutum Dallæi. Hic autem quantum ſufficiat ad Pontificios jure accuſandos: qui, juxta Rivettum quidem, nihil glorioſius tonant quàm Patres,

Rivettus ca. 3 de Authorit.

Dall. p. 313.

& Ecclesiasticas Traditiones cunctas suæ soli fidei faventes. Ubi autem ad rem ipsam deventum fuerit, claris datis instantiis contra ipsos militantibus, innumeris cuniculis & versutiis vel elabuntur, vel re ipsa fugiunt quod ambiebant ore tenus; vel (quod non rarò contigit) ejusmodi testimoniis surdam obvertunt aurem, & aspernantur, superbissimo fastu, quo (opinione Præsentis Ecclesiæ) animi eorum tument. Hîc autem non tam de Praxi, quàm doctrinâ Romanorum disceptatur: quæ si constantior sit pro Veterum autoritate, Frustra, imo magno suo damno, & Causæ iniquæ detectione factis abdicant; quæ tam æquum pati nequeat examen, aut constantes defensores.

Testimonia verò quibus operam dat ut probet Pontificios respuere, hanc formam disputandi in genere, nullius fere momenti apparebunt perpendenti: neque enim illud quod post varios scriptores de Cajetano prompsit, huc facit: "Si quando occurrerit novus sensus textui consonans, nec à sacra Scripturâ, nec ab Ecclesiæ doctrinâ dissonans, quamvis à torrente doctorum alienus, rogo Lectores omnes ne præcipites detestentur, sed æquos se præbeant censores: solis Scripturæ sacræ autoribus reservata est hæc autoritas, ut ideò sic credamus esse quia ipsi ita scripserunt. Vel illud Melchioris Cani, viz. *Non necessarium sequi majores nostros per omnia:* Vel Ambrosii Catherini, Annot. in Cajetanum nim. *Verissimum est quod Sanctorum dicta non sunt firmæ autoritatis ut singulis teneamur iis præbere assensum.* Vel Petavii censura Chrysostomi quod erravit: Vel denique Maldonati non dubitantis alium sensum Scripturarum sequi quàm Patres tradiderunt: Non (inquam) hi contra nostram thesim vel Romanam quicquam statuerunt: qui nihil aliud docent quàm in levioribus non solùm ferendam, sed laudandam esse varietatem

Cajetanus apud Dall. pag. 313, 314.

tatem

tatem expositionum Sacrorum textuum: dum rebus gravioribus docent, & definitis longâ consuetudine à certâ traditione secedendum non esse, aut Ecclesia Catholica. Quamquam insigniores quidem Pontificii & præsertim Pererius in Genesim, post Joannis Pici Mirandolæ novitates obelisco transfixas, Valde offendisse pios & doctos viros Cajetanum censet, quod initio Commentariorum suorum præfatur his verbis. [si quando occurrerit, &c.] *Sic Cajetanus, qui, quod præfatus est, audacter præstitit: quam etiam ob causam in hujus libri expositione nonnullos in errores & quidem graves lapsus est.* Sic Pererius. Et modestior Pererio Canus haud leniorem sententiam de Cajetani illis verbis tulit: ait enim. *Hæreticorum itaque & Schismaticorum communis videtur Cajetani illa sententia.* Nihilominus quum verissimum sit, quod Chrysostomus observavit tam inexhaustum esse fontem Scripturarum Sacrarum, ut ab origine mundi in sæcula perpetua exantlantibus inde Interpretibus, semper emerget aliquid novi, absit ut semper actum agant & quicquid utile & Catholico sensui congruum novis conatibus non depromant.

Pererius Præfat. in Genes.

Canus Lo. Com. Lib. 7. cap 7. num. 12

Chrysosto. Serm. 3. in Genes.

His jam ita prælibatis, vocat institutum ad tria Capitula, ad quæ placuit D. D. reducere quæ paraverat in hoc negotio, objicienda, descendamus. "Patere autem affirmat in Fide, 2. in Ceremoniis, & "3. Disciplina, multa præter Veterum autoritatem "tum abrogata, tum instituta. Facilem admodum me hîc adversarium habet Dallæus: qui hæc omnia, si vel maxime velim, nequeam inficiari. Descivit proculdubio Ecclesia Reformatissima, & multò magis sordibus nuperis Inquinatissima ab Ecclesiæ Antiquæ Legibus, & praxi. Possit æquè probari tam Reformatas quàm Irreformatas Decalogum & præcepta pietatis, imo Scripturas ipsas repudiare, quòd mori-

Pag. 325.

Vide Augusti. Confess. lib. 3. cap. 7. Item lib. 2. de Baptis. cap. 3.

moribus contrariis plerunque vivitur. Deinde, Quævis immutatio damnanda non est: quandoquidem nihil in Ecclesia receptius fuerit quàm penes Ecclesiam esse sibi ipsi pro ratione loci, temporumque, novas propriasque scribere Leges de Externis Circumstantiis, & Ceremoniis; modo contra Fidei Analogiam nihil tentetur. Vani ergo sunt qui petunt ut per singula, eadem forma faciesque sit hodierna, quæ Primitivæ Ecclesiæ olim fuit, & sub qua floruit.

Ad primum ergo Caput quod attinet; valdè negligenter & incogitanter hîc se gerit Vir Clariss. dum putet eos quos rectè enumerat abusus Romanæ Ecclesiæ, vel facere contra Ecclesiasticas Traditiones, vel satis demonstrare Pontificios id genus disputandi, de quo jam agitur, omnino recusare. Hæc enim, Cultus Imaginum, Canon Scripturarum adulteratus, Immaculata conceptio Beatæ Virginis, Autoritas tyrannica Papæ, &c. quæ hic memorantur, solùmmodo probant defecisse istam Ecclesiam non solum ab antiquis, verùm etiam aliud hodie docere, aliud quotidie facere: & merito posse dici de Nova, quod objecit Antiquæ Romæ Augustinus, *Laudatis Antiquitatem & novè de die vivitis*: Sed quicquid hic præsumpserit V. D. longè alia ratio est de Regimine Ecclesiæ per Patres, quos Episcopos vocitamus: & Calvini seu Bezæ autoritates futilitatem potius propriam produnt, quàm perspicuam universæ Ecclesiæ traditionem praxi perpetua renitentem labefaciant.

Augustinus de Civitate Dei.

Neque aliter pronunciandum de alia subdolâ iniquâque querela violatæ Antiquitatis, quòd *Jus Populo sit hodie ademptum Pastores ad se vocandi.* Nam primò, Fallitur egregiè, fallique nos cupit, unquam per Veteres licuisse, quod importunè appetunt Novi. Ubi enim legitur Populum suos, quos hodie vocant, sed

ſed impropriè admodum, Paſtores, rectiùs quidem Miniſtros, creâſſe, aut ordinâſſe? quod ſacrilegâ temeritate nuper factum indignabundi & pudibundi vidimus? Optâſſe quidem Paſtorem præfici, extra dubium eſt, aliàs ordinatum. Presbyterum autem ſibi delegiſſe populum per varia ſæcula non uſpiam conſtat, & proinde meræ ſciolo vulgo ſuffunduntur offuciæ à Blondello, & Recentibus Reformatoribus, qui opuſculo quodam contendit Jus Plebi fuiſſe quondam ſuos Presbyteros eligendi; tam improſpero exitu, ut Doctiſſimo Viro nihil prius videatur fuiſſe in mente quàm plebeculam aucupari inauditi privilegii crepitu, vel, ut quovis modo curreret Calamus. Nam quàm certum eſt conſuetudinem invaluiſſe, ut Epiſcopo obeunte ſucceſſor à Populo probante accerſeretur, tam verum eſt ad Sedem tantùm, non ad munus ita vocatum fuiſſe. Sed hoc vitium non uno loco, aut occaſione à Viro perdocto admiſſum nemo non videat; Qui ſterilitate & paucitate teſtium quos pollicetur Lectori miſere laborans, ad confirmandam Acatholicam ſuam, ſententiam de paritate primæva Presbyteralis & Epiſcopalis ordinum, ne nihil agere videatur, ad longè aliud quam oporteret divagatur. Veluti pollicitus Herculeum & pluſquam Gordium nodum de Ordinandi poteſtate in Presbytero ſimplici ſita, magna temporis operæque jactura ſatagit oſtendere Epiſcopos non ſine Presbyterio ſolitos fuiſſe ordinare, quod & Olim & hodie veriſſimum eſſe, ultro largimur. Quid hoc autem ad ipſam intrinſecam facultatem attinet? Quod verò liberius & fidentius alicubi ait, nim. *Epiſcopos ſub omnium* [Presbyterorum & fratrum] *duntaxat oculis ac delegata ab omnibus poteſtate* χειροτονίας *aggredi teneri— & nihil niſi Presbyterii totius nomine & mandato fieri ab iis*: certe nihil à tota Antiquitate magis abhorret, nihil à vero alienius nihil minus

Blondellus de Jure Plebis in Regim Ecclesiast.

Blondel. Apolog. Sect. 3. pag. 159.

minus ab illo vel probatum, vel extremis digitis contrectatum per longam depictamque multis nominibus orationem. Licet tolerabilius multò erraverit, qui dixerit (quod tamen absurdum est) Episcopos *mandato* Presbyterii sui, quam *potestate* à suis Presbyteris delegatâ Ordinasse. Presbyteri autem (quod sciam) nulli unquam ad curam antiquitùs acciti sunt à Populo, sed è Latere Episcopi exierunt ad partem curæ & sollicitudinis Episcopalium sustinendam. Dubia hâc & Fallaci doctrinâ quorundam præpositorum Ecclesiasticorum nuperæ Reformationis factum esse liquet, ut cristas attolleret vulgus quas

Calvinus Episto. 131.

præscindere necessarium visum est Calvino, veritate paulò sincerius his verba editâ, "Sanè oportet Ministrum à populo approbatum esse antequam in "Ministerii possessionem mittatur. Quod siquis se-"ipsum intrudit aliâ viâ, ubi in Ecclesia ordo consti-"tutus est, Legitima vocatione destituitur. Ex eo "tamen nego sequi populum electioni sui Pastoris "præesse debere. Neque sanè jure divino constitutum est ut suffragia à populo quærerentur ad Pastorem introducendum in Thronum suum, sed præceptum Apostoli, potius Consilium Summis Episcopis est

1 Timoth. 3. v. 7.

(qualis Metropolitanus fuit Timotheus) quando de Episcopo scribit, "Oportet illum & testimonium "habere bonum ab iis qui foris sunt. Qui autem sunt qui foris sunt? Non alii certè quam Ethnici, vel ad summum Judæi; quorum neutri Parti competere Jus Fideles Pastores eligendi, credi possit, ex mente Apostoli: verùm tam inculpatis sint moribus Episcopi præcipit, ut neque isti, neque hi quicquam meritò iis objicerent. Descendere, scio scriptum à

Cyprianus, lib. 4. Ep. 4.

Cypriano (in quo uno inaniter sibi adulatur Blondellus) de divina auctoritate, ut sacerdos (qui Veteribus solus Episcopus erat) præsente plebe sub omnium

um

um oculis deligatur. Palam quidem & publicè oportebat Electionem fieri Episcopi, ut siquid Christianus populus justi impedimenti allegaret, via præcluderetur tanto honori; non ut suffragium seu calculus totius plebis necessarium esset ad Legitimam vel constitutionem, vel confirmationem ejus. Sublatam autem fuisse posterioribus sæculis hanc consuetudinem, idque causis justissimis, docent historiæ Ecclesiasticæ: quòd populus posteà frigente Charitate in varias scissus factiones circa Episcopum eligendum, ingentia scandala & damna dedit Ecclesiæ. Cæsareæ enim, teste Eusebio, & Nazianzeno, de Episcopali dignitate diræ altercationes exortæ sunt. Alexandriam quoque postea miserè afflixit seditio propter Dioscorum sede pulsum. Romæ quoque miserè vexata est Ecclesia Damaso sedem conscendente, uti legere est tam apud Ammianum Marcellinum, quàm Ruffinum.

Eusebius, lib. 4. cap. 24. Histo. Nazianzen. in Epitaphium Patris Evagrius, lib. 2. cap. 25. Ammianus Marcellinus, lib. 27. cap. 6. Ruffinus, lib. 2 Histor.

Ne tamen sim infinitus de singulis disputans quæ hîc coacervat Dallæus, illud solummodo notandum duxi, quo prodigus & oscitans patronus Christianæ Libertatis nervos omnis Ecclesiasticæ Disciplinæ succîdit. Distinguendum enim omnino est de cogenda Religione, ad mentem Ecclesiæ antiquæ, perinde ac hodiernæ. Nam illos qui superstitione Gentili à teneris annis enutriti essent, in eâque ætate sunt roborati, nequaquam putavit vi adhibitâ trahendos ad Christianam fidem: eos verò qui semel sponte se dederent, vel ab infantia edocti sunt in Christi Religione, nequaquam permisit propriis legibus aut ritibus uti; sed à Præsidibus Ecclesiæ virgâ disciplinæ nunquam non castigati sunt. Quod etiam non minus ipsi magni Libertatis assertores Christianæ faciunt, quàm quos accusant. Hâc autem distinctione proclive erit cuilibet prælongam telam disputationis

A pag. 347. ad 351.

quæ

quæ hîc admodum frigidè & temerè texitur, dissuere. Nec molestè nos habere debet similis excursio de se-
Pag.342, 343. cessione Romanæ Ecclesiæ ab Antiquâ: de quâ supra dictum est. Operæ tamen erit pretium quî se hîc dûplici objectione expediat, diligentius attendere; quoniam quod ipse jure suspicatur, universam suam doctrinam graviter vulnerare mihi videntur.

Pag.352. Sunt tamen quæ his præmittit fingens à Suis posse objectari, quæ ego minimè moror, sed transeo ad illas quas quidem ipse viribus Authoris longè superi-
Pag.353. ores credo: Fiat verò ab aliis judicium. Prima igitur quæstio, seu objectio sic se habet, apud Virum Clariss. "Cum ex Patribus de Capitibus controver-"sis nihil certi constituere possimus, quæri potest, "Primò, quâ via ad dirimendum has controversias "progrediendum est? Hujus quidem quæsiti ictum primò fugiens, ait, *Nihil esse ad institutum suum*: sed quum minimè hanc responsionem satisfacturam suspexerit videntibus & vigilantibus; aliam solutionem quæritat usque & usque habitam; nisi quòd quæ antea latinè, nunc Græcè prodeat; antea à se suisque exeat, nunc nomine Scholarii Sapientis Græci, qui
Ibid. in Concilio Florentino verba hæc habuit, Dallæo recitante. "Primò non decet velle omnia disertis "verbis è Scripturis desumere. Nam multos hæreticos scimus prætextu hôc usos, sed siquid verbis "prolatis sit consequens, adæque erit honorandum. "Similiter, Quod veris, & confessis visum fuerit repugnans & contrarium, nullo modo erit admittendum. Deinde, eorum quæ obscuriùs dicta sunt "sumendas esse, (Scripturâ veluti magistrâ) expli-"cationes, per illa quæ uspiam clarius illa differit. Optimè sanè hæc Scholarius, sed ad præsens institutum, planè nihil. Parum dixi; Contra illum eâdem oratione multa disertè edidit. Quod ut magis sit per-

perſpicuum cuivis oculis non plane capto, notandum prius eſt, Tres hodie legi in Concilio Florentino Scholarii orationes, non tam eò collimantes ut controverſiæ inter Græcos & Latinos explicitæ definiantur, ſed potius ut idonea forma dicendi excogitetur, quæ minus utramvis partem offendat: & ut flammis diſcordiarum ſaltem ſopitis, ſi non extinctis, Pax Chriſtianorum quoquomodo colatur, & ingruentibus Turcis; junctis viribus armiſque obviam eatur. In Oratione autem Tertia agitur tam de mediis commodiſſimis, quàm impedimentis Concordiæ, quorum præcipua hîc ſubjungam, ut nulli non ſit manifeſtum, qualem & quam benignum ſibi ſuæque cauſæ patronum delegerit Dallæus. "Primò, (inquit) oportet recurrere ad fundamenta Fidei, veraque Theologiæ principia, atque ad hæc utramque opinionem examinare, & diſpicere, Utra cum illis maximè congruat. Deinde, quomodo accepta fuerint ab Eccleſiæ doctoribus pronunciata Scripturæ, inquirere; quæ videntur ſpectare ad hanc materiam. Ad hæc; Quid ſinguli de Quæſito Philoſophati ſunt. Et quidem ex eo quod primum dixi arbitror multum emergere difficultatis. Nam circa principia Fidei par eſt multas eſſe diſcrepantias, ex quibus contrariæ concluſiones inferuntur. Ea porro nec deſtruere decet, ita enim fiet ut aliud agendo multiplicemus malum, ſimuſque multis de cauſis disjuncti, de quibus alia erit gravior quam præcedens differentia. Reliqua verò duo nullam habere dico difficultatem. Nam & Doctorum Expoſitiones facile [hoc autem perdifficile, ſi non impoſſibile eſſe ut oſtendat, totus prior liber inſumitur D. Dallæi] poſſe percipi opinor à rerum hujuſmodi peritis, quæcunque Scripturæ locis tributæ ab illis ſunt. Si qui verò ſunt inter vos qui & hoc

Tom. 8. Concil. Bign. pag. 919, 920.

Ff "aliter

"aliter intelligant, sapientioribus & pluribus victo-
"ria danda est: Hoc enim æquum & consentaneum
"est, & Sanctorum de re proposita sententias conci-
"liare & ad unum omnes redigere, licet in aliquo
"dissentire videantur, conveniens esse, & facile ar-
"bitror. Neque enim audiendus est, si quis velit
"reprobare quempiam ex iis quos universa honorat
"Ecclesia, aut ejus testimonia non admittat, quod
"putat ejus Theologiam ab iis corruptam, nisi quod
"sit perspicue depravatum, idque utrique affirmetis,
"& probent utriusque partis libri tali corruptelâ li-
"beri, germanamque lectionem in ea conservantes.
"Omnino ergo tribus his ducemini ad cognoscendam
"veritatem. viz. Scripturæ autoritatibus, Earum
"explanationibus, & propriis doctorum sententiis.
Hactenus Sapiens ille, qui planè nescius Captionum Dallæanarum, duo præcipua columina totius Structuræ, solo allisit. Nam & capi posse sensus Veterum disertè affirmat; & Antiquitatis mentem perceptam, optimum aditum futurum ad lites componendas, judicat. Eat ergo jam & suaviter suo Scholario gaudeat Dallæus.

Haud dissimile judicium de Usu Veterum Hieremiæ Patriarchæ Constantinopolitano fuit; responso ad Magdeburgenses, quod sic Socolovius interpretatus est. *Neque enim nobis licet privata consisis interpretatione, aliquid divinitus inspiratæ Scripturæ, aut ipsis intelligere, aut aliis tradere, nisi quantum cum scripto sanctarum Synodorum Ecclesiæque Sanctorum Theologorum, illud ipsum convenit: ne semel ex recto Evangelicæ doctrinæ tramite veraque sapientiæ semita abrepti, præcipites feramur: neve sensus deinceps noster more Protei in hanc vel illam formam fidei transferatur, hucque atque illuc devagetur.* Græca ergo Ecclesia, quæ rectè nobiscum liquidò sentit, temerè admodum & inconsultò Dallæanæ opinionis testis

Hieremias Constant. Censu. Orien. Eccles. ca. 21.

teſtis hic advocatur. Et propter hujuſmodi graviſſima ſaniſſimaque Orientalium Eccleſiarum documenta evertentia prophanas Novitates Genevenſes, arbitror ita ſuperbiſſimum Bezam ſtomacho intumuiſſe adverſus Græcam Eccleſiam, ut expunctam cuperet ex Albo Eccleſiarum Chriſti; quam teterrimam falſamque conatus ſuſpicionem de illa animis Fidelibus ingenerare, Cætum ſuum in veram adduxit: Nam Cætus proculdubio eſt, ſecundùm ſuam definitionem; accedere autem illum propius ad Chriſti veræ Eccleſiæ naturam quam Græcas, nullo modo invenimus, vel ante alteram magis tam priſcis Eccleſiis, quam Scripturis conſentaneam Reformationem dandum unquam arbitramur.

Ea tamen fuit ambitio, ut nihilominus nunc quoque Conſtantinopolitanis omnibus illis per orientem ſparſis Eccleſiis, ſi modo Eccleſiæ vocandæ ſint, præficiatur [Patriarcha] Beza Not. in cap. 1. ad Philip. v. 1.

Nec fauſtius multò ipſi accidit, quod de Concilio Nicæno ſibi imprudenter pollicetur, quòd Arrianorum hæreſim ex Scripturis profligaſſe ſcribit. Probè. Quid verò porrò? ex Traditione ergo non revicit eos? An qui ex Scripturis diſputant, eo Patres exterminant, & ablegant? Nequaquam, credo; niſi prius, quod primoribus digitis vix attigit V. Clariſſ. plenius doceat Catholicos Scriptores & Sanctas Scripturas repugnantia tradere. Theodoretus quidem apertè ſcribit; *Quia Arriani ex non ſcriptis in impietatem delapſi ſunt, —— ex non ſcriptis vocibus condemnabantur.* Nonnihil dubii ineſſe fateor textibus antiquiorum Editionum. Syrmondi autem recentior & caſtigatior, retinet genuinam lectionem: quam ſenſus quoque ipſe neceſſariò poſtulat. Præterea beatus Hilarius teſtatur, (ad Conſtantium ſcribens) Catholicos ab Arrianis accuſatos quod non

Καὶ ὁ γογγυσμὸς αὐτῶν ὅτι ἄγραφοι εἰσὶν αἱ λέξεις ἐλέγχεται; Ἐξ ἀγράφων γὰρ ἀσεβήσαντες αἰτῶνται Διὰ τούτων ἀγράφων [alias ἐγγράφων] μετ᾽ εὐσεβείας ἐννουμένων λέξεων καταλείθησαν. Ἀυτοὶ μὲν γὰρ, &c. Theodoret. Eccleſiaſti. Hiſto. lib. 1. cap. 8.

scriptis vocibus uterentur. Et morem fuisse Ecclesiæ Antiquæ in Conciliis celebrandis Codicem Canonum in Medio statuere ad dirigendas sententias Patrum; authores sunt Isidorus Mercator & Justellus. Ita verò se habuit solutio Primæ Objectionis, vel Solutionis primæ Dallæi.

Isidorus Mercat. de Origine Celebrandi Conc. Justellus Cod. Can. Eccles. Universa. Præfat.

Sequitur alterum dubium momenti, ni fallor, adhuc gravioris, viz. "Nisi Patribus, seu Antiquitati "plusquam Dallæus, tribuamus, *Quam nobis utilita-* "*tem afferant Patres?* Huic, blanda quadam & pulchrâ prius factâ verborum prolusione, non minus Prophanos quam Catholicos Authores cohonestante, respondet hoc modo. "Principio occurrunt in his Pa- "trum monumentis plurimæ eæque graves ad morum "sanctitatem, accuratamque Christianæ disciplinæ "observationem cohortationes. Multa quoque "passim obvia sunt, quibus Religionis fundamenta, "quæ ad omnes sunt in confesso, luculentissimè illu- "strantur, & confirmantur. Ad hæc: plurima "præclara & ad Scripturas & ad mysteria quæ scri- "pturis continentur intelligenda longè utilissima. "Quin & ipsa eorum autoritas magno nobis esse pos- "sit usui ad Christianismi veritatem probandum. Huc usque ille: Cui licet perridiculis & vanissimis Patres encomiis his condecorare placeat, stantibus prioribus suis Rationibus, ne hæc quidem umbra beneficiorum admittenda est. Quid enim sit operam ludere & cachinnos excitare, si hoc non sit? viz. Soli Lucem accendere; rem securè jam possidentibus liberaliter porrigere: & quod solet Papa Principibus jure divino & humano rectè tenentibus, Regna, tradere insidiosissimâ bonitate. Fundamenta nim. Religionis Christanæ, quæ apud omnes in confesso sunt, luculentissimè Patrum operâ illustrari & ornari, quâ est profusa in eos benignitate, largitur: & abundè

Pag. 355.

prius

prius actum, agere. Quid verò si ne hoc quidem, nisi ceciderint quæ prius multò sudore & arte condita sunt, consistere possit? Quæro autem à Viro bono, Quomodo vel jam perspicua, reddant nobis illustriora; vel firma, stabiliora; vel dubios nos, certiores; quorum mens nullo probabili medio nobis innotescere possit? Quo pacto autem, quid senserint illi, addiscamus, qui tam pauca (veluti Caput primum Libri 1. docet) tam longe à nostris controversiis dissita & dubiis, scripserunt? Quorum opera tot ficta, & supposititia circumferuntur, prout Secundum & Tertium Caput habent, nec non Quartum? Quorum Opera vel perdifficile vel impossibile est intelligere, quod Quintum probaret Caput: Qui quæ credunt, reticent; quæque non credunt, exhibent; secundùm Caput sextum: Qui non perseverârunt in sententiis suis, uti septimo Capite ostenditur: Qui (quod necessarium perhibetur capite octavo) non distinguunt nobis documenta probabilia à necessariis: Quorum omnium (quod iterum pernecessarium putatur) sententia cognosci nequeat, prout Nona ratio arguit. Decimò, Quum sciri nullo modo possit, Num patrum sententia, fuerit etiam Ecclesiæ universæ: & denique, fieri non possit, ut de hodie Controversis (hodie autem nullus Articulus non controvertitur) liquido cognoscatur Ecclesiæ Veteris sententia; Quomodo, inquam, si firmæ sint hujusmodi Rationes, cognosci poterit Veterum sententia? & si cognosci nequeat, quâ ratione vel tenuissimas istas utilitates, quas nobis futuras largitur Dallæus ex Patribus, consequi possibile sit? Adeo verum est quod Scripsit Augustinus (nisi ille cum cæteris Patribus, quod nemo intelligat, scripsit) *Ista quæ à veritate non veniunt plerunque & nullo impellente subvertunt seipsa.* [a]

[a] August. de Civitate Dei lib. 7. cap. 19.

Potest tamen fortasse & Ille alius insignior fructus deprædicatus, & excerpendus è Veterum Scriptis dignior nostra attentione esse: *Exurgunt* (inquit) *nonnunquam homines carnis suæ sensu inflati, qui ex ingenio non ex ullis veræ religionis principiis hausta dogmata procudunt. Ad horum hominum compescendam audaciam peropportunè poterit Veterum autoritas adhiberi; viz. si doceas Patribus penitus ignota fuisse, quæ ipsi obtrudunt dogmata, à Christo vel ab Apostolis generi humano nunquam fuisse tradita. Nulla enim veri specie fingi potest Sanctos superiorum sæculorum Doctores, per quos ad nos manavit Christianismus, aliquid eorum latuisse, quæ Dominus (quod essent alicujus momenti, & ad salutem necessaria) nobis revelavit & commendavit.* Hæc Dallæus. *Quid autem* (cum Cicerone rogo) *attinet gloriosè loqui, nisi constanter loquaris?* Non solùm enim contra hæc militant omnia modo recensita argumenta libri Primi: sed præcipuus Libri quoque Secundi scopus his opponitur. Nam quid aliud illuc agitur quam Patrum autoritatem, ubi de illâ satis constiterit flocci pendendam, propter varias rationes, quas supra retulimus, & præsertim, quia & falli possint, & multis, iisque gravibus erroribus, & adversis opinionibus laborârunt. Hic verò ex concessis Dallæanis, rectè concluditur, & Nullum Articulum necessarium eos ignorasse; & è fortiore, nulla execrabili hæresi implicitos, nobis errandi duces extitisse. Nam juxta Ambrosium, *Sicut alienus à numero fidelium & sorte Sanctorum qui in aliquo à Catholica veritate dissentit, ita extra Gratiam efficitur qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur:* Et, teste Augustino, *Melius est nescire quàm errare:* postremò, Ipse Dallæus suprà, "Levius est, (ait) ali-" "qua veritate carere, quàm mendacio, quod ei op-" "ponitur, fidem adhibere. Quemadmodum peccat" "minus qui bonum aliquid omittit, quam qui ma-" "lum,

Pag. 360.

Cic. de Finibus lib. 1. de Epicuro.

Ambrof. Episto. 33.

Pag. 58, 59.

"lum, quod ei opponitur, committit, sic ejus qui
"quod res est credere abnuit, quam ejus qui falsum,
"quod veritati opponitur, temerè admittit, levior
"est error. Præclarum equidem nemini non sit, amplius quid hic tribuendum Patribus quàm hactenus contendimus, nim. & in iis quæ crediderunt, & quæ non crediderunt, fidem iis adhibendam. Illo modo, ne quem falsum articulum fidei amplectamur: hoc, ne temerè assensum negemus ejusmodi articulo, quem illi religiosius coluerunt: Nam minimè est (judice ipso Dallæo) probabile vel unicum fidei membrum eos latuisse, & multo incredibilius prolapsos fuisse in errorem perniciosum, seu hæresim sanæ fidei contrariam.

Hæc tamen plus satis magnifica, quâ est inconstantiâ, rursum invidet, aufertque: & Modernorum Pastorum pedibus protrita hac similitudine subjicit, *Verum equidem est Recentes* Pygmæis, *Veteres autem* Gigantibus *comparari: Quis, nescit*, inquit, *Pygmæum Gigantis humeris impositum altiùs & longiùs quàm Gigantem ipsum prospicere. Ridiculus est qui quæ prospicit pumilio in rerum naturâ, ideo negaret existere quòd ea Gigas non vidisset?* Quinam autem sunt illi oculatissimi Pygmæi, qui quæ non viderunt Gigantes proceri, aspiciunt, dubitas? Sunt Pastores proculdubio Extraordinarii Evangelicorum: & tenebricosi Gigantes, quorum colla calcantur à Modernis, sunt Patres. De quâ eleganti comparatione, quid opus ut aliter judicem, quàm quod suprà de Sisinnii Diaconi consilio ipse Dallæus. Veteratoris scil. fuit & plusquam Schismatici. Ejus namque authorem fuisse Medicum quendam Pontificiæ communionis tradit Tostatus Abulensis, his verbis: *Et sicut peritus Medicus dixit, Homines nostri temporis ad antiquos comparantur sicut pusillus homo positus collo Gigantis ad ipsum Gigantem. Nam pusillus*

Pag. 363.

Tostatus Abul. 2 Part. Defens. ca. 18.

sillus ibi positus videt quicquid vidit Gigas, & insuper plus; & tamen si deponatur de collo Gigantis, parum aut nihil videbit, ad Gigantem comparatus: ita & nos firmati supra ingenia Antiquorum, & opera eorum, non esset admirandum, imo foret valde rationabile, si videremus quicquid illi viderunt, & insuper plus, licet hoc non profitemur. Quæ Abulensis verba paulo modestiora, hîc mordaciora reddere placuit V. Docto. Cæterum post Tostatum, Banezio arrisit comparatio, & post hunc Jesuitis gratiam Dei contra mentem Antiquitatis vellicantibus: Tandem infælici Dallæo. Audiamus verò quid hac occasione, tam de ipsa similitudine, quàm de pravo ejus usu scribit Jansenius: *Lepidiùs in præsenti, quam veriùs dicitur, Pygmæum in humerum Gigantis ipso Gigante plus aut longius cernere. Animosáne dicam, an superba comparatio, qua significant se, quicquid ille viderit, videre, & adhuc videre quod ipse non viderit. Quasi verò quicquid viderit ille, dixit, & quod videre nos præter ipsum putamus, ille non viderit. Multò nobis magis verendum est ne acies nostra quasi puerorum imbecillis non videat, quod Mater cujus humeris insident, videt: nec liquidò discernat id quod jam videt. Verendum quoque ne nobis accidat quod videndi discernendique imbecillitate laborantibus pueris ac pygmæis, ut omnes viros (quod Aristoteles dixit) Patres appellent, & omnes mulieres, matres; quamvis neque Patres neque matres sed hostiliter inimici sunt.* Quod autem hic animo præsago futurum veritus est, nos miseri reipsa experti sumus. Homines enim nova oculorum acie & fallacibus radiis superbientes, quemvis circumforaneum Theologastrum, vel Prædicantem homuncionem, Patris autoritate, & munere apud se, perlubenter patiuntur gaudere; veros in Christo Patres, vel plane ignorantes, vel superbè repudiantes: & quamlibet Erronum multitudinem, nulla Lege, nulloque jure inter se cohærentium, Matris, seu Ecclesiæ

Cornelius Jansenius in Augustino To.2. pa.24.

clesiæ nomine decorantes, stupore quidem Asinino, potius quàm acumine extraordinario. Miserandum enim in modum sibi ipsis imponunt, qui nullas alias postulari putant conditiones ad clarum fœlicémque aspectum quàm proceritatem, vel celsitudinem propriæ opinionis, quâ Majores contemnunt; temnendi ipsi maximè. Memoriæ utique proditum est à Plinio & Æliano, Siculum quendam tam forti & præcellenti oculorum acie fuisse præditum, ut à Lelybæo Siciliæ usque ad Carthaginem visus pertenderetur, adeo ut navium numerum à Carthaginensium portu solventium, suis indicaret. Mirum profectò & inauditum. Hujus tamen humeris Levis Recentium Pygmæus si forte insiliisset, ad Interiorem Lybiam, si non Mare Atlanticum, oculis penetraturum credibile esset, nisi claudicet duobus saltem pedibus similitudo vulgaris hæc.

Plinius Histo. Nat li.7.c.21. Ælianus Var. Histo. li.11. c.13.

Quocirca quum hoc decurso stadio, quantùm valeant viri Clariss. vel potius quantum non valeant, Rationes, satis perspectum habeamus, quid superest quin hoc unum obtrectatoribus Veterum respondeamus, quod narrant Livius & Aulus Gellius Scipionem Africanum M. Nævio ipsum accusanti de Republicâ malè administratâ, respondisse. *Repeto Quirites diem esse hodiernum quo Hannibalem Pœnum Imperio nostro inimicissimum magno prælio vici, in terra Africanâ: pacemque & victoriam vobis peperi insperatam: Non igitur simus adversus Deos ingrati: sed sentio relinquamus nebulonem hunc, eamusque nunc protinus Jovi Opt. Ma. Gratulatum.* Nos pariter jugi gratâque recogitatione repetentes egregia veterum Sanctorum facinora, victorias partas, actosque longè latèque triumphos de Hæreticis, Schismaticis, & absurdissimis Innovatoribus, relinquamus hujusmodi nuperos Criminatores, eorum ut proprio tabescant Livore, & squaleant im-

Livius Histo. Aulus Gellius Noct. Attic. lib.4. cap.18.

puris Inventis, quibus resplenduisse se autumant: Unique vero Deo Holocaustum laudis reddamus, quod eorum sudore, pietate, fortitudine, & prudentiâ Fides Christiana eam, quam cernimus incolumitatem, & sinceritatem, (Deo laboribus eorum aspirante) consecuta est.

Apologia

puris Inventis, quibus resplenduisse se autumant: Unique vero Deo Holocaustum laudis reddamus, quod eorum sudore, pietate, fortitudine, & prudentiâ Fides Christiana eam, quam cernimus incolumitatem, & sinceritatem, (Deo laboribus eorum aspirante) consecuta est.

Apologia

APOLOGIA PARTICULARIS PRO Ecclesia Anglicana:

SEU,


ACTIO HISTORICO-SCHOLASTICA CONTRA

Novissimos Schismaticos Anglicanos.



LONDINI:

Typis *Andreæ Clark*, Impensis *Guil. Wells* & *Rob. Scot*, ad Insignia Principis, in vico vulg. vocato Little Britain. MDCLXXII.



Actio Historico-Scholastica In Schismaticos Ecclesiæ Anglicanæ.



QUæ me omnia incitârunt ut Apologiæ pro Ecclesiæ Universalis Patribus animum appellerem, non minus extimulârunt ut nostræ Anglicanæ Ecclesiæ vindicandæ ab importunissimis Schismaticis, qui eam novissimè innumeris calumniis & maleficiis afflixerunt, pro viribus exiguis nostris, brevi compendio incumberem. Acrius adhuc propulerunt Meridiana, & impotentissima procacia hominum tam publicis concionibus quàm Scriptis seditiosè editis, contra utrámque Politiam; & Præsidia quædam transmarina Virorum Homogeneæ in plerisque cum ipsis Reformationis: quibus non mediocriter superbientes, nec non propitio nimis sole, tanquam Serpentes è latibulis, tumidis cervicibus & linguis virulentis nomen & superstitionem suam heri conclamatam, immortali vulnere Beatissimi Caroli I. & Religionis Catholicæ, in vitam insperatam reducere satagunt.

Illorum primus occurrit Pisellius, vel Continuator potius operis dicti *Mellificium Historicum*, qui, ut multa inscitissimè, ita tanta vel oscitantiâ vel malignitate res apud nos gestas perstrinxit, credulæque tradidit Posteritati, ut paulùm variato titulo, multò rectiùs, *Maleficium* audiat opus illud. In cujus Alveum, errorum crassorum, & putidorum mendaciorum examen videatur convolasse, è triobolaribus Chartulis decerptorum, ut flosculis, talibus dignis naribus; quæ nullâ non die certatim è prælis prodierunt, ad vitiandam fidem, mores corrumpendos, seditionem movendam, & Schisma Ecclesiæ tum florenti, & pacatæ adornandum; & vanissima spe animos hominum exterorum Calvinianæ Reformationis erigerent, nos quoque futuros, fasve nefasve, consortes Inventorum.

Paulò quidem modestiùs, nihilo autem fæliciùs eodem erravit argumento Sethi Calvisii Operis Chronologici Continuator: Item tertius Continuator, qui ad tempora nostra Commentarios Sleideni deduxit, apud Hichmannum vitio nostræ videtur vertisse, quòd propius quam ipse velit, ad Romanam Ecclesiam in Sacris accedamus; nesciens eo ipso nos ad Scripturas, & Catholicam Ecclesiam propiùs quoque accedere. His autem nihil prius fuisse videatur, quam ut vendibiliores libros redderent prædictos, ipsis interea temporis de vero parum solicitis. Optandum etiam esset Maresium vel tacendi, vel consultius loquendi in re nostra à suâ notitiâ remotiore Leges tenuisse: Quod etiam de Georgio Hornio dicendum puto, quos extremæ incuriæ, vel impudentiæ meritas luentes pænas apud D. Durellum, satius fortasse fuerit hic præterire quàm refricare.

Denique, vir doctissimus Bochartus, quâ tempestate Beatus Carolus tremenda Schismaticorum securi extinctus

extinctus est, Libellum (nisi mavis Epistolam appellare) ad virum ornatissimum D. Morleium, Episcopum nunc Wintoniensem dans, multa in gratiam Presbyterianorum conatur; quæ ad tria hæc capita revocentur. Primò luculentâ disputatione vim Regibus inferendam non esse, docet: in qua tamen nonnihil deliquisse mihi videtur, tùm quòd veritatem solidam perspicuamque, tot Criticis, Allegoricis, & Rabbinicis ornârit quisquiliis, (quas cuivis facile sit negare & contemnere) ut suspectiorem, quàm ex se ipsa esset, Thesim proponeret. Deinde, loco Communi vexatissimo vagatur, De Episcopo & Presbytero; ex Homonymia Vocum, contendens, eadem planè munus ordinemque esse utriusque; de quo postea disserendum nobis breviter. Tertiò, summo conatu apologiam meditatur pro Presbyteriana Factione apud nos; qua Æthiopes istos frustra lavaret à tetra Regii sanguinis maculâ; crudâ quadam historiæ nostri temporis serie, & testimoniis Clarissimi, (apud ipsum) Prinnii, & Doctoris Gauden, qui saltem scriptis egerunt editis, ne Rex obtruncaretur. In eo autem primùm est deceptus vir Clarissimus & Optimus, quòd Doctorem eo tempore, postea Episcopum, in censu Presbyterianorum haberet, qui multa fecit contrà, & pertulit ab ista Parte: Dein, quod existimaret Perditionem Presbyterianam à nobis accusari de ipso actu, ictuve horrendo isto: de quibus posthinc.

Neque verò Henricus Hortingerus quid fecerit potius per errorem, quàm destinato consilio adversus nostram Ecclesiam, prætereundum puto: qui de Rep. Literaria optimè meritus, & Academia Cantabrigiensi, in quâ aliquandiu est commoratus, cujusque honestam passim mentionem facit, in Bibliotheca quam excudi fecit Tigurii, Anglicanorum Theologorum censum

censum singularem exhibens, eos potissimum Lectori propinat, qui vitiosissima Theologiâ & schismatica excelluerunt. Cujus autem præcordia non contremiscunt, gelidoque sudore occupantur expectantis exitialem istam Epistolarum Exterorum Theologorum farraginem, quam Hichmannus nobis miseris minatur, de quibus illi scil. Synodicis Presbyteriani Schismatis nebulonibus gratulantur, de opera fortiter navata Episcoporum ordinem excindendo? Credo tamen post maturiora consilia, tutius & præstabilius ipsi videri nominibus eorum parcere, quos tam proclive nobis sit aspernari, quàm ipsi prodere: quosque istius impiæ contesserationis cum hominibus ex civili sanguine & fœdissimo schismate concretis, vix satis pudere posset, siquam habuerunt. Fertur autem nonnullos blanditiis & piis mendaciorum fucis eo pellectos fuisse, ut nescii suæ stationis, causæque nostræ, dextras fere darent, & literas communicatorias: quos non dubitem, re jam clarius patefactâ, facti suppudere. Agmen his potius omnibus claudat Presbyteralis Perditionis homuncio ipse Hichmannus nostras, ex iis quos Theodoretus describit, Οἱ μήτε ἐκ γένους, ἢ παιδεύσεως ἢ κατορθωμάτων ἐξ ὧν περιφανεῖς ἔχοντες ἀναφανῆναι, ἐκ πονηρῶν ἐπιτηδευμάτων ἐπίσημοι γενέσθαι φιλονεικοῦσι: i. e. *Qui neque genere, neque eruditione, vel factis claris habentes unde evadant insignes, ex improbis studiis clarescere ambiunt.* Hic inquam quantò eruditione inferior, tantò improbitate cæteris superior, indignatusque Pastorculum se miseri Gregis apud Oxonienses, in ordinem reduci Laicorum, (quem nisi sacrilegâ promotione Presbyterianorum non excesserat) & reddere suo Domino sedes in illa Academia quas iniquè occupaverat, teneretque, in Belgium; Rege Carolo Secundo reduce, transfretavit cum Levissimâ sarcina suorum Adversariorum, quæ corraserat contra

Theodoret. Præfat. in Dialog.

tra Ecclesiam nostram: unde Famoso emisso Libello, quem *Apologiam* pro Suis nuncupavit, nomina scriptáque lancinat Virorum Doctiss. Dom. Joannis Ellis, & Dom. Durelli. Illius, quod præclarè scripserit contra iniquissimos nostros Delatores, ostenderitque Ecclesias Reformatas transmarinas à Nostrâ perparum dissentire, in controversia de Regimine Ecclesiastico, & omnino consentire de Jure Ecclesiæ in rebus Adiaphoris; & demum in iis, quibus à nobis discrepare videntur, non morosius, vel petulantius nos condemnare; quod faciunt domestici Puritani. Quas arundines lateri suo, suæque Fratriæ inhærentes, firmiùs quàm ulla arte (præsertim suâ) excuti facilè possint, videns, viginti opposuit capitula, quibus dissidere à nobis putârit Reformatas alias Ecclesias; quæ sive vera, sive falsa, rem controversam nihil omnino attinebant.

Hujus autem, quòd à recto tramite aliquando cum eo deerrans, docto & sano opere Anglicano, vindicias Ecclesiæ Anglicanæ elucubrarit, contra Synschismaticos, quos experientia docuerat Corybantismos proprios pro verà Religione admirari. Et fortassis (quod ingenuum puderet) eò evasit rabiosior Hichmannus, quòd meminerit quondam Virum illum Cantabrigiæ moribus & studiis suis præfuisse; nempe, antequam levandæ tenuis fortunæ causâ, & stomachi placandi, ab Aula Catharinæ Cantabrigiæ (ubi me quoque Collegam habuit) Oxonium contenderet, & alienis opibus inhiaret, & arte Schismatica *supra multos coætaneos* proficeret. De quo plus satis jam dictum est: præsertim quum justo volumine contemptissimi istius Capitis veternos Eruditissimus Durellus nuper obtriverit, feceritque vanissimum autorem inter pueros immodestiæ & inscitiæ suæ infælicissimum deplorare exitum.

Hh Quum

Quum vero tot nuper, neque jure accersiti, neque injuriâ lacessiti in arenam contra nos descendentes prosilierint maledictis & mendaciis armati, serum admodum videatur, aliquem obviam procedere iis, & veritatem oppressam, Ecclesiamque, erumpente nobis invitis voce, liberare & statuminare. Non minus enim nos Bertium huic Sectæ, quàm Hichmannus nostræ Ecclesiæ Lundorpium, objiciamus; qui de Calvinianis sic scripsit. *Habent autem hoc proprium Calvinista, ut statum in quem irrepserunt, evertant; neque antè ipsi conquiescant, quam rerum potiuntur. Irrisores, turbulenti, factiosi, disputaces, ingrati, arrogantes, supra quàm dici, aut credi possit.* Porro experti sumus, quod olim Erasmus advertit, *In hoc* [inter Pontificios & Reformatos] *dissidio, nullos magis Evangelii successum moratos, quàm qui sibi maximè videntur Evangelici.* Vidimus insuper, quod de Novatianis tradit Cyprianus, quod *Videns diabolus idola derelicta* [Papales superstitiones] *& per nimium credentium populum sedes suas ac templa deserta, excogitavit novam fraudem, & sub ipso Christiani nominis titulo ut fallat incautos, hæreses invenit & schismata, quibus subverteret fidem, scinderet unitatem — Christianos se vocant & ambulantes in tenebris habere se lumen existimant blandiente adversario & fallente.* Hæc ille. Quo pacto autem Puritani, nocte fugatâ Romana, diem Reformationis nostræ claram nubibus suorum Cerebrorum, & motibus diris conturbârunt, simplex hæc rerum ab origine prima repetitarum, narratio, judicum æquorum oculis subjiciet.

Bertius in Orbis Breviario.

Erasmus Detection. Præstig. cujusdam libelli.

Cyprianus de Unit. Eccles.

Reformationem Ecclesiæ Anglicanæ quidam malevoli, ab Henrico Octavo Authore ducunt, Papistæ putà, & Puritani, qui hîc quoque, ut sæpius, eodem contra nos consentiunt errore. Verum equidem est, Jura Imperii Anglicani Paparum sequiorum sacrilegio fere extincta, ad pristinam sedem & vigorem

rem revocasse; & quædam prælibasse (fortasse præter institutum) futuræ Reformationi: Ipse tamen Rex, teste Thoma Moro, in vere Reformatos *plus ipsis Episcopis, qui tunc florebant*, desæviit. Effecit tamen suo jure & autoritate, ut Symbolum Apostolicum, Oratio Dominica, & Decalogus Anglicano idiomate populo evulgarentur, Anno scil. Domini 1536. Anno autem 1540. Preces quædam unà cum Litania de Liturgia Latina traductæ, ejus autoritate Publici fiunt juris; quo tempore Scripturæ Sanctæ Anglicè prodibant; quas tamen paulo pòst, publicato repressit edicto, quæ non nisi Edovardo Regni habenas suscipiente, feliciter sunt redditæ. Hoc autem potissimum auspice, egregii indies progressus sunt facti exterminandis fermento & tyrannide Romanis. Neque tamen tam iniquo & præcipiti zelo negotium Reformandi peractum est (quod Absolutissimam Reformationem nuncupant Puritani) ut protinus deleretur quicquid desiperet Palatis Morosis sciolorum & superstitiosorum, tametsi receptum deductumque à prioribus, purioribusque Ecclesiæ sæculis probaretur. Summarum autem potestatum Jussu, Ordines Ecclesiastici in Castro Windesoriensi concionem habentes, post gravissima & diuturna consilia, de una tam Regiminis quam Religionis formâ concordem sententiam edunt.

Thomas Morus Ep. ad Erasmum.

Ea tempestate Ordo Anglicanæ Ecclesiæ ad Examen denuò revocatur, fatigantibus precibus Importunorum Puritanorum: quorum inquieto Genio nihil solet diu placere, quod Calvinum non olet; nihilque non repurgandum refigendumque contendunt, quod vel non intelligunt, (quod frequenter evenit) vel Plebiscita Ecclesiastica eorum improbent. Et Secunda Forma Liturgica (aliquibus immutatis) vigore Legis Civilis & Synedrii Ecclesiastici sancitur

in Publicum usum; hac tamen justâ Præfatione Authorum, *Alteram nihil mali in se habuisse*, sed spe concordiæ cessum esse curiosis potius, quam sobriis hominum ingeniis. Sed frustra hoc semper tentatum medium adunandi mentes & affectus hujus generis hominum perpetuâ probatum satis superque experientiâ habuimus. Spe enim fortè elati vel damnum Ecclesiæ, vel lucrum faciendi suæ Parti, Rident statim & indignantur eorum abjectos animos & alciosum zelum, qui Semi-reformatam Religionem patienter tolerarent; tanquam Ægypti tenebris adhuc involutos, & Pedem alterum in Babylone habentes: Laodicæni sunt, tepidi Christiani, quos Deus (scil. operâ sacrilega eorum usus) ex ore propediem evomet.

Rege autem Edovardo luctuoso & præmaturo fato perempto, Soror Maria sceptrum capescit, ope potissimùm Suffolciensium, (inquit Foxus) ad quos confugerat à Jana Graia, ducéq; Northumbriæ: quam tamen cum iis prius sanctissimam inierat Stipulationem tuendæ Religionis ab Edovardo inchoatæ, thronum securè adepta, violavit; & dirissimam Persecutionis tempestatem contra cunctos Reformatos coegit; quorum ingentem numerum flammis devorandum tradidit; alios in tetras detrusit custodias; alios bonis omnibus spoliavit, denique alios in exilium ejecit. Ex his vero plerique celeberrimi Argentinæ, alii Francofurti ad Mænum consederunt, alii autem Tigurii, & Genevæ. Qui in formam Ecclesiæ Patriæ primùm coadunati, Diabolo suggerente, post modò nefando Schismate disrupti sunt. Fratres enim Francofurtenses & Genevenses à ritibus Ecclesiæ Anglicanæ ad Genevensium modulos defectionem meditantes, adversus reliquos stomachabantur, quòd mordicus & religiosius Avitos ritus formasque Divini

vini cultûs retinerent. Dehiscente ergo simultate prædicta, statuunt Novatores ut de his litibus Oraculum Genevense, Joannes Calvinus, consuleretur. *Ille deo plenus*, plurima hinc inde prætexens (quâ erat naturali astutiâ) Palmam tandem Francofurtensibus Innovatoribus concedit, ad quos Epistolâ quadam sic scribit. *In Anglicana Liturgiâ qualem describitis, multas video fuisse tolerabiles ineptias. His duobus verbis exprimo non fuisse eam puritatem, quæ optanda fuit, quæ tamen primo statim die corrigi non poterant vitia, cùm nulla subesset manifesta impietas, ferenda ad tempus fuisse.* Quæ satis proterva responsio digna Catone hoc censore, modesta equidem videatur, si expendantur diabolicæ calumniæ quibus Novatores Liturgiam Anglicanam, vertentes, Calvini gratiâ, in Latinam Linguam, prægravassent. Non enim Knoxium & Wittinghamum cum sociis eam Magicorum incantamentorum incusare puduerat, ut facilius iter ad Genevensem Formulam pateret: de qua tamen non mediocris est orta dissensio inter ipsos fraterculos; his per omnia probantibus, illis autem quædam stomachantibus, donec Knoxius propriæ insaniæ quædam isti admiscens, partim minis, partim blandimentis rem componeret. Dum hæc aguntur, Doctor Coxius qui pridem è Sacris Edovardo Regi esset, ab Anglia illuc appellens pulchellam hanc machinam sua doctrina, & exemplo pene subruit, vehementer coarguens hominum levitatem & væsaniam deficientium à Reformatione Anglicanâ. Provocant ergo Puritani ad Theologos ejus temporis Eximios, Petrum Martyrem, Calvinum, Musculum, Bullingerum; & tandem novos sumentes animos, rursum in Democraticam coagmentantur Ecclesiam, & cultum ejusmodi cætui non incongruum.

Calvinus Episto. 200.

Turbæ Francofurtenses, pag. 24.

Exacto tandem quinquennio, obeunti Reginæ Mariæ

riæ successit Elizabetha; cujus piâ autoritate resedit prior tempestas; quando reduces facti Exulantes Angli, pessima lue reformandi laborantes, morbi sui virus in pectora nostrorum instillârunt: quod vehementer excrevit placidâ istâ indulgentiâ, quâ Londini præcipuè excepit, & fere dixerim, fovit, transmarinæ Reformationis Theologos quosdam, & plebeios, *Bona nostras Dido Regina*. Quæ si *quietas sedes* iis solummodo dederat, melius, & multò fælicius nostræ terræ & Religioni fuisset: templi autem beneficium eâ permittente, crevit quotidie superstitio, & adolevit eò Factio Presbyteralis, quoad uterum maternum (quod ferunt de viperis) dilaceraret. Turpius autem Grindallus Episcopus Londinensis erravit in eodem negotio; qui Calvini delenitus Literis, Gallis Genevensibus alteram Ecclesiam indulsit. Malo denique accessit inopia, qua tum temporis laborabat nostra Ecclesia recens instaurata, legitimorum Presbyterorum; & pestis paulo antè in beneficiarios multos grassans: unde factum ut morbidiora membra accerserentur in Ministerium, vel saltem non repellerentur, quod alioquin par esset.

Præter enim rei novitatem quâ populus incenditur, habuit hæc superstitio non temnenda hæc motiva ad vulgus illecebrandum. Viliori namque multò cœlum ibi, quam apud nos venit: Religionisque negotium fide solâ conficitur: Si verò acrius hîc hos Ministros urseris, respondent statim, *Sola quidem fide nos Justificari, non solitariâ*; pueriliter, & sine causâ quæ sunt eadem, distinguentes. Nec tamen negant Ornatûs quidem causâ Lemniscatam esse oportere fidem bonis operibus; ut ostendatur Fide te esse solâ justificatum. Præterea, docentur homines suæ communionis rectà, & simpliciter ad Christum cælumque tendere, nullâ cæremoniarum Rituúmve ambage, aut

Iam antea p. 87. tam humaniter locutus est a conventicula

aut mæandris, aut exercitiorum piorum, quibus Veteres Sancti se inaniter, (si ipsis credas) excruciarunt. Fugiendam ergo corporis qualemcunque castigationem, Ciborum delectum tollendum docent, non servatâ distinctione sanissimâ quidem Sancti Augustini, viz. *Concupiscentiæ coercendæ gratiâ, non vitandæ immunditiæ, vel Judaizantis Conscientiæ.* Quadragesimale jejunium variis, iisque plerunque contrariis telis impugnant. Nunc enim Levius quàm sua dignum sit operâ, prædicant esse; quod scil. non simpliciter præcipiatur agi jejunium; nunc autem Gravius asserunt, & æquo productius, mutante naturâ rerum, & corporibus nostris quasi denuo renascentibus. Præterea, dies Festos omnes auferunt, & Hebdomadaria Jejunia. Rationem petis? Papistis in usu sunt. Ergo, &c. Ecclesias autem nefas ingredi nisi monitu Campanæ Sermocinatio adesse noscatur. Orare, adorare incurvando, assurgendo, Genuflectendo, pene nefas ducitur. Spiritu enim, non corpore Deus colitur: Spiritus autem *genua non habent*: Nec ora quidem: & propterea, nescio an justiore de causa supervacuum esse existimant quempiam Sacerdoti pias reddere vices, pro Veterum ritu optimo, satis se munere piorum perfunctos rati, si orationes Ministri nudo & frigido *Amen* claudant. Quantò autem quis plures sermones audierit, tanto sanctiorem se habendum somniat, non minore argumento quàm qui apud Romanenses plurima *Ave Maria*, *Pater Noster*, vel *Credo*, Rosariorum calculis dinumerat. Accedat denique, totum coagmentum Disciplinæ præ se ferre speciem clariorem Aristocraticæ Politiæ, quam populus consuevit cæcè & impotenter adamare, tam in Ecclesiâ quàm Republica; spe elatus quòd quisque, si non ascenderit ad fasces, tamen Chirotoniâ ministrorum, regiminis aliquo modo sit par-

Augustinus de Moribus Manichæ. lib. 2. cap. 16.

participeps. Tunc autem ſpecillis Calvini & Bezæ adjuti homines, cœlum ſe contueri in terris ſitum nequaquam dubitant; vel Novam Hieruſalem Apocalypticam revelari cœlitus delapſam; devocante etiam Joanne Knoxio, & in Scotia conſtituente.

Erat quidem homo ille non indoctus, animo autem ſupra ſortem, aut munus excelſo, genio inquietiſſimo, ingenio tumultuoſiſſimo, ſcriptis ſeditionem & ſanguinem ſpirantibus; ſicuti ſatis eſt manifeſtum ex Libello cui Inſcripſit, *Primæ Tubæ Sonitus*: in quo, ut viam ſterneret Reformationi quam parturiebat, jus evertit Fœminarum ad ſceptra regenda: & de nomine contra tres Marias, Angliæ ſcil. Reginam, Scotiæ Reginam, & Lotharingiæ Ducissam, apertè debacchatus eſt; propter quod ab Argentinenſi Senatu expulſus eſt è Civitate iſta. Huic alium Libellum addit idem Reformator, quem *Admonitionem Christianam* nuncupavit, qua Sereniſſimum Imperatorem Carolum quintum, Nerone fecit pejorem, & Mariam Angliæ Reginam Jeſabele ſpurciſſimâ illa fæmina nihilo præſtantiorem. Poſtea verò in Scotiam proprium ſolum remeans, ſuccendentibus Ἐργοδιώκταις Calvino & Beza, Regnum iſtud in Latrocinium ſua religione convertit. Sui præterea Spiritus Sulphurei egregium coram Rege ipſo Mariæ Reginæ conjuge, ſpecimen dedit: quando Bonus Rex credens Knoxii in eum ardorem leniri forte poſſe ſi Concionanti ei adeſſet; contrarium incredibili patientia expertus eſt, tulitque. Knoxius enim pro conſueta παῤῥησίᾳ Regem conſpicatus, continuò ore hiante in eum, ut Tigrides in prædam grandiorem, inſilit. Corruptiſſimam Regni adminiſtrationem acerbiſſimis contumeliis inſectatur, per Reges ſceleſtos, miſſos, ſeu permiſſos à Deo, ut totidem Cruces & flagella, ob Populi peccata; addens quoque, Populum nunquam

gravius

gravius à Deo punitum, quàm Pueris & Fæminis ad Thronum evectis : Erat autem Princeps Fæmina, Maritusque ejus Adolescentior. Omnibus autem ibi conflagrantibus, subito orta est Phœnix Genevensis, quæ vix à nido, remigio alarum sublata, cœlum ipsum suâ petebat stultitiâ : gloriata scil. non aliundè suam originem duxisse quàm ab ipso Deo : & propterea mortale omne despectans, oportere docuit omnes colla imperio suo plane divino subjicere ; nisi Christum ipsum ejicerent, vel ad se accedentem amandarent.

Non ignoro Buchananum, aliosque ejus sequaces, si non laudent, saltem colorare hæc solere facinora ; quòd Regina Maria Fœdifraga, superstitiosa, & innumeris vitiis sceleribusque infamis esset, quorum fides apud rerum istorum temporum peritos sit. Rex tamen Jacobus testis exceptione major, solitus est affirmare, audivisse se Buchananum mendaciorum istorum Hamaxiarium, pœnitentiam expressis verbis agentem, paulo ante obitum, propter horrendas fabulas à se confictas in perniciem nominis & vitæ Reginæ Mariæ, & præsertim, quòd cum Bothwello Comite consciam patrati Parricidii in Maritum fuisse scripserat. Dicendum tamen puto, Non propterea à subditis Regni Ordines inter se committendos, jura turbanda, cædeque & sanguine omnia miscenda & fœdanda, aut demum Reginam ipsam in fugam inhonestissimam compellendam ; unde primùm custodiæ arctæ, dein Neci inauditæ via aperiretur ; & Bipedum nequissimus Miltonus pulcherrimum nancisceretur exemplum parricidium Caroli Beatissimi piis, imo humanis auribus horrendum, Apologiâ tali monstro dignâ defendendi. Stupidus enim hic Mastigia incredibili cæcaque suæ, quam solus omnium mortalium ipse vidit, Præstantiæ opinione efferatus,

nesciensque quo pacto se futuris sæculis prædicaret aliquando vixisse, Pedagogicum pugionem strinxit in Regis illius nomen; haud dormitante tamen ultione divina quæ prius rabie mentis occæcatum, paulo post omni oculorum usu privavit, & vitam infælicissimam ducere Tenebrionem fecit. Qui enim, malo dæmonio prius instigante, propriam domo suâ bene moratam uxorem ejecerat, quæreretque superinducere aliam turpitudinis suæ explendæ causâ, & proinde diris se devoveret si priorem unquam reduceret; eandem tandem post vana aucupia Libidini suæ (nullam inveniens quæ tam impuris esset ac ipse, moribus) admisit; siquis alius, dignè ejusmodi provinciam procuret. Iste ergo primò futilissimo scripto adversus Episcopale Regimen, dein contra insolubile nuptiarum vinculum, pro divortio arbitrario decertans; coronidem impietati ut imponeret suæ, virus putidi sui pectoris egurgitavit contra Carolum Martyrem, & à facto Reformantium Scotorum istud Perduellium nostrorum exornavit. In hoc enim Vir Clariss. Salmasius proculdubio erravit, respondens Miltono, & Falsum esse dicens, *quod exuta regno fuit Maria, cùm illa se sponte abdicavit imperio, imparem se fassa tanto oneri.* Omnium enim historiarum fide fit testatissimum, secessisse quidem illam à Regno, sed invitam; & primò è Custodia compositâ arte elapsam, quâ propria terrâ à suis concludebatur, dein prælio commisso cum adversa Factione Nobilium superatam, & tandem conterritam effugisse in Angliam, tristissimo eam è tergo perurgente fato.

Salmasius advers. Milton. Respo pa.70.

His tam prosperis sceleribus nostri exciti primum Libellos seditionem, Schisma, & Reformationem Presbyterianam spirantes edunt, cùm adversus Regem, tum Ecclesiæ Præpositos; Item Remonstrationibus, Petitionibus, Admonitionibus tam Illam, quam

quam Parlamenta singula fatigant: quibus ad mentem minimè succedentibus, apertis mendaciis & maledictis linguas exerunt in utramque potestatem. Et quo altius radices agant venenati ipsorum sermones, cæperunt tunc de Natura & Ortu Potestatis Civilis & Ecclesiasticæ impudenter & indoctissimè philosophari. Principiò itaque dubium & indifferens posuerunt quâ formâ, vel quibus Gubernatoribus, Hæc vel Illa terra administraretur. Hinc procedunt fontem omnis Civilis Autoritatis Populum constituere, ab illoque ad Principes derivari docere. Proximè, Posse, & debere revocari quandocunque se malè gesserint; Denique, Malè se gerere quando secus quam Pauculi, phanatici, & præcipites Novatores optent, fecerint; neque ipsis importuno rogatu aures Principum pulsantibus indultum fuerit. Tum enim oportere scriptitant Inferiores Magistratus, Summos in ordinem cogere: Quodsi verò & Ipsi minus ad animum horum, hoc suo officio defungantur, populum tum resorbentem potestatem quam prius eructârant, Principesque delinxerant, summum omnium rerum arbitrium indubio jure retinere. Hujusmodi Dogmatis Calvini, Bezæ, Knoxii, Cartwrighti, Hendersoni, & reliquorum Puritanorum Libelli scaturiunt; an præeuntibus, aut sequentibus Jesuitis, difficile est dictu; certè (maximo omnium ordinum discrimine) consentientibus, & defendentibus. Magno suo Grotio nimis favente; & in ipsis principiis sui Libri Juris Belli & Pacis crasse errante.

Calvinus Institut. lib. 4. c. 10. Beza Episto. 24.

Longius esset ab instituto nostro vagari hoc monstrum dignis telis confodere: Nequeam tamen mihi temperare, quin rogem ex iis, ut vel unum Statum (ut loquuntur) aut Rempublicam, post sexies fere mille annos ab orbe Condito, hoc modo fundatum fuisse, doceant. Multas nationes, varias formas

Regiminum finxisse sibi, quisque non planè cæcus conspexerit: De jure autem, & ipso facto, multa & ardua occurrunt. De facto, quoniam, utcunque conspiratum est in formam novam, universos, & singulos suo suffragio hoc probasse, aut expetisse, dedemonstrare planè impossibile: quinimo, plusquam probabile sit reperiri complures in tali multitudine refragantes. Ergo de facto, populus nunquam sibi Principes, vel Ordines Aristocraticos constituit. Si hic (quod vulgo fit) ingeratur; Non esse expectandum adsensum totius populi, qui rarò aut nunquam in idem expressim potest convenire; sed pauciores, numero majori cedere, æquum esse; ordinis & necessitatis gratiâ; omnino & precaria, & pariter falsa est hæc omnium fundatissima ratio, nisi sponte, & non invitò Dissentientes hoc fecerint. Ad necessitatem enim facile respondetur; Illam, quum nulla sit, vel naturâ, vel ratione rectâ, potius damnandam quam sequendam; siquidem Naturâ dicuntur ab his Politicis, Liberi omnes homines; Nefas autem, non justa necessitas erit, illud quod natura nobis indulsit, alienare aut prodigere: ergo posito quòd ab ipsa natura singuli hausimus Libertatem, & potestatem Civiles, eas à propria sede, quâ à Deo, natura mediante, positæ sunt, evellere, & in aliam transfundere, iniquum plane esset. Dicentes præterea, *Ita convenire commodioris Administrationis ergô*; Dispositionem & sapientiam divinas, vel nescientes, vel impudentes, plusquam humani erroris, quas fingunt tali humanum genus conditione ordinasse, ut nequeat, eâ manente & valente, vel conservari, vel dirigi ad ultimum Sociandi finem, accusant: Mihi ergo hinc certissimâ demonstratione liquet, merum esse somnium sacrilegum perditorum quorundam ingeniorum, tale jus populo asserere, aut suspicari inesse, quod non

à

à Parente Patriæ ipsi primum est derivatum. Nec tamen nescio, sæpius contingere jus Regnandi vel deleri penitus, vel inconspicuum ita esse, ut necessario fluctuet perplexus populus, cui obsequium deferat, jure naturali. Tum verò fatendum quidem ad eum spectare, Aliquem quidem eligere, cui Clavus Imperii committatur; Negandum nihilominus est, *Creatum*, aut *simpliciter constitutum* Principem; aut potestatem aliquam à populo dimanasse; tantùm enim Personam Potestati Patriæ commendant, quam Summus rerum Arbiter jure divino tenet. Posse quidem, & creberrimo usu venire, sat scio populum isto Casu plenius, vel parcius tradere solere potestatem, & abradere pro libitu; at hoc, ullo jure, & non sacrilego potius pacto facere, pernego. Sed unde deflexímus, redeundum.

Frustra se hactenus minisque precibusque egisse cum Reginâ & Parlamentis Puritani reputantes, ratique non esse amplius expectandum summarum Potestatum adsensum, qui (Hendersono nuper affirmante) negatus, est Lucrum cessans, non damnum emergens, enixam navant operam privatis artibus sensim efficere, quod publicè & integrè vetabatur. Suorum ergo conciliabula clàm indicunt, quibus parum amicis contentionibus quærunt, & multa ultro citroque agitant de Reformatione, fere in nulla re unanimes, nisi omnino solvendam Ecclesiæ Anglicanæ compagem, Episcopos elimandos, Avitas Cæremonias, & Ritus Catholicos abolendos: De Natura autem, partibus, administratoribus, circumstantiis, & ornatu suæ adhuc Informis Formulæ, concordia nulla. Alii enim Laico-presbyteros Jure Divino Ecclesiæ datos contendunt: Alii verò pio & prudenti hominum consilio solummodo institutos. Alii rursum, externam nobiscum communionem tenendam, vel simulandam

Henderson. Epist. ad Carol. I.

mulandam ſaltem, putârunt (quod hodie quoque magno plauſu excipitur à Presbyterianis;) Alii verò haud aliter quàm Synagogam Satanæ fugiendam, & deteſtandam: Porro, Alii Formam Genevenſem omni ex parte beatam, integrè & immutatò recipiendam; alii rudiorem, & cui addi detrahique oporteret, credebant. Alii denique popularis ſuffragii pondus accedere oportere Eccleſiaſticorum conſultis, tradebant, (quod Francofurtenſes fecerunt;) aliis autem diſplicuit vehementer. Hoc autem modo, inſtar Hæreticorum apud Iſidorum Hiſpalenſem, "Viciſſim ſe mutuo lacerant, quando alterutrum ſe in "proprias Sectas inducunt, & ſic invicem ſe collidunt, ut contra Eccleſiam pari erroris ſpiritu decertent, & invicem diviſi, in diverſitate Eccleſiæ "multùm exiſtant uniti. Neque tam ſobriè, ut Judæi olim, ſapuerunt, de quibus Joſephus; qui Herodi pollicenti longè Auguſtius templum quàm colerent, nequaquam adſenſerunt, priuſquam magnificos aſpicerent oculis apparatus in procinctu, ad ampliandum ornandumque Novum: ſed prius iſti noſtræ bene fundatæ demoliendæ Eccleſiæ toti incumbunt invigilantque, quàm quid loco ejus extruatur, conveniat.

Iſidorus Hiſpal. Sent. lib.1. cap.19.

Qui multifidus Spiritus diſcordiſſimorum fraterculorum poſtea diſciplinariam penitus alliſit Machinam, & artifices, & iſtis & poſteris temporibus deridendos propinavit. Querelis enim perpetuis Reginam inceſſentes adverſus conſtitutam Eccleſiæ Formam, tandem ſapientiſſimi Burleighi Conſiliarii dimiſſi ſunt, ſpe refigendi recepta, ſi prius in novum Regimen, & Liturgiam inter ſe concordatum eſſet. Multis ergo conſiliis, conatibus variis adhibitis deformant effectum quendam ſuorum cerebrorum: qui tamen examini & judicio reliquorum Fratrum oblatus,

tus, innumeris confixus Obeliscis decessit; Quæ ipsæ emendationes mox & alteri fratrum Gregi displicuerunt, & sæpius repetitæ ceciderunt civilibus discordiis; ita ut nemo non mirari desinat eos, qui facilè à se invicem disjunguntur, multò in nos infensiores & iniquiores animosissimè se à nobis separare.

Convenit tamen aliquo tandem impolito modo à Fratribus per idem tempus in villa dictâ Wandsworth, paucis milliaribus è Londino dissitâ: Ibi Disciplina incultior & immaturior clanculum cæpit delambi: quo ad virum Clarissimum delato Hattonum Cancellarium; diligens, & severa facta est inquisitio in consilia moresque fratrum; illicoque totus impetigosus iste Grex cum Pastorculis dissipatus. Unde vehementer efferatus Burchettus frater scilicet, & novus Scævola juravit in interitum Illustrissimi Cancellarii; ratusque se occasionem opportunam nactum, ruit gladiolo in Virum famæ immensæ propter orbem terrarum tractu navis suæ cinctum, Dominum Hawkinsium, quem per errorem credebat fuisse Hattonum Cancellarium, Porsennam alterum Disciplinæ exasciatæ; & lethaliter confodit: tam columbini sunt Puritanorum mores, quando Disciplinæ causa spiritu reformatorio æstuant.

Postquam vero Lucifugorum horum innotuerant consilia, in dicam vocati, Loco *Cameræ Stellatæ* vulgò dicto, & protervè admodum respondentes, suamque superstitionem defendentes, carceri sunt traditi; renuentes propositis Quæsitis respondere, causati scil. contra Libertatem Subditorum esse, seipsos accusando prodere: Quo autem corpora angustioribus gyris detinerentur, eò Liberiores Linguas exercuerunt, plaustraque conviciorum & mendaciorum contra Adversarios, præsertim Episcopos exonerârunt; qui tot tantæque pietatis Evangelicos ministros, zelo

puræ

puræ Religionis præclaros divexarent. Præterea, Jejunia, & Stationes (si placet) clancularlæ passim ordinantur à Liberis Fratricellis, ad amovendam hanc persecutionem. In quibus tantopere profecerunt, ut subitò tres Prophetæ, seu fortè Pastores extraordinarii divino œstro tacti exurrexerint, viz. Edmundus Copingerus, Henricus Arthingtonus, & Guilielmus Hackettus, qui Laboranti jam Causæ obstetricarentur. Et nequid Deo inconsulto, aut non rogato tentare videantur, repetuntur ardentius preces conventuales & jejunia; quibus peractis, incredibile quantam Spiritûs Divini copiam perceperunt dicti prophetæ, ut Comites Christi in Regno suo jamjam descensuro, haberentur, & supra Reges terræ attollerentur.

Hac dementiâ princeps malorum Hackettus raptus, in apertam rebellionem adversus Reginam prosiliit cum Sociis: Statim autem captus & in furcam tractus pro throno Evangelico, post vanas imprecationes Divini Numinis, & horrendas in Deum blasphemias egestas, ad Inferos extinctus descendit. Prorex autem ejus Coppingerus Regem suum tam tristi, & justâ nece videns interemptum, finivit vitam inedia spontaneâ; vel revera mente captus, vel insaniam (quod suspicati sunt nonnulli) fingens. Arthingtonus autem ad sanitatem luctuoso exemplo suorum rediens, clementiâ Reginæ decreto supplicio liberatus est.

Hîc verò excandescentes Presbyterianos audire mihi visus sum, quod Phanaticorum horum scelera, quæ & ipsi execrantur, suæ parti quovis modo deputantur. Et rectè quidem. Quotus enim quisque est qui improsperum scelus à se non amoliatur? Dicant autem sincerè & rotundè, quibus auspiciis hæc sunt concepta & inchoata mala, si non suis? Quibus mediis

mediis provecta? Cuique fini sunt primùm destinata; & Quibus argumentis comprobata? Annon eodem planè Spiritu excitati, & consiliis juncti; & eorum scriptis edocti sunt? Furore autem horum omnem transiliente limitem humani & divini Juris, verum equidem est, Presbyterianos subduxisse se astutè tam fœdis Apostatis, imo leviter increpasse; nequaquam tamen, conscii quum essent perversissimorum morum, ulcus ipsum Magistratibus aperuisse, sed molli potius reprehensione Frigidam suffudisse, non quod tam enormibus maleficiis faverent, sed quòd probabili oscino, malas has Ecclesiæ Anglicanæ aves aliquid suæ Perditioni boni prænunciare, sperarent.

Neque horum enim infortunio animis conciderunt Puritanorum reliquiæ; sed latebris suis delitescentes, cœtus celebrant; Fœtum adhuc informem crebris consiliis lingunt, Classes disponunt, Ministrellos sacrilegâ manuum impositione, suo more & ingenio ordinant, vigente interea temporis & florente Episcoporum tam divinâ quam humana Authoritate. Valde tamen consiliis & animis turbantur præsentientes irritos omnino suos fore conatus virtute tam Legum Civilium quam Ecclesiasticarum, quibus omne iter ad beneficiorum possessionem iis intercluditur qui Episcopali potestate non ordinantur & Instituuntur. Orco tunc pejus oderant Episcopales omnes Chirotonias, ut prophanas. Post varia ergo & divisa huc illuc consilia nodum aliter indissolubilem dissecant; statuuntque (quoniam invicta necessitas urgeret) licere suis pupillis ad Episcopos Chirotoniæ & Institutionis causâ ire. Ne verò prophanarentur suæ Impositiones manuum, definiunt impudentissimè unà & stultissimè, nullam omnino Episcopalis esse virtutem Chirotoniæ, si religio spectetur, sed tantummodo

Civilem quendam actum sine quo noverant inconcessum suis antea omni Ecclesiastica potestate à Presbyterio (si placet) instructis uberrimè, officium exequi. Neque aliam modò viam incedunt hodie, specimen modestiæ maximum hominibus incautioribus exhibentes, & modestiæ gloriam aucupantes.

Vide *Dangerous Positions*, pag. 113.

Dei tamen singulari beneficio, & fortitudine brachii tam Civilis quàm Spiritualis, lugentes Puritani, Fœtum, quem parturiebant, ipso utero præfocatum, animos dejectos spe luculentâ è Scotia suboriente, refocillant. Subit enim ipsis Rex Jacobus Reginæ inflexæ Elizabethæ vicinæ capulo propediem dandus Successor: qui à Georgio Buchanano præceptore inter Puritanos summæ notæ, Presbyterianis præceptis bene potus, labascenti Causæ humeros supponeret. Nequid ergo segniter agatur, Clavulares alunt, quibus acceptâ primùm Reginæ morte pernice cursu in Scotiam contenderent (quâ est illa Factio in futurum Principem semper præcoce pietate, in præsentem verum frigidâ & molestâ) prima nuncia lætaque ferentes, & Regem salutando cæteros antevertentes; Quam gratiam ineuntes, subjungunt preces supplices in gratiam Reformationis Purissimæ, quam tot tantique pietate insignes tam ardenter expetebant. Quale autem tulerunt responsum, obscurum mihi est. Hos autem paulo seriùs insecutus est nuncius expeditus ab Archiepiscopo Cantuariensi, qui post debitum obsequium, Regem fecit certiorem Periclitantis Ecclesiæ Anglicanæ, rogavitque humillimè, ne sineret consuetâ suorum Majorum Clientelâ destitui. Schismatici autem vix bene in Angliam efferenti pedem Regi, catervatim occurrunt iteratis supplicationibus: Annoque Domini 1603. Libellum ipsi exhibent nuncupatum, *Submissa Petitio Ministrorum Ecclesiæ Anglicanæ*, &c. & ut fortius & fælicius procedatur, Mille

Mille Supplices venditant, ad quatuor Capita omnia sua gravamina & Ecclesiæ vitia cogentes. Primum de Liturgia Ecclesiæ, Secundum de Ministris, Tertium De Beneficiis, Quartum De Disciplina agebat. Quibus Academiæ Cantabrigiæ compertis, publica Concione decretum est ut quicunque vel adversus Doctrinam vel Ecclesiæ regimen, vel denique Ritus Ecclesiasticos quidquam auderet, ipso facto omni suscepto gradu excideret, & suscipiendo in futurum præcluderetur. Nec minus sui officii memor Academia Oxoniensis sub eodem tempore edito scripto singulas Puritanorum querelas & Cavilla diluit.

Fracti, non victi his telis Puritani, nesciique Juri, Rationi, aut Religioni cedere, clancularios instaurunt cœtus, aliaque media tentant, quæ tamen Jacobus Rex statim decreto in contrarium promulgato dissipavit; pollicitus justo & amico colloquio propediem habendo, in Ædibus suis Hamptoniensibus, gravamina quæ obtendebant singula expendenda. Convenit Pars Puritanorum, & Ecclesiastici Doctores. Quæ verò inibi dicta gestaque sunt, brevis eâ de re contexta historia complectitur; ad quam Lectorem rejicio: Verum equidem est istâ maxime uri Sectarios: Ad consueta ergo & misera Asyla confugiunt, eandem, unà cum Colloquio ipso, infamandi mendacibus accusationibus; rumorem inter suos serentes, Iniquis conditionibus ipsos ad Collationem accersitos, asperius quam par esset ibi tractatos; Scripti istius authorem plus æquo in partes Episcoporum inclinatum fuisse; merita Fratrum præsertim Clarissimi Renoldi infuscasse, quem descendentem in arenam contra Episcopos cecidisse, credibile Puritanis non videtur. Et tamen Renoldus ante initum certamen publicè est professus omnino invitum se in li-

tem istam invidiosam perductum, & vix ex animo disputasse; teste Eruditissimo Krackenthorpo. Quod si verò malè sint ibi recitata Puritanorum argumenta, quare post tot elapsos annos fortius ipsi non instituerunt rationes suas, sed eâdem Chordâ cavilla texendo oberrare coguntur, aurésque nostras ad surditatem usque iis pulsare? Fortassis se rectius querantur Majestate & Autoritate obrutos Regis Jacobi, qui fere suo Marte, solusque contra ipsos pugnam sustinuit, & triumphavit de iis.

Krackenthorpus Defens. Eccles. Ang. adversus Spalatens.

Postquam verò cuncta hactenus secus quam efflictim peterent, & expectarent, accidisse dolenti animo perspicerent, consilia cum fortunâ mutant, & per ambagem astutam tectius & speciosius rem aggrediuntur. Patiuntur scil. boni hi post tot irritos conatus æstum manifestum Reformandi aliquantisper deferbere: pristinaque dissimulatâ solicitudine, nova se graviter affici fingunt; mordacibusque susurris adversus Politicam Administrationem in vulgus disseminatis. Optimas enim Leges à Pessimis quibusvis impunè violari, Libertatem, Peculium, & Immunitates populi Majorum prudentissimis consiliis, & virtute parta ubique peti, Lugent: homines proinde nequam ad summos evehi honores, & autoritatem, Superstitionem Romanam olentes Regi ipsi è Secretioribus, & Sacratioribus esse, viros: è contrà, cordatos, sanctósque temni, Ministros Evangelicos fidelissimos, & diligentissimos levissimas ob causas puniri, viz. quòd Ritus singulos non colerent Ecclesiæ, asserunt. Addunt autem deinceps ipsos se nihil prius habere in votis, aut contendere enixius, quàm Regem prosperrimè imperare, Regnum florere, & Leges justissimas nativo gaudere vigore; in Ecclesia autem Scripturas solas regnare, humanis inventis exterminatis.

Hujusmodi

Hujusmodi splendidis mellitisque præstigiis credi vix possit quam tacito subitoque illapsu se compluri-um bonorum etiam mentibus insinuarent, & dente pestifero instar canum rabidorum morbi sui tabem in sanos & sinceros transfunderent. Juvit malum (uti incendia fures) bellum eâ tempestate Germaniam grassans; eoque vastatus ereptusque armis Palatinatus, Generi Regis Jacobi dominium. Hinc expergiscuntur omnium primi & ardentissimi Justitiæ simul & Religionis Labascentium vindices hi novi; Turpe & iniquum clamitantes esse, totique Britanniæ inhonestum, Filiam unicam, Rege Patre inspectante, cum Conjuge Palatino, Religione Reformatissima, & terris amplissimis furori & deprædationibus Hispanorum tradendam: Arma ergo; Arma subitò arripienda, & bellum indicendum Hispanicæ Genti, vociferantur. Regi autem, cui eadem non erat hâc in parte cum Puritanis aut Jesuitis religio, quæ quovis modo, quovis jure, aut injuriâ suadet ut suppetiæ ferantur fratribus quocunque malo laborantibus, ut calcato recto & æquo suam superstitionem tueantur, & protrudant, toto Tragædiæ ordine comperto optimè, parumque probato, placuit potius quid pacificis negotiationibus potuit prius experiri, quam armis; adeoque quòd literis, potius quam armis natus videretur. Spe tamen omni sublatâ concordiæ, ad bellum accingitur, jam Lethali morbo decumbens.

Ruente autem fortissima hac Ecclesiæ Columna, (ut ad Ecclesiastica me conferam) Optimus & Reverendissimus Episcopus Wintoniensis Lancellottus Andræus, Lumen Ecclesiæ nostræ, zelo tanto viro digno motus Archiepiscopum Eboracensem D. Nele, Reverendum admodum Episcopum Laud, Pòst, Primatem Cantuariensem, in Ædes suas in Vico South-

wark trans Tamesim sitas, accedere amicè fecit; conciliique capiendi causâ de Religione inter Papistas & Puritanos periclitanti. Opinio etiam quorundam insederat terrueratque mentes, Principem Carolum jam Regni gubernaculum tractaturum, ex quo ab Hispania reverteretur, superstitionis Romanæ non nihil prægustasse: Aliis è contra suspicio erat Puritanis fore faventiorem. Quapropter Virum præstantissimum eique in Hispaniam iter suscipienti Theologum Laterensem D. Matthæum Wren, postea Episcopum Herefordensem, dein Norvicensem, postremò autem Eliensem, cui Principis Genius & Ingenium erant exploratissima, multis nominibus Episcopo Wintoniensi devinctum, & præcipuè quòd ejus auspiciis stadium Literarum in Cantabrigiensi Academia percurrerat fœlicissimè, accersi ad ipsos, curant: Justas autem primò excusationes mittentem, secundò vocant. Nescius autem tantis viris morem non gerere, dimissâ Cautione quam Veredario dederat propter currûs beneficium versus Cantabrigiam, ipsos adit; invenitque secretiore Adyto inclusos; quem ingressum sic orsus Archiepiscopus alloquitur. Non te latet Domine, quot quantisque malis confligitur Ecclesia nostra, Papistis hinc, illinc Puritanis ei insidiantibus, & quomodo Rege animam mox exhalaturo, nutare ipsa in ruinam videatur, ut Fulcro firmissimo sublato. Quoniam verò vita, mores & Fides Caroli sunt tibi perspectissima, edas quæsumus, apertè, quæ tua sit de ipso sententia, qualemque speremus Religionis Patronum. Cui Hic statim respondens, ait, Non malè auguramini arbitrantes mihi undequaque notum Dominum meum Carolum, jugi consuetudine perdoctum. Ad Religionem ergo quod attinet, certus scio, ipsum pejus Pontificios errores odisse jam Reducem, quàm quum hinc solveret;

nec

nec Puritanorum superstitiosas affanias minus detestari; Credo insuper fide pura præditum, virtute invictâ, moribus sanissimis, & animo fortissimo ad omnes omnium hostium impetus sustinendos, & restinguendos furores. Hoc parco (si causam spectaveris) Elogio accepto, mirum in modum recreati lætique fiunt Patrum animi. Wintoniensis autem Episcopus vates (ut videtur) verissimus, defixo paululum vultu, & quasi interiorem in sedem suæ mentis receptus, spiritu mæstissimo; voceque præsaga futuræ tragediæ hoc modo tandem abrupit silentium, Proh Principum infælicissimum! hominum calamitosissimum! Exhorresco cogitans, Contremisco referens, quam dira infortunia hanc sanctam animi constantiam manent! Sectarii enim Ipsi Sceptrum extorquebunt, Regalibus spoliabunt, Imperio depellent, Vitam, Vitam inquam ipsius appetent: nec mitius tecum agent (conversus ad D. Laud Episcopum Sancti Davidis eo tempore dixit etiam) Tu verò ipse (Do. Wren intuitus) nequaquam impunis evades, sed libertatis si non ipsius vitæ tristissimam patieris jacturam. Quæ omnia Episcopum spiritu Prophetico afflatum prænunciasse manifestus rerum exitus, quem paucis subtexere statui, satis confirmabit.

Jacobo enim Patri Carolus succedens, & curam belli jam incæpti agens, Celeberrima totius Regni Comitia indicit. Quibus quantò quisque Puritanis esset addictior, tanto vehementior erat incendendo Regis animo contra Hispanos, proque Palatinatu vindicando & Reformata (uti aiebant) Religione propagandâ. Nequid autem expeditionem demoretur, in gremium Regis effusuros se gazas magnas pollicentur. Flectitur tandem Regis animus: terra marique omnia ad bellum instruuntur: quorum levandis sumptibus quum vis magna illa nummorum

pete-

peteretur, effecit dolosissima factio ut non simpliciter revocarentur Promissa (quod honestius esset) sed turpem subinferentes conditionem, statuunt ut prius tollerentur Gravamina Gentis, quàm nummi isti in Regis concederent Fiscum; suspicati scil. quod res esset, belli angustiis & difficultatibus Regem oppressum, Regalium suorum & Religionis nundinatione, pecuniam cogi acceptare.

Quid verò hic novantes Fratres? Optimum scil. calumniarum solum vertunt, excoluntque: & tanquam plusquam terrena Numina in recessus, non solùm externorum actuum (qui tamen secretissimi esse solent & paucis communicati) sed Cordis quoque Regis, cogitationes inspiciunt, examinant, & quæ fuerunt, & quæ non fuerunt, Ipsi judicant, & pro vero vulgant. Aiunt enim, *Nullo animo nocendi Hispanis bellum hoc fuisse susceptum, sed suis potius:* quod, inquiunt, *tarda molimina probarunt; & pacta inhonestissimæ Pacis secutæ. In animo autem reipsa Regi fuisse potiùs experiri quàm patiens belli vulgus esset, & collectorum militum, paratumque bella gerere ad nutum nocentissimæ Curiæ.* Hæc omnia & plura ejusmodi egregius quidem Nebulo Spiritu Puritanismi totus actus, Ad Lectorem ante Seditiosam Knoxii Historiam Scoticæ Reformationis, à se in usum Rebellantium noviter in Anglia vulgatam. Anno scil. Domini 1644.

Hoc summâ prudentia & animi fortitudine, quum Rex vicisset malum, denuo repetunt osores Patriæ Religionis, bello paulo pòst cum Gallis commisso: Post tamen longa tædia, Auræi montes promissi in tuberculum subsidunt, & perridicula quædam Subsidia præstantur, non quæ Causæ sufficiant, sed quæ in Regii nominis immortalem jacturam cederent, & totius moliminis bellici improsperum exitum. Tametsi enim Rex meritò rejectis iniquissimis pecuniæ habendæ

habendæ conditionibus, proprias terras Civitati Londinensi oppignoraret propter Quadraginta millia Librarum Sterlinarum mutuò acceptarum, Classis adornandæ causâ; tam ægrè & tardè tamen est instructa, ut vix, aut ne vix quidem quidquam opis Rupellensibus tum obsidione arctissimè cinctis afferre potuit, juxta fidem iis præstitam. Novercalem etiam auxit fortunam parricidium in Admiraldum Regiæ Classis Ducem Buckenhamiæ, à Sicario Puritano Feltono patratum; quæ duo tanta cunctandi causa extiterunt, ut appellenti tandem Classi Gallicanas oras, impossibile visum est humanis virtuti & Arti, Civitatem adire, nisi in manifestam omnia ruinam conjicerent. Quod quum Puritanis solis debent malum, Rupellenses; isti, quâ sunt proditoriâ & calumniosâ arte in principes, nunquam non Regis nomen incessebant, ac si datâ operâ Rupellam destitueret. Principem enim hoc locum obtinet in Famoso Libello quem Factio Puritanorum edi curavit adversùm Regem, quemque Remonstrationem Gravaminum nuncupavit. Postea verò, hoc funestum convitium recoxit Cocus ille teterrimus Nebulo, miscuitque quasi poculo Lethali cicutam, coram *Summæ Injustitiæ* præside; purpurato isto Mastigia Bradshaw; qui neci adjudicavit Beatissimum Regem: Auxit quoque fabulam Deodati Genevensis Pastoris Apophthegma, post Cosmum (ut ferunt) Medicæum Florentiæ ducem, à Coco cum magno pondere allegatum; qui, teste isto Actore, dicere solitus est, de facto Caroli subtrahentis (uti pessimè conjectabant Puritani, vel saltem credi ab aliis cupiebant) opem à Rupella, Christum in Evangelio præcepisse, ut *veniam inimicis demus, non autem Amicis*; Quo homo iste Evangelicus (si placet) suis Compresbyterianis innueret, Carolo nunquam ignoscendum, quòd Amici nomine

Cook King Charles *his Case*, pag. 32.

& specie Rupellenses fallendo perderet. Sic scil. cecinit Pastorculus ille, nisi falsò crocitet Corvus sepulchralis Cocus: certè pro vero habitum est. Unde autem egressa est oratio revertamur.

Sectarii inconcussum Regis animum experti, & cuncta contra votum currentia, pace Regno reddita, nova discordiarum semina quærunt, seruntque: Scotiam scil. his nefariis artibus movent. Religionem Reformatam brevi interituram illic suggerunt præfervidæ isti Genti, nisi Papisticam Orandi formam nuper iis à Rege, consilio tam suorum quam nostrorum Episcoporum compositam, & mandatam exterminarent: Cessum itaque populari furori, & cæco zelo: Liber subductus est: sed novam, ex inopinâ prosperitate elati, ansam arripiunt, pacatum rerum statum turbandi; frigidam suffundente Secretario Cardinalis Richelieu, qui nostræ Gentis aurea sæcula sub Principe pio & Clementissimo limis aspiciens oculis, facem submisit moribus ardentibus Presbyterianorum Scoticorum, quâ conflagrantes Ordinem quoque Episcoporum submoverunt, ab antiquis Sedibus, & Officio: & ut contagie malorum Angliam quoque afficiant, hortantibus Puritanis, regiones extimas exercitu populantur. Rege verò Pacis post Deum colentissimo, exoptatissimam ipsis, Ecclesiæ verò & sibi subtristem pacem tribuente, Sacramentis se obstringunt sanctissimis, nunquam deinceps bellum ad-
Aug. 17. 1640. versus Regem moturos. Brevi veruntamen tempore interjecto, Religione jurejurandi calcatâ, æstuantes novo impetu Reformandi, Angliam quoque contracto exercitu penetrant: quæ novæ turbæ ortum in-
Nov. 3. 1641. fando Parlamento dederunt; ex quo tantæ pòst Tragœdiæ proruperunt, quas nulla dies à memoria delebit, de quo optimè profectò ratione Politica, si minus Grammatica etymologia ista apud Ægidium

Chaissy

Chaissy dici possit, viz. *Parlamentum*, *quasi Pariens Lamentum*. Primus hujus Actus Præstantissimum Heroem, Consiliarium sapientissimum, & Regni tutissimum alterum Columen securi injustissimè percussit. Et quia origo facinoris nefarii à Scotia fluxit, Postridie quam Accusatus Comes ille Stratfordiensis, Fraterculi Anglicani præmio centies mille Librarum eos demulcent. Et quò terroribus, quæ Legibus nequissent peragere; Colluviem plebis è Londino submonet movetque Factio, ut ululabili Regiam & Areas Parlamenti, clamore complentes, importunissimè *Justitiam Justitiam* expeterent, in causâ sanè omnium injustissimâ. Quibus ad contemptum suæ Majestatis, & surditatem quotidie impunè auditis, Rex tandem fatigatus, victusque saluti & honori suis consulens, sedes mutat, opinione, tractu temporis morbum istum leniri aliquo modo posse. Verùm fidem fuisse vanam docuit nimbus telorum Libellaticorum quibus fugientis Regis tergum insectabantur Puritani; qui ex illo tempore non amplius contis aut remulco, (quod aiunt) sed plena velificatione in Regnum, & Ecclesiam ferebantur, omnibus priùs dictis factisque Regis in pejus coloratis. Et post varios casus Belli à metuente sibi Factione, amplissimis pollicitationibus, Scoti ut tertiam impressionem faciant in Angliam, concitantur; opimâ & certiore spe datâ Disciplinæ Presbyteralis transvehendæ in Angliam. Ecclesia autem Scotica, siqua alia in terris, propriè Militans, numinibus Nummi & superstitionis suæ afflata, post sacrilegum & impium fœdus inventum initumque cum fratribus Anglis, armata iis adest. Quoniam verò maximè omnium nidore & cruore Episcopalibus spiritus quo ista agitur delectatur, prius ut cadat victima Disciplinæ suæ Reverendissimus Episcopus Cantuariensis, contenditur, quàm terris suis

Giles Chaissy Glaiv de David & de Loyis 13. pa. 373.

 egre-

egrederentur Scoti. Statim ergo Presbyterianis Ludificantibus Justitiam, sistitur coram Tribunali Reverendissimus Primas, & post circuitus nescio quos Legumque ludibria, obtruncatur. Ne verò Parricidio desit color, Prinnio mandant ut causam, publicato scripto ingenti sanè, commendet. Hujusmodi verò exitum habuit vaticinium prædictum Episcopi Wintoniensis, nec dissimilem de reliquis.

Doctorem enim Wren quem in Arcem conjecerat Factio Londinensem, prius iniquissimâ sententiâ è Parlamento cum cæteris Episcopis pulsum, contra fundatissima istius Concilii jura, bonis dein omnibus expoliatum, & tantùm vitâ non multatum, arcta custodia squalere viginti plus minus annos fecerunt.

Regi autem ipsi quid istis architectis malorum contigit, referre animus horret; orbi toti consternato satis patet. Quoniam verò Perditio Presbyteralis nihil se pejus execrari isto Regicidio videri voluit; Quanti sint piæ istorum purgationes, paulo examinatius ventilemus. Habuimus sanè prolixas & operosas vindicias; Obtestationes, Declamationes contra Carnifices Judices: Vota, precesque percrebuerunt pro Rege, unde persuasum vellent se purissimos ab omni sanguinis Regii labeculâ: sed frustrà omnino, & ineptissimè: *Tela* [enim] *video vestra, non quæro manum.* In re seria nugamini, fucos claræ veritati facitis, & fumos pro argumentis venditis. Non de manu, non proximis omnium causis, sed de principe, & primâ, quæstio instituitur nostra; & vestra, siquam ornatis, Apologia instituenda. Quinam omnium primi Phanaticorum contra Regiam autoritatem disputarunt? Personam Regis calumniarum latratibus sunt insectati, & gladiis districtis petierunt? Subditos in arma undique conciverunt? Num Independentes, Anabaptistæ, aut cætera Schismatica vobis ducibus

Seneca in Hercule Fur.

Ὁ γὰρ τὴν ἀρχὴν καὶ τὰ προοίμια παρασχὼν, οὗτος καὶ τῶν μετὰ ταῦτα γινομένων αἴτιος ἂν εἴη. Chrysosto. Hom. 42. in Genesim.

ducibus infœlix turba? an vos ipsi boni & placidi, & innoxii? Cujates erant qui Thesauros Regis, Palatiumque diripuerunt? Reditus ipsi extorserunt; Latus justo satellitio denudârunt; uxorem, Reginam, Liberos, Comitesque in exilium egerunt, vel inhonestis mandârunt custodiis? Quinam denique Regem ipsum in turpem fugam ad Scotos perfidos compulerunt, & sub hasta ab illis positum gravi auri pondere, non in Libertatem sed Captivitatem redemerunt, & vincula paulo splendidiora; & tandem ex Monarcha præpotenti, miserum, squalidum, contemptissimumque hominem fecerunt; qui neque se, neque suos ab ingravescenti infortunio potuit tueri? His vos piaculis abstergite, excusationibus, & vanis & verbosis Apologiis vestris; vel hoc non esse Regem interficere, Majestate, scil. Potestate, & Imperio privare, & ablationem horum non fuisse necessariam consecutionem omnium ingruentium malorum, docete probabili aliquo medio. His namque à Principe ereptis, non minus fit Civile Cadaver, quam Corpus naturale, animâ separatâ. Fortassis autem puerilia non dedidicistis ingenia, quæ quos manu aut virgâ cædunt, negant se percussisse; manus scil. & virga in causa omnino erant, respondent accusantibus. Ita profectò & vos, non ipsi sed manus & Arma vestra Regem trucidârunt, Sectarii scil. vestro creti sanguine; & in tanta enutriti monstra ut parum abesset quin & vos unà cum Rege devorarent. Hinc ergo illæ Lachrymæ Crocodilinæ & cordolium vestra: nim. quod Rege jam extincto corruere videretis spem optimam erigendi vexilla Presbyteralia in Ecclesia, ex pessimis conditionibus, quas non ita pridem Ipsi imposueratis, si liber esse velit, aut titulo solo Regis gaudere. Crocodilus quidem (teste Asterio) homine absumpto amarè admodum dicitur illachrymari

Photius Bibliotheca.

Capiti residuo; Nunquid verò pœnitentiâ facti motus? Nihil minus. Ἀλλὰ τὸ ἄσαρκον τῆς κεφαλῆς ὀδυρόμενος ὡς εἰς βρῶσιν οὐκ ἐπιτήδειον· i. e. Sed Caput parum esculentum, comestioni minus idoneum cæteris partibus deflens. Omnia prius Regalia vorârunt Presbyteriani; Caput solùm supererat vitaque misero Regi; Hæc autem ipsis vi & fraude ablata, & spes omnis futuræ dominationis quam primoribus digitis jam tetigisse viderentur, meritò animos dejecerint, & oculis lachrymas expresserint. Rem enim ipsam iis simpliciter non indoluisse debere, voces variæ summorum apud istos virorum, quos nominare queam, probant: qui facti modum quidem damnant, quod Justo Parlamento (suo scil.) non est sententia lata; sed lacero, & suæ Factioni tum temporis inimico; Probant totius Tragœdiæ ordo & series; Postremò probant dogmata & dicta Factionis. Primò enim cum suo Buchanano, Hendersonoque & innumeris aliis Populum ponunt omnis potestatis fontem: Præterea corrigi oportere tyrannos, quos placet vocitare, ab Inferioribus Magistratibus; & ipsos tandem Magistratus ignaviores, ubi neglexerint hoc suo munere defungi, ab ipso populo. Populus autem quis? non universi sed Selecti quidam ex omnibus Ordinibus. Pulchrè hactenus. Annon verò Carolum omnium fere mortalium nocentissimum decreto statuerunt publico? Annon omni sanguine Civili fuso coinquinatum nunciârunt, adeoque renuerunt vel de pace cum ipso tractare nisi hoc ipsum de se pronunciaret. Age vero: Justitiam non præ cæteris omnibus colendam ducitis? Ita proculdubio. Quo pacto ergo tam impie pii in Regem esse potuistis, ut tantum Parricidam, & eversorem Reipublicæ debitas dare pœnas nolitis; ipsis summis Judicibus? Certè ergo factis mortem Regi accersistis, & documentis jure optimo

Populo cujus est in legibus ferendis summa potestas non est quod succenseamus Buchan. De Jure Reg. apud Scotos. pag.29. Buchananus de Jure Regni apud Scotos.p.11. vide pag.33.

optimo vestris potuistis, & debuistis: juxta Buchananum vestrum. *Nec statim si pro malis Principibus est orandum, hinc colligere debemus eorum vitia punienda non esse: non magis certe quam latronum pro quibus etiam orare jubemur: nec si bono parendum est, ideo malo non erit resistendum:* Scribit Catechista vester Rebellium Buchananus. Idem. Ibid. pag. 25.

Etiamsi tamen his sceleribus coopertam & pudefactam meritò credideris factionem, ut ne hiscere auderet, vel defensionem semel meditari, Frontem pro more perfricantes, facili compendio, eâdem fidelia & suum parietem dealbant, & aliorum fœdant: Aiunt enim tantorum authorem malorum ipsum sibi Regem fuisse, quod Parlamento non paruit: Item Ministros Regis, & eos omnes qui prius fidelius adstiterunt Lateri ejus undequaque patenti ensibus eorum. Si enim manus primum ipsis dedissent, nullus hostili furore cruor terram polluisset. Rex ipse in vivis esset, ad seram usque ætatem. Hujusmodi ridiculis Apologiis; quam intus nullâ arte possunt eluere, extinguere conscientiam velint, & extùs videri saltem se credere ab atrocitate Criminis purgatos. Sed quam stupenda & vanissima fide, quæ unà omnes injustissimos Grassatores & Prædones, probos purosque reddat; vim autem vi legitimâ repellentes, & se, suumque peculium necessaria virtute defendentes, ad furcam omnes vocet. O acutos & æquissimos Oratores, qui ne nocentes sint, Jura Gentium invertunt! At justa erat fortasse Defensio; non Regiæ Personæ, dignitatis, aut Potentiæ Aggressio: At neque Defensio; neque si esset, Justa esset: nisi Solem meridianum cum Antipodibus esse simul asseverent.

Post hæc autem luce meridianâ manifestiora facinora; Hichmannus disputat ex Autoritate Episcopi dicti Andrewes Responf. ad Card. Bellar.

dicti Wintoniensis; Puritanis nullam esse cum Rege Litem. Primò autem ex Sophista hoc peterem, Annon Litigant, qui vitam auferunt? Annon Puritani Regem contrucidarunt? At fortassis amico non hostili animo, prout bellum moverunt primùm, atrox hoc flagitium patratum est. Vel forte hoc Puritanis Presbyterianis proprium omnibus, solis, & semper? Et quæ Regi mala irrogârunt, ex errore nostrorum sensuum non mentium suarum manârunt omnia. Et respondebunt cum Stoico Zenone motum negante, *Videri tantùm esse, revera tamen non esse.*

Laertius in Vita Zenonis.

Quoniam verò quale Sanctulorum genus sint Presbyteriani, satis jam vidimus, ad summum malorum actus ipsorum perducentes: ad alterum Caput properandum quod religionem ipsorum explicat; in quo, triplici dissidio nobis molestissimi ab ipsis incunabulis fuerunt. Vel enim Ecclesiæ nostræ regimen animosissimè oppugnant: Vel ritus juraque Religionis stomachantur; vel denique Cultui nostro infestissimi sunt. De primo ergo jam paucis pro breviculo disputationis nobis dicendum. Nec hic repetenda quæ de conatibus ipsorum supra egimus, animo totius Politiæ Ecclesiasticæ dissuendæ: Ad naturam Disciplinæ ambitæ perpendendam transeat oratio. Nisi enim effatum Oraculi Bezæ nos, seipsum, nostrosque fefellerit Puritanos, vix hominum numero accensendi sint, multo minus Christianorum, qui Systemati Genevensi libenter se non summiserint. Sic enim scribit: "Ut quid de singulis nostræ religionis in "summa senserint & docuerint Prophetæ & Apostoli, intelligatur, solo pene non penitus obtuso ingenio, & linguarum peritiâ, attentâ denique lectione "opus est. Ad Grindallum item Londinensem Episcopum pari præfidentiâ loquitur. "Quod ad doctri-"nam

Beza de Notis Ecclesiæ, Vol. 3. p. 137.

Id. Episto. 8.

"nam autem attinet, consentire illam cum verbo "Dei, non dubitamus; nec erit nobis difficile, opi- "nor, Rituum hujus Ecclesiæ, cujus nos minimè pœ- "nitet, totamque adeo Disciplinæ rationem ex eo- "dem fonte petitam demonstrare, quamvis ab eo "quod constitutum oportet nos multum adhuc ab- "esse ultro fateamur. Miranda canit sed non cre- denda Poeta; multum à recto abesse, & tamen è Fonte Scripturarum petitam suam Formulam. Audiamus etiam quid de dispari Ecclesiæ œconomiâ judicet, summus hic apud Puritanos nostros rerum Ecclesiasticarum arbiter. "Ego, inquit, illis [Pon- "tificiis] libenter relinquo totum Episcopatus gra- "dum, cujus apertè dico Spiritum S. non fuisse auto- "rem, sed humanam prudentiam, cui nisi animad- "vertimus Deum maledixisse, certe nihil, ne nunc "quidem, videamus, & viperam in sinu fovemus, "quæ rursum matrem necabit. Hæc & hujusmodi perplura sacrilego ore, & stomacho petulanti contorta contra Ecclesiæ Catholicæ & nostræ præcipue consuetudinem, & formam Sanctissimas, à Beza & Calvino, quia extremâ aviditate hausta sunt, & pòst in nos pestifero halitu refusa, ferant oportet me ultrice, si placet, dissertatione hoc modo regerere in lacessentes, Theoremata sua sacra.

Id. de Notis Ecclef. p. 147.

Non desunt, sat scio, qui Bezana dicta dira, duraque studeant modestiore sensu emollire, & de Solis Episcopis Pontificiis intelligere: tum quod proximè de Hierarchia Romana, de nomine fere, agebat; tum propter quædam Whitgifto Cantuariensi scripta æquius de nostro Episcopali Regimine. Quod ad posterius attinet, verum est post detectas & exprobratas per Epistolam Bezæ inimicitias in Nostram Ecclesiam & faculas consilii Schismaticis præstitas, (propter quas severius increpabatur à dicto Archie-

 piscopo)

piscopo) animum aliquantum posuisse, & à fratribus subduxisse se, ut saltem minus crebrò & acerbè eos irritaret: præsertim gustata quotannis Archiepiscopi liberalitate (qua Servatoris nostri præceptum adimplevit, bona malis reddendo) post extremam Civitatis Genevensis depauperationem à Peste grassante: Sed verba potius dedit, in qua arte, deficientibus viribus, non animo nocendi, imprimis excelluit, quam facta sana. Ad primum autem nulli non inspicienti istud Bezæ opusculum pateat, non singulatim arma Rhetorica strinxisse adversus Papales abusus, sed ipsum Ordinem nullâ interjectâ exceptione impetiisse. Ordo autem idem Romanæ & nostræ Ecclesiæ est, quod norunt & destomachantur Puritani; nolentes distinguere inter rem reique colorem, vel errorem. Dein, quæ esset illi animi, perinde ac oris sententia, ex alio invisissimo tractatu constet, cui Titulum præfigit, *De triplici Episcopatu*: in quo triplicem nobis proponit Episcopatum: *Divinæ, Humanæ, & Diabolicæ Institutionis*: Primum ejusdem planè rationis esse scribit cum Presbyteratu; & Episcopum eundem qui Presbyter, quem nos simplicem dicimus. Alterum omnino convenire affirmat cum Prolocutore, qui humano consilio Synedrii Presbyteralis Os constituitur. Tertium autem genus Diabolum habuisse authorem, non pudet asserere, quo certè tam Anglicanum, quam Romanum percellit.

Dico ergo apertè Totam Genevensis Ecclesiæ coagmentationem non tam humanæ prudentiæ quam imprudentiæ opus esse; ejusque Sp. Sanctum nequaquam fuisse autorem. *Verbum enim Dei projecerunt & sapientia nulla in iis, est.* Qualis est enim illa Ecclesia, quæ Justo destituitur ministerio? Qui Pastores, qui nulla autoritate Legitimâ constituuntur? Quales

Jerem. 8. 9.

les discipuli, qui nullo Magistro in publicum prodeunt? Quales filii, qui nullo nisi forte Populo Patre sunt orti? Audio typhum verbi *Pastores* insolenter admodum usurpati, ab Automatis Ministris, sed me potius ridentem, quam mirantem hominum vanitatem novam reddunt. Pari enim, vel insanabiliore veterno iidem qui suprà Populo Jus esse Reges constituendi, etiam ordinandi Pastores astruunt. Et nunc non solum, *Vox Populi Vox Dei*; sed Vox Christi, & Vox S. Spiritus, dicitur. Claves itaque Scientiæ, Claves Ordinis, Claves denique Jurisdictionis Populus, multiplex Petrus Romanus, integrè tenet, & quibus velit defert: vel quod adhuc plusquam prophanum est, nedum populo, sed Selectis quibusdam (quod vult Buchananus in Civilibus) integra formandæ Religionis potestas est deferenda. De Jure Regni apud Scotos.

Ne vero unus solúsve Buchananus in hac Civili blasphemiâ esset, & temporis processu tam heroica & utilis doctrina paulatim exolesceret, novæ indies propagines succreverunt, novi doctores, nova vulgi flabella, quibus & posse, & jure posse, & debere populus instituitur, apertâ vi Reges coerçere & plectere deflectentes à Norma quam ipse justam rectamque judicaverit: Rectam autem nullam esse posse, quæ Christo sit contraria: Christo autem contrariam necesse esse illam, quæ Disciplinæ ejus h. e. Politiæ suæ Ecclesiasticæ adversatur, & populi nullis lineis, & multo minus Legibus circumscriptæ Libertati, nisi forte (quod suspicor) nulla, ne quidem populo copia vivendi aut credendi extra leges Ecclesiasticæ Dynastiæ Presbyterianorum, sit. Anno Domini 1644. Fervente rebellione & furente Zelo fratrum contra Beatissimum Carolum, Ne nimis prono vulgo ex se in scelus illud, calcaria desint: è Tenebris in Lucem usumque Evangelii Presbyteriani evocatur

catur Historia Knoxii, Reformationis Scoticæ, seditiosissimis dogmatis, & dirissimis factis repletissima. Et quoniam ipsis Prædicantibus parum est docuisse facienda, aut facta ab aliis præmonstrasse, nisi vim vitamque Applicationis addant; hanc Historiam quidam ex Gente Scotorum bellissimâ ornatam Præfatione, tum actitatæ in Anglia Tragœdiæ adaptavit: Quam enim æquis piisque animis sit factio ista in Reges, quàm facile, fastigium Regale calcare, mores vitamque eorum extremis censuris castigare queat, discat ex hoc uno specimine quivis æquus Judex: viz. *Quemadmodum oleo ungebantur Reges ad significandum eorum separationem ad munus peculiare, ita nostrûm quisque à Spiritu Sancto unctus in Baptismo, separatur ad exequendum Justitiam, &c. tanquam Rex in suo quisque statu.* Si verò quisque quà Baptizatus, quà Christianus Regis instar, privilegio Justitiam administrandi, & cætera, (nam ne impudentia ipsa potuit verbis exprimere, ea omnia quæ intelligi cupiebat,) gaudet, quanta necesse est privilegia glomerare in eum qui novo Fœderalis Presbyterii Sacramento in familiam istam permundatissimam adoptatus fuerit? Statim ex subdito Princeps, ex filio Pater Ecclesiæ evadit, & dignus non qui Principibus, sed cui Principes deserviant. Quod Knoxii familia sibi vendicavit ore magna venditans ad Reginam ipsam, se futuros subditos obsequentissimos hac scil. Lege & conditione, *Si Conscientiæ nostræ* (ipsissima Knoxii verba sequor) *placido liberoque eo perseverent statu quem sanguine suo acquisivit Christus, & verbum Dei pure nobis prædicatum, & Sacramenta ritè administrata habeamus, sine quibus* firmiter *statuimus nemini mortali subjici.* Hæc sunt dogmata, hæc decreta Synedrii Presbyteralis: Hæc venena

And as Kings were anointed with Oyl to signifie their setting aside for their peculiar Office: So every one of us being anointed in Baptism with the Holy Spirit, is set aside to do Justice, &c. as a King, in our several station. Prefat. ad Histor. Knoxii, pag. 44.

Knoxii Histor. Reform. Scot. pag. 138.

venis

venis nostris hausimus: & tamen gloriamur cæteris nos pietate in Principes præcellere; quæ reipsâ nulla, imò quæ cœlum terris miscere non dubitat, nisi disciplinaris triumphet Reformatio. Hoc enim est nexibus humanarum legum, & nodis constitutionum conscientias liberari: hoc Sacramenta purissima possidere. Hunc porro animum, hæc vota Fratribus Anglicanis Spiritus idem extraordinarius Reformandi indidit; & ex hoc seminio orta auctaque ea sunt monstra quæ incurabili vulnere omnis Reformationis nomen afflixerunt.

Cæterum hoc fortassis malum, sanè tremendum piis auribus, lenit ter maximus Calvinus, & Deo autore hæc cuncta disponuntur: hoc enim modo disserit. "Deus interdum Apostolos post ætatem "illorum, vel saltem eorum loco Evangelistas exci- "tavit: talibus enim qui Ecclesiam ab Antichristi "defectione reducerent, opus fuit. Quales verò & Quos, bone Domine? Calvinianos Ministros, si ignores, qui scil. eodem ritu soli sunt Evangelici, quo Loiolæ filii, Jesuitæ sunt. Illis ad perdendum Antichristum, opus erat; ergo à Deo sunt Instituti. Quid verò, si nec hoc sequatur? Quid si contrarium: Nam teste Augustino is erit Antichristus qui non est Missus [à Deo] sed venire permissus. "At "omnino fuit (inquit Calvinus) extraordinarium "munus quod Dominus nobis injunxit, dum operâ "nostra ad colligendas Ecclesias usus fuit. Qui er- "go ita præter spem hominum insolito modo repen- "te apparuerunt sinceræ pietatis vindices, eorum "vocatio à communi regulâ æstimari non debet. Esto quidem, quando ita volunt, Deus arbitratu suo Pastores Extraordinarios exsuscitat. Fuerunt enim per singula fere sæcula ab Apostolis tales. Tales Ignatius, Polycarpus, Irenæus, Origines, Dionysii, &

Calvin. lib. 4. Institut. ca. 34

Id. Episto. 190

Gregorii Episcopi fuerunt, & permulti alii apud Græcos & Latinos viri extraordinarii, & Pastores: At jam de ipso Pastoratu, de Ordine ipso quæstio movetur, & si velis, De Extraordinario Ministerio. Extraordinarium autem Calvini Ministerium erat. Sunt præterea multi Extraordinarii Pastores illiciti: Cacus enim erat Pastor Extraordinarius, qui alienas oves in latibulum suum retro trahebat: & reperiuntur hodie passim apud nos, Prædones Ecclesiastici, qui in Spiritualibus istum imitantur, Doctores sine Cathedra, Episcopi sine sede, Prophetæ absque Missione Currentes. Hic ergo opportunam admoventem manum prolabenti Vocationi, Bezam habemus, hac comparatione, "Quemadmodum siquando privata ædificia flamma corripiat, illud unum "curari solet, ut ad restinguendum incendium unusquisque accurrat, neque tum magnopere, vel quis, "vel unde sit quis laboratur; ita etiam nunc multo "magis, orbe Christiano intestinis dissidiis deflagrante, putavi reprehendendum non esse qui laboranti "Reip. Christianæ, etiam Extra ordinem, opem ferat. Hac bellissima similitudine tam perfectè rem totam expediri credidit Beza; ut alibi suam disputationem eâ exornaverit: Tantopere autem nostris Sectariis arrisit ut nihil frequentius seditiosis & Schismaticis Scriptis occurrat: quæ tamen mediocriter oculato haud plura verba quam vitia habere videatur. Unum aut alterum indicasse sat erit. In dissidiis enim seu Incendiis Ecclesiæ haud ita convenit, Quinam Incensores, & qui Restinctores, quod in Naturalibus clarum fuerit: Nam sæpe fit ut Accusatores maximè sint accusandi damnandique: & qui importunâ diligentiâ componendi motus laudem aucupatur, vituperium maximum meretur. Dein, in communi incendio, quisque est Minister Ordinarius: Sint

Beza de Pac. Ecclesiast. Tom, 3. p. 147

Idem, Vol. 2. Oper. pa. 110

Sint ergo oportet ejusmodi in turbato Ecclesiæ statu: Solus erit ille extraordinarius qui renuente Domino & arcente, operam adhibet. Quoniam verò fallacibus imaginibus rationis quàm justis argumentis Causa magis commendatur popello; gravissimus idem vir, suam sic alibi tuetur. "Ubi Lupi sub larvâ Pastorum in Greges Domini grassantur, nec sese, quod facere consueverunt, abigi vel in ordinem redigi patiuntur, si piis semper expectandum putas, dum illi ultro cedant, vel publica autoritate expulsi sunt, tibi quidem minimè assentior: Probè equidem. At quid si ipse Lupus iste in Fabula sis? Certe fuerunt immanissimi qui tuo (Beza) argumento in Regem Carolum nostrum, & Ecclesiam sunt abusi, Hendersonus, & consectarii. Fuerunt & ipsi Lupifugæ verùm atrociores fictis Lupis. Adhuc ergo laborat percelebris & Extraordinaria vestra Vocatio, nec constet jure, an injuriâ in Cathedram insiliistis Pastoralem, ex Parabolico hoc disputandi genere.

Idem Adversùs Seraviam

Atqui Doctus & Optimus Antonius Sadael hîc ruenti causæ manum porrigit officiosam, hoc modo. *Primo*, inquit, *negamus hoc posse nostris Pastoribus rectè objici, quod Legitimè vocati non sunt, quandoquidem illi quotidiè vocantur, & eliguntur via Ordinariâ, & eo modo qui verbo Dei præscriptus.* Instanti autem, *Non habent Legitimam successionem, ideo non sunt legitimè instituta* [*Ecclesiæ*] *Respondet: Objectio omnino indigna quæ proponatur ab iis qui nobiscum in doctrina consentiunt. Fateris Ecclesiam apud nos esse summo Dei beneficio instauratam. Atqui Ministerium non est minima pars ordinis Ecclesiastici, ne dicam esse præcipuam, &c.* Quid audio? Quæstio non est movenda ab iis qui doctrinâ consentiunt? Ergo iniquè pariter fecerit si in dubium vocaverit quis Orthodoxorum Laicorum Ministerium quodlibet.

Antonius Sadael de Legitima Vocatione Ministror. pag. 15.

At

At Pastores, aies, *quotidie vocantur.* A Quibus verò? à Pastoribus propriè dictis? A Legitimis, inquis. At juxta quas Leges, Canones, aut traditiones? heri, & pro occasione inventas & positas? Secundùm Dei Legem Scripturalem, dices. Utinam sanè non tinnientia verba pro solidis testimoniis darentur, sed ita sit. Porro non sequitur, Ecclesiam veram, veros habere Pastores, modo Ecclesiæ ista descriptio Bezæ æquè propriæ Ecclesiæ ac Genevensi congrueret. "Dicimus (inquit) veram Ecclesiæ veræ sive "particulariter, sive universaliter sumptæ definitio-"nem esse, quâ dicitur esse, Cætus qui verum Je-"sum Christum unicum Servatorem suum agnoscit. Profectò veram hîc Fidem, veram multitudinem, veros Christianos video, Ecclesiam non video veram. Est enim Ecclesia societas, potius quàm numerus hominum vel Fidelium: est præterea societas, non tam suis legibus & inventis, quam Christi colligata & vivens. Denique est Optimè ordinata acies, ducibus non pro suâ libidine vel arbitrio disposita vel Gubernata, sed Christi, & Principum Apostolorum decretis instituta. Non ergo qui verè in Christum credunt continuò in Ecclesiæ naturam proficiunt. At saltem ad Christi mysticum Corpus omnino spectant: Non invideo equidem; sed sentio probationes parum validas, quæ si essent firmæ, nihil ad rem facerent; quandoquidem de Ecclesia Visibili tantummodo omnis est disputatio instituenda, solos decet Lucifugas Christianos, ad Invisibile asylum istud confugere Ecclesiæ Invisibilis; de quâ, post infinita Litigia, nihil certi in particulari concludi possit: Quinam enim de Visibili Ecclesia sunt, haud vanâ conjecturâ cognosci possit: Qui verò de Invisibili sunt, vel nullo, vel Visibili duntaxat argumento probatur. Concludi ergo oporteret, Ecclesiam Invisibilem ex Visibili.

Beza de Notis Ecclesiæ, pag. 137.

bili.

bili, & Visibilem rursum ex Rectâ & debita Pastorum & Ovium, Regentium & Parentium ordinatione, ad mentem Christi, Apostolorum, & Purioris Ecclesiæ, inde ab exordio Christianæ religionis constitutorum, non è contra. De Legitima (non sensu Civili sed Ecclesiastico) Vocatione ergo, fere tota lis agitur. Quinam ergo sunt legitimè ordinati, operæ pretium erit è Beza docente audire. " Nos (inquit) " Legitimè ordinatos demum arbitramur qui præ" eunte ex Apostolica normâ & morum accuratâ in" quisitione, liberâque & sancta Electione, ex totius " Ecclesiæ cui præsunt consensu, Deo solennibus pre" cibus factis, ipsa etiam adhibita, si ita videtur, " manuum impositione, eâque simplici, fiunt. Quomodo autem (rogamus) Simplici? Nulla autoritate, aut jure præeunte, vel præexistente? Quæ tam simpliciter tentatur, frustra tentatur. Rursum, Quid sibi velint verba illa, *Si ita videtur?* Nunquid, quod universa ubique Ecclesia pernecessarium judicavit, unus Beza statuerit Indifferens, in ratione Ordinationis? Porro, Electio illa qualis erit? Quid morum probitas & probatio? Consensus iste quid facit? Rectè sane, & jure, & exemplo Apostolicis, de vita Ordinandorum fit examen: Nec consensus Populi in primordiis Ecclesiarum, quando beneficientia Populi alebantur Altari Christiano servientes, contemnendus erat; Ecclesiis vero aliàs dotatis alia ratio jam est. Quid hæc omnia autem ad ipsam Ordinationem? ad quæstionem ipsam quid faciunt? Quum ergo his fumis elabi neque Calvinus neque suppar ejus Beza potuisset; ipsam Regulam totis viribus ingenii flectit, suæque accommodat Causæ astutus Beza, & ipsam Ordinationem conficta novâ descriptione creat, ordinatque de novo, dicens, " Ordinatio, sive impositio manuum, (Hîc vides

Beza de Notis Ecclesiæ.

Beza Respon. ad Saraviam, cap. [illegible]

quâ est Vir Doctus, in hâc difficili & perurenti animum controversiâ, inconstantiâ; quam supra Adiaphoram posuerat, jam synonymam cum ipsa Ordinatione, facit, Chirotoniam, "certè nullos proprie creat Ministros, sed Legitimè vocatos, sive Electos, adhibitis precibus mittit in sui muneris possessionem. Quid, quæro, sit Rerum ordinem invertere, si hoc non sit? & Plutarchi rudem Pictorem imitari, qui Galli imaginem crasso admodum penecillo cùm depinxerat, id summopere studuit ne naturales & vivi Galli propius ad Tabellam accederent, sed fugarentur, ne factâ comparatione operis vitia clarius inspectoribus paterent. Calvino quidem & Bezæ rudis admodum, vel revera nulla erat ordinatio, ideoque maximè iis incumbere rectè putarunt, omnem germanam & propriam procul à scriptis suis & oculis nostris arcere; satis rati esse credulo & sciolo populo, sophisticè ludere, & delitescere sub operculo vocabuli Polysemi *Vocatio*: Quæ apud Veteres per varia sæcula vix semel audita in negotio Ordinationis, utramque jam paginam implet Novatoribus. Aliquando enim Dona interna significat, Vocatio: Aliquando suffragium plebeculæ deligentis: Aliquando patens iter ad summam Rerum Ecclesiasticarum scelestissimis licet successibus occupandam, tenendamque, Præfectis utriusque Juris proscriptis & impiissime Profligatis: quo sensu piget admodum, dispudetque Virum Clariss. D. Blondellum nostros Schismaticos fraterno affectu sic compellasse; *Universis Dei Opt. M. servis, Occidente toto Maximè vero per Britannias ad Christiani Populi Ecclesiasticum & Politicum Regimen vocatis, D. Blondellus, &c.* Jam ergo, interprete Viro Doctissimo, liquido didicimus quid Classicæ Theologiæ Doctoribus sit *Vocari ad Ecclesiasticum Regimen*: nim. per seditionem, per schisma, per cædes,

Blondel. Dedicatione ante Apologiam

per

per ruinas, per incendia, per latrocinia ad summam rerum sive Ecclesiasticarum sive Politicarum conscendere, & posse imperare. Aliquando porro Electionem, Aliquando Missionem ad Muneris defunctionem: Aliquando ipsam facultatem (ex suppositis Presbyteralibus) traditam, impositione manuum Cœtuum: quæ tamen nulla fuit ipsi Calvino Gregis magno duci; quod sic colligo ex historia quam vitæ ejus scripsit Beza. Id. in Vita Calvini, initio

Memorat Beza ut Pater ejus Gerardus Calvinus ab Episcopo Noviodunensi, filio suo adhuc sub Pontificiis merenti, Beneficium impetrârat, utque Joannes prius quam Gallia excederet, nullis alioquin ordinibus Pontificiis initiatus, aliquot ad populum conciones haberet; & ut hoc consilium utriusque animus mutatus interrupit, quò Jurisprudentiæ operam daret: Pòst, quo pacto descivit à Romana superstitione, narrat: Quando autem, à Quibus, aut Ubi in Clerum cooptatus esset, ne levissima fit mentio, vel ante, vel post ejus secessionem; nisi hoc fortè sit Legitimè ordinari, suffragio simplici, non probatis solenniter moribus, non Precibus solennibus (quas accepimus) præeuntibus; non denique impositione manuum; Ministrorum suæ partis & Magistratûs Civilis Genevensis Concionatorem Suffragio eligi. Accedit his, quòd Beza, ubi Calumnias Papistarum depelleret (scil. nullum esse legitimum Ministerium apud Reformatos) ostendit quidem (quod verum est) Wickleffium, Hussium, Lutherum, Bucerum, Oecolampadium, & alios insignes Instauratores Religionis, sacris ordinibus ab ipsa Romana Ecclesia instructos fuisse; de propriâ autem, vel Calvini ordinatione, sive à Pontificiis, sive Reformatis, altum penitus silentium: nisi id sit, quod modo è Beza retulimus, ordinari, fori suffragio, & calculis, Ministrum, seu Concionatorem Id. de Notis Ecclesiæ.

cionatorem acceptari. Et quemadmodum in picturis fit, ut Archetypum ex Antitypo satis perfectè innotescere nobis solet, & (quod aiunt) Varia Vibiam sequatur, ita, si aliæ defuissent Inordinationis Calvini probationes, ex Vocatione Johannis Knoxii in Scotia, qualis illa Calvini fuit probabili augurio conjicere quisque possit. Scribit Beza Farellum, virum Spiritu quodam Heroico afflatum (*parum hoc*, dixisset proculdubio *Divino*) multis Calvinum verbis frustra obtestatum ut secum potius Genevæ laboraret, quam longius excurreret, nec ei facile Calvinum assensum fuisse; &, *At ego* (dixisse) *studia tua pertexenti denuncio Omnipotentis Dei nomine futurum, ut nisi in opus istud Domini nobiscum incumbas, tibi non tam Christum quàm teipsum quærenti, Dominus maledicat: hac terribili denunciatione territus Calvinus sese Magistratus voluntati permisit.* Habes jam Calvini ordinationem, ex Beza. Accipe ex ipso Knoxio Patriarcha potius quam Pastore Scotiæ, qualis ipsi fuit: *Joannes Rough Prædicator* (verbum fere de verbo Anglicè scripta à Knoxio in Historia Reformationis Scoticæ, in idioma Latinum verto) *verba Johanni Knoxio direxit, dicens, Frater, ne succenseas, si tibi id quod in mandatis habeo ab omnibus hic præsentibus, dicam, nim. In nomine Dei & filii ejus Jesu Christi, in nomine omnium qui impræsentiarum te ore meo vocant, obtestor ne hanc sanctam Vocationem recuses, verum——— ut suscipias publicum munus & Officium Prædicandi, si gravem Dei irascentiam declinare velis, & cupias multiplicari beneficia ejus in te, &c.* Hi scil. Sacri ritus erant ad Calvini Magistri exemplar, mentemque, quibus Discipulus Knoxius vocatus est. Ne enim fortè putes altiore fonte aut solenniore ritu Evangelicum factum Præconem fuisse, & Tubam Reformationis, in Margine nota hæc verbis prædictis adjecta reperitur, à viro certè amantissimo;

Beza Vita Calvini.

Knox *his History of* Scotland, pag.75. lib.1.

Prima

Prima de nomine Vocatio Joannis Knoxii. Secundam autem nuspiam reperi: puritate scilicet & simplicitate omnia Sacra transigenda judicant, nunquam satis Conscientiis suis caventes ne visco superstitionis Romanæ irretiantur & polluantur, nisi rem ipsam cum modo depravato prorsus abjiciant, ut siquis Domum à peste purgatissimam reddat, sanos infectis, valentes ægris, & denique vivos mortuis unâ eâdemque fossâ sepeliendo.

The first Vocation by name of John Knox. Ibid.

Quid ni ergo sit plusquam Papalis arrogantiæ binos hos Ministros Encyclicis suis Epistolis quacunque pateret Reformatio, & ultrà, Ecclesiam Dei sollicitare, quod invitis Præpositis & Legitima autoritate non erubuerunt facere, maximamque invidiam nobis conflare? Enimverò hos minimè dilutum istud effugium juvabit, Presbyterum & Episcopum reipsa idem esse, & solo dividi nomine, nisi prius ipsos à veris Presbyteris manuum impositionem accepisse, monstretur; quod nequeat fieri. Verum de ipsa hac Thesi pauca hîc disseramus.

Scripserunt Schismatici Tractatum, aliquot jam annis effluxis, quem nuncupârunt Smectymnuum: Postea etiam, mortuo opinor illo, addiderunt Alterum, Smectymnuum Redivivum, priorem istum enectum & putrescentem ab Inferis revocantem: hisque tertiò accessit ejusdem farinæ Libellus, cui ex Gravissimo viro Francisco Masono surreptum titulum adjunxerunt, *Jus Divinum Ministerii Anglicani*, omnes Anglicano idiomate: In hoc ultimo quoniam extremos exeruisse videantur conatus, pauca summatim excutere visum. Ad tria autem Capita reducuntur omnia in illo comprehensa. Primò, contra Fratres Gregales & Synschismaticos docent, Fas non esse cuivis sacrum sibi Ministerium arripere, sed Vocari oportere. Secundò, Seipsos Legitimè fuisse Vocatos,

etiam ab Episcopis Superstitiosis & Antichristianis Ecclesiæ Anglicanæ ordinatos. Tertiò demum, Legitimè omnes vocatos seu ordinatos, quibus pro more Synedrii sui Presbyterorum solorum manus fuerunt impositæ. De Prioribus duobus nihil impræsentiarum mihi statutum est dicere, De tertio autem, pauca.

Argutuli enim Sophistæ hi primum protritissimo illo argumento thesim confirmare nituntur ab Homonymia sumpto vocum *Episcopus* & *Presbyter*: quæ cùm in eundem cadant ex lege loquendi ScripturæDivinæ, idem per omnia officium describere censentur. Imo (quod equidem laudet quis ab iis heroicè saltem tentatum) vix ab ipsis Apostolis distingui hodiernos
2 Joan. 1. Presbyteros eadem operâ probent. Apostolus enim Jo-
3 Joan. 1. annes se Presbyterum appellat. Petrus Compres-
1 Pet. 5. 5. byteri meminit: fuerunt ergo certe Presbyteri, Atqui & Ipsi Presbyteri sunt, ergo, &c. Quis itaque Episcopos, qui minoris sunt ordinis, esse eos negat? Fateor tamen modestissimos homines nihil inibi amplius in conclusione petere, quam se Successores Apostolis Ecclesiæ dari: quod tamen suo Hieronymo (uti suspicantur) in mentem nunquam venit.

Fortassis tamen si nostri Presbyteriani summum Apostolicæ dignitatis apicem (quod dolendum est) non attigerint, honestissimo Evangelistarum loco consistant, quem Episcopi nondum occupare meruerunt. Hinc fit ut Timotheum Titumque, quos Literæ Sacræ, Veterum monumenta, Traditio perpetua Episcopos fuisse confirmant proprie dictos, illi modestissimi negent; & vice *Episcopi* Evangelistæ vocem substituendam prædicant; nescii tamen, Qui, Qualésve fuerunt isti Evangelistæ; solùm blandiente causa propriâ; ut bellissimi Pictores, sui similes pingunt. Nullam autem vidimus rationem redditam,

quo

quò minus, qui heri Evangelista erat, hodie Episcopus non sit; qui alibi Evangelista, hic Episcopus, qui nulli Civitati aut Provinciæ nuper adstrictus, novo Apostolorum Ecclesiæ Præsidum Consilio & jussu fixam & definitam Sedem non teneret. Fateor enim me aliàs ignarum à Magistris novis libenter velle edoceri, inter illos, non diversos Ordines, sed modos Ministerii Evangelici, magis propriam & genuinam differentiam; nisi forte quidam immediatâ Christi voce cooptarentur. Qui tamen, utrum iidem fuerint qui cum Apostolis post Christi ascensum, operam in Evangelio navârunt, historiarum fides laboret; quæ si certa constansque fuerat, non eos ab Apostolorum potestate eximeret, quin ad certa Officia & loca determinari possint: hos autem nos Episcopos vocitamus. Blondellum verò nullo autore, nulla ratione, nulla Scripturarum litera erraſſe non dubitemus, qui *Manifestissimum* scribit *æquo tunc* (scil. cum mandarentur à Christo) *septuaginta Discipulos, cum duodecim primis, jure ac conditione fuisse*: Quod vero dicit, eodem fuisse statu Evangelistas & Septuaginta illos, probabiliter conjicit. Sed hoc argumento Apostolis ipsis adimit jus supra Evangelistas, contra Scripturas quæ affirmant à Christo ipso distincta Vocatione accersitos, & præditos Apostolos eâ potestate, quam Evangelistæ, nisi ab ipsis, nunquam acceperunt, post Resurrectionem: quandoquidem Discipulorum, Septuaginta autem nulla, mentio reperitur. Rectissimè ergo proculdubio (frustra reclamante Blondello) Bellarminus asserit, Septuaginta nullam à Christo suscepisse Jurisdictionem, aut Ordinem, eoque ipso Bedæ sententiam facessere jubet. Licet enim (quod ex Seravia notat Blondellus) ita Apostolis Evangelistæ essent inferiores, ut nemo eis æquandus (hodie) sit: licet, quod Bezæ placet, Secundarii Apostoli dici possint,

Blondel. Apolog. Sect. 3. pag. 109.

Marc. 3. v. 14. Luc. 6. 13.

possint; tum propter immediatam vocationem Christi, tum propter Donum miraculorum quibus præpolluerunt, Jurisdictione tamen non dubitamus superatos fuisse à Patribus & Pastoribus Ecclesiæ sequentibus: nisi eos excipiamus, quibus cura specialis Regendi, potestati docendi Ecclesiam accessit.

Blondell. Apolog. pag. 114.

Nullo ergo negotio Blondelli pro paritate refelluntur conjecturæ, viz. 1. Nunquam enim Apostolica potestate simpliciter donati sunt, eo quod Apostolis singularem illum actum Evangelium annunciandi exercuerunt: hoc enim & Diaconis competiisse nemo negaverit: quos tamen nemo propterea Apostolos dixerit. 2. Negatur quoque detrusos post Christi institutionem ab Apostolis, in alium ordinem, pari Sacrilegio quo Antiqui indignabantur Episcopos reduci in Classem Presbyterorum: Nam & Christo vivo, septuaginta Apostolis inferiores, & qui locum eorum post Christum tenuerunt Evangelistæ. Quidni ergo horum successores Presbyteri, illorum successoribus pariter subsint? Hinc tertia probatio Blondelli frustra tentata apparet, viz. *Ejusdem Collegii fuisse Apostolos & Evangelistas*, nisi sensu novo & valde ambiguo. Ejusdem enim cœtus cum Apostolis fuisse non negemus; ejusdem autem fuisse ordinis in Cœtu, semper negatum fuit. Sed mirum est quam miserè & pueriliter sanè ludunt Theologi Genevenses disputantes de Ordinibus Ecclesiasticis, in vocibus istis *Vocatio*, *Minister*, *Pastor*, *Collegium*. Sed quoniam in hoc campo devagari longius nunc minimè decet, reversus unde aberrabam, quæro: Quæ regio in terris, Quæ sæcula, Quis doctor, Quæ specimina ostendunt Ecclesiam, vel unicam saltem post mille fere quingentos annos hac Presbyterali formâ constitutam? Respondent illico: Hieronymus disertè affirmat Episcoporum & Presbyterorum sub ipso crepusculo

pusculo Evangelii idem fuisse nomen & officium. Adeóne in omnibus? Dempta Ordinatione. Hoc equidem non minimum est: imo satis ad proterendas vires omnes Litigiosorum Schismaticorum. Verùm si Fidem Michaeli Medinæ (cui hîc Puritani maximam accommodant) adhibere fas sit, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus magna comitante Veterum Catervâ, ita verba Paulina, uti Hieronymus, explicârunt. Illo autem Michaele, si Antonium de Dominis audias, nihil indoctius in hac causa: qui more Scholasticorum extra suum *Probo quod sit, & Videtur quod non* temerè egressus ad historiam & retrusiores Ecclesiæ antiquitates, Piscis in Arido fit, & frustra se fatigat. Viderunt profectò Antiqui communiter utrique ordini nomen inditum fuisse. Viderunt Apostolos Episcopos, Presbyteros Diaconos nuncupari, Officia verò nullo discrimine habenda, soli Lusci viderunt, & Sectarii.

Vide Schol. Græc. Titi ca. 1. v. 7. Theodoret. Oecumenium in Locum. Irænei Epistolam apud Eusebium, l. 5. c. 25. August. Epist. 78.

Instat tamen Antonius Sadael, Smectymnuus, Hindersonus, Juris Divini Ministerii autores, denique fere ad unum omnes instant: Non solùm de nomine, sed de re quoque ipsa agi ab Apostolo. Monet enim ut sint sine crimine, viri unius uxoris, sine Luxuria, & denique omnifariâ virtute exculti. Hoccine autem (aiunt) est de voculis solummodo laborare? Quibus è contra ego respondens peto, Hoccine non sit Lectoris expectationem deludere, transire & concludere à virtutum seu Gratiarum naturâ ad Munera ipsa & ordines? Oportet sanè Episcopum sobrium, castum, abstemium, & purum esse à sæculo: Oportet etiam Presbyterum, oportet Fæminas quoque, ergo Fæminæ sunt Episcopi, ex mente Sancti Pauli ad Titum scribentis, vel potius ex mente Apostoli, Episcopi non sunt Presbyteri.

Sadael. ibid. Blondellus Apolog.

Titi Ep. 2.3.

Walo Messalinus de Presbyt. & Episc. 89. & 90 pag.

Larvatus quidem Salmasius nonnihil præter solitum, nodum hunc stringit, ex reciprocatione enim vocum eidem personæ tributarum, diversos non fuisse contendit Episcopum & Presbyterum, apud Sanctum Paulum, Qui enim Episcopus, idem Presbyter audit: & qui modo Presbyter dicitur, idem quoque mox Episcopus appellatur. Inter Diaconos autem & Episcopos, item inter Diaconos & Presbyteros, hæc, inquit, Ἀντιστροφὴ non reperitur, qui autem Diaconus fuit Episcopus aut Presbyter non dicebatur. Vehementer autem hîc fallitur, fallique nos cupit Salmasius. Qui enim Diaconus dicebatur, Episcopus, seu Apostolus dicebatur, non minus quam vice versâ, cùm impossibile plane sit, ut Episcopus sit Diaconus, & is Diaconus non sit Episcopus; quo ritu loquendi Presbyter & Episcopus termini sunt convertibiles, Si, (juxta Dialecticos) Aliquis Episcopus est Diaconus, Aliquis Diaconus est Episcopus.

Antonius Sadael de Legitima Vocatione Mistrorum. Titi 1. 5. Item Blendellus Apolog. pag. 3. Idem pag. 182

Fortius adhuc D. Sadael, (ubi supra) urget: *Illa* (dicens) *ad Officia spectant*, " *Hujus rei gratia reliqui te* " *Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per Civitates* " *Presbyteros, sicut ego disposui tibi. Quis autem nescit plures in una urbe Episcopos non esse debere?* Fuerunt ergo illi Presbyteri, iidemque apud Apostolos fuerunt Episcopi & Presbyteri. Quid autem hoc probat? Fuisse fortasse iis temporibus Presbyteros. Ergone erit consequens non fuisse Episcopos propriè dictos? Verùm multò sensui Apostolico magis est consentaneum, Presbyteros propriè dictos non fuisse hos dictos Episcopos; sed totius Civitatis Patres. At *plures in eadem civitate vetitum est Episcopos esse*. Quo autem, quæro, Jure? Num Divino, seu Apostolico? Nequaquam, sed purè Ecclesiastico, eóque non semper servato. Cyrillus enim Hierosolymitanus & Epiphanius tradunt Petrum & Paulum eodem tempore

Cyrill. Hier. Catech. 6. Epiphan. li. 1. Hæres. 27.

Eccle-

Ecclesiam Romanam virgâ Pastorali direxisse, Illum putà cœtum Gentilium, Hunc autem Judæorum Fidelium. Augustinus quoque (teste Paulino) ad majorem Dominici muneris gratiam novo modo est provectus, ut non succederet in Cathedra, sed accederet Episcopo Hipponensis Ecclesiæ Valerio. Memorat itîdem Beda, ut Augustino adhuc viventi, Laurentius Cantuariensis Episcopus crearetur; additque, *Exemplum sequebatur Primi Pastoris Ecclesiæ:* h. e. *beatissimi Petri Apostolorum Principis, qui fundatâ Romæ Ecclesiâ Christi Clementem sibi adjutorem Evangelizandi simul & Successorem consecrasse perhibetur.*

Paulinus Epist. 56. ap. Augustinum.

Beda Lib. 2. cap. 5. Eccles. Histor.

Hieronymum quod attinet, qui eundem Episcopum & Presbyterum fuisse asserit, priusquam Diaboli instinctu nascerentur in Ecclesia dissidia & Schismata, diceretur que, *Ego sum Pauli*, *Ego Apollos*, *Ego Cephæ*, *Ego Christi*, post tot doctissimas dicti interpretationes istius, superfluum fere esset multis agere. Dixit quidem Instinctu Diaboli orta Schismata, non distinctionem Ordinum Presbyteratûs & Episcopatûs factam, sed potius Digito Dei in remedium discordiarum introductam, eodem puta tempore, quo primùm suppullularunt ista Schismata: Apostolis scil. vivis & inspectantibus, & Ecclesiæ ædificationi & paci hoc modo consulentibus.

Quis enim D. Blondelli periodum orti hujus Schismatis, (de quo Paulus, & Hieronymus agunt) definitam ad annum Dom. 140. tulerit, nulla ratione, autoritate nulla probatam, nisi pondere suæ opinionis, & nominis Claritudine; Quid sit ipsi, *Vix idoneè probari*, planè nescimus, si Paulina diserta verba, Schisma atrox inter Corinthios natum, quo tempore ipse Epistolam mitteret ad eos, si Hieronymi non minus expressa verba de primis temporibus istis, non mero cortice (quod queritur Blondellus) sed sensu

D. Blondellus Apolog. pa. 3.

nativo accepta, si denique perpetua universarum Ecclesiarum praxis idoneam non ministret probationem communis sententiæ. Quæ si penitus deesset, Jus tantꝰ fidelium consensu, tanto temporis fluxu conquisitum confirmatumque, merito nos à sollicitudine figendæ probandæque Disciplinæ Catholicæ liberet; & postulet ut heri aut nudiustertius conceptam opinionem, idoneè ipsi probent: neque hæreant; neque ultima, primis; sacra, prophanis; humana, divinis; Calvinive, Christi Legibus commiscerent, quia Idonea desint argumenta antiquissimis traditionibus demonstrandis; ipsis interea temporis omni suorum dogmatum probatione planè destitutis.

Fuerunt fortasse primis omnium temporibus nulli simplices Presbyteri: sed quod optimè tradit Epiphanius, numerus Credentium quum esset exiguus, in qualibet Civitate, facile unus Episcopus cum Diacono suo totum Religionis munus absolveret; atque hinc contigisse, Apostolum scribentem ad Philippenses, Episcoporum & Diaconorum meminisse solummodo; nisi fortè rectius Ambrosius mentem Apostoli explicet (ille inquam Ambrosius qui sæpius laudatur à Schismaticis contra Episcopos, & pro Laico-Presbyteris) qui Episcopos illos & Diaconos non esse illos ad quos Epistolam dat Sanctus Paulus; sed eos, qui tum Romæ ipsi vincto adessent, salutarentque cum Timotheo Philippenses: ac si verba ejus hoc ordine legerentur, Παῦλος κ̀ Τιμόθεος δοῦλοι Θεοῦ —— σὺν ἐπισκόποις κ̀ διακόνοις, πᾶσι τοῖς ἁγίοις ἐν χριστῷ i. e. Paulus & Timotheus cum Episcopis & Diaconis, omnibus sanctis, &c. Nec desunt probabiles admodum conjecturæ hunc sensum confirmantes. Una sit: Quòd Epaphroditus qui, teste Theodoreto, Episcopus tunc temporis constituebatur Philippensium, Romæ cum ipso Paulo erat, nuperque ab Ecclesia Philippensi munera

Phil. 1. 1.

Ambrof. in Philipp. 1. v. 1

Theodor. Præfat. in Epist. ad Philipp.

munera Apostolo attulerat; ergo vix credi possit ipsum velle salutare Episcopum, quem præsentem habuit: Dein, Si ista salutatione compellasset Episcopos & Diaconos Philippis, inverso ordine primùm hos, quam omnes Sanctos, salutaret.

Quid verò fiat dictæ argutiæ, si plures Episcopos vel Presbyteros constitui in eâdem urbe, hic nullo modo præceptum sit ab Apostolo? Κατὰ πόλιν enim, Oppidatim, non exigit sensum istum, ac si qualibet in urbeculâ plures Episcopi fuissent, sed in singulis seu pluribus Civitatibus, multi. *Diaconi* (inquit idem Apostolus) *sint unius uxoris viri.* Ecqui præter impuros & insignes Nugatores hinc concluderent plures Diaconos unius uxoris maritos oportere esse ex sententia Pauli? certè scholion idem utrique textui præclarè admodum deserviat. Testatur insuper ipse Hieronymus in Matthæum, Apostolos per singulas Provincias Presbyteros & Episcopos ordinasse: & Adversus Luciferianos, Ecclesiam non esse quæ non habet Sacerdotes. Quod paulò aliter Clemens Alexandrinus asserit, Ἀ δ' ἔτι Ποιμένος ὑπὸ πρόβατα: Quæ penitus Bezæ definitionem destruunt, Ecclesiæ, ad quam solùm postulat, ut Jesum Christum agnoscant Servatorem; imperitè valde, & insulsé. Parilis omnino loquendi formula Scripturis usitata, argutulos sciolosque hos ridendos magis quam credendos monstrat. Nam in ista populi Israelitici Ordinatione (de qua Deuteronomio Legimus) *Tulique* (inquit Moses) *de tribubus vestris viros, &c.* Quis tam vecors est ut existimet plures Decuriones Decadi uni, plures Centuriones uni Centuriæ, vel Pentecontadi uni, plures Quinquagenarios.

1 Timoth. 3. 12.

Hieronym. Com. in Mat. cap. 25. v. 26.

Id. Advers. Luciferian. cap. 8.

Clem. Alex. Παιδαγ. κ. δ.

Deut. 1. 15. Vid. Seld. Syned. 1. c. 15.

Huic argumento à testibus, solent adjungere aliud à ratione petitum. Aiunt enim Authores *Juris Divini, &c.* cum aliis innumeris, Presbyterum posse

ordinare Presbyterum, ideoque nihil sibi proprium vendicare debere Episcopum supra Presbyterum. Sic scil. soliti sunt disputare, ut aliquando statuant Presbyterum penes esse ordinare Presbyterum, quia reverâ idem est Presbyter qui Episcopus: Aliquando autem è contra, Presbyterum nulla Ecclesiastica facultate ab Episcopo secerni, quia ipsi etiam non minus competit quam huic ordinare alium: Nec desiderantur verba Scripturæ quibus vertiginem suam ornent. S. Paulus enim ad Timotheum hâc utitur hortatione, *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Hem, inquiunt, Presbyterium. Presbyterium autem quid aliud sit nisi plurium Presbyterorum consessus? A Presbyteris ergo Timotheus est consecratus: Sic illi. Et tamen omnium ignorant, utrum ipse Ordo Presbyteratûs, an Senatus Presbyteralis eâ voce denotetur. Beza quidem adversus Seraviam (quem hac in causa Presbyterizantes nostri sequi mallent) rem ipsam clamare scribit, Synedrium ipsum innui Presbyterorum. Magnus autem Calvinus priorem sensum germanum existimat. In Institutionibus enim Paulina verba illa manifesta trutinans, quibus nihil luculentius patet quam Pauli solius Chirotoniâ Timotheum fuisse Ordinatum, viz. "Propter "quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei "quæ in te est, per Impositionem manuum *mearum*, subjungit, *Quod in altera Epistola de impositione manuum dicitur Presbyterii, non ita accipio quasi Paulus de Seniorum Collegio loquatur, sed hoc nomine, ordinationem ipsam intelligo, quasi, &c.* Sic ibi. In ipsum autem textum ancipite videtur fluctuare sententiâ: Veritatem scil. prorsus obtegere non potuit, quam tamen non leviter Machinæ suæ adversari satis perspexit. Hæc quum primum Sacrorum glossemata textuum apud ipsum

1 Tim. 4. 14.

Beza Advers. Serav. ca. 22.

2 Timo. 1. 6.

Calvin Institut. lib. 4. cap. 3.

Id. in locum Timoth.

ipsum Authorem legerem, non attendi Locum in *Institutionibus*, posteriorum Cogitationum ejus fuisse prolem: post autem utriusque Scholii memorem, Seldenum id observasse vidi: & insuper fusè docteque disputasse in confirmationem hujus sententiæ, quem prætereo, aliis suo arbitrio consulendum. Seldenus de Synedriis, lib. 1. cap. 14. pag. 582.

Et Clarissimus Apologista, qui (ne quicquam ignorasse videatur, quod ad thesim suam ornandam faciat, quocunque sit illud modo) solet non rarò doctrinâ suâ fere invitus causam suam subvertere, ubi pro Hieronymiana opinione (uti amat loqui) ex formulis Antiquis disputat, & præsertim ex voce hac πρεσβυτέριον; probat ex Clemente Alexandrino, Origene, Cypriano, Synodo Ancyrana, aliisque viris inter Priscos spectatissimis, iis sæculis, vel pro Concione Episcopi cum suis Presbyteris, vel pro plurium Episcoporum in concilio collectorum cœtu usurpatam fuisse olim: quod verò unicè viro Docto incumbebat, nim. sumi aliquando ab antiquis pro simplicium Presbyterorum distincto consessu, ne tentatum, ne in animum semel venisse videatur. Cui autem proclive non sit ingentia volumina condere, innumeros testes citare in causam conclamatissimam, si nulla cura, delectus nullus eorum quæ pro, vel contra faciant thesim suam, adhibeatur, quod creberrimè Blondello accidit; Ne verò statim desereret causam, argumentave, quæstione nova petit. *Si jure divino depressis Presbyteris supereminebat Episcopus, Quî factum est, ut à subditorum turba, (tanquam ἀναπόδεικτῳ quodam corpore) nomen sacer quisque consessus sortiretur? Debuerat sanè non à Presbyteris ἀρχομένοις, Presbyterium, sed à Capite Præsidente Episcopium dici.* Hallucinatio gravis, multiplexque. Quod enim supponitur falsum est: scil. à Presbyteris Presbyterium appellari, iis scil. quales Posteriora secula tulerunt, simplicibus, & Ibid.

Episco-

Episcopali dignitati contradistinctis: sed ab ipsis Episcopis vox illa est ducta, qui nomen illud primò præoccupârunt (ut notum est) & postea consortibus aliqua ex parte functionis Ecclesiasticæ transtulerunt. Neque enim Episcopi à turba illa, quam intelligit Blondellus, nuncupati sunt Presbyteri, sed turba illa Clericorum ab Episcopis mutuata illud est. Ratio ergo Quare non *Episcopium* (si fas sit ita uni Blondello loqui) dictus esset ille consessus seu Senatus, sed *Presbyterium*, inde proculdubio est, unde Concilium Romanorum *Senatus*, non à fæce Vulgi, (quòd plures essent ibi Senes) sed à conditionibus Senatorum, qui & ipsi Senes essent, nomen sumpsit. Nam non tantum Apostolici Pastores Patresque Ecclesiæ, sed ipsi quoque Apostoli Presbyteri nuncupabantur.

Liceat autem mihi, pervelim, à novis his doctoribus percontari, An vel minimum usquam vestigium, vel volam, per universam reperierint Antiquitatem, unde modestè quis conjiciat, Inferioris Ordinis Quempiam potuisse in Superiorem aliquem promovere: nim. Presbyteros Episcopum, vel (ut amant altercari) Evangelistam creare? Quo jure ergo Presbyteri Timotheum ordinasse dicantur? Ad hæc, si sponte largiamur, quod nulla necessitas exigit, quòd à Presbyterio ipso Timotheus præponeretur Ecclesiæ Ephesinæ, Episcopi seu Præsidis istius concilii nullo modo labefactaretur Potestas. Nam quod sua sola autoritate statuerit Princeps, Concilii ejus secum trahit pondus: & quod Episcopus solus fecerit, toti Cleri consessui non infrequenter deputatur. Porro, per suppositionem gratuitam, detur, quod nulla vi aut arte evincere queant, Presbyteros olim æquales omnimodo fuisse Episcopis, & integram sortitos fuisse potestatem Clavium quam possident Episcopi, secundùm institutionem Christi, vel Apostolorum;

ſtolorum; Itane fuerunt variæ iſtæ Clavium poteſtates conjunctæ, ut nulla arte dividi invicem poſſint? Nonne in muneris partem Sacerdotalis admitti quis poſſit: ita ut ei jure ſit conceſſa facultas Prædicandi, non autem Conſecrandi Euchariſtiam? vel Prædicandi & Conſecrandi, non tamen Vocandi alios ad Miniſterium? Quidni & ſacris accidat quod in Civilibus nulla non die cernitur? Dux enim Ducem, & Proconſul Proconſulem non poteſt creare: Quare impoſſibile ergo ſit ut talis creetur Presbyter, qui nulla ſit poteſtate Legitima præditus alterum ordinandi, quamvis ab initio non fuit ſic? quomodo nec Diacono fas juſve ineſt ordinandi Diaconum. Simpliciter inſeparabilia munera miniſtrandi, & creandi Miniſtrum, quâ ratione rectâ aſſeri poſſit, minimè poſſit conſtare. Fortaſſis dicetur in gratiam Presbyterorum, A Chriſto ipſo utrumque conceſſum Preſbytero, & proinde non debere divelli. At jam non de Jure, ſed de Facto laboratur: An fieri ſimpliciter, non, An rectè fieri poſſet. Reipsâ negatam prorſus Presbyteris iſtam facultatem clariſſimè demonſtretur, tam ex formâ Chirotoniæ in Eccleſiâ per longiſſimam Annorum ſeriem receptæ, quæ nihil hujuſmodi in ſe complectitur, quàm ex Intentione Ordinantium quæ nulla unquam fuit Presbyteros Epiſcopalis iſtius muneris conſortes facere. Nec quicquam hîc proderit dixiſſe, ſacrilegè hoc geſtum ab Epiſcopo, quod quæ Chriſtus conjunxit, dividit: Sive enim jure, ſive injuria, iſtâ ſit ſpoliatus quis poteſtate, eo ipſo impar omnino redditur tam celſo effectui: & ſi externè quid ritu Ordinantium tentaverit, nullus alius inde conſequitur effectus præter labem ſuâ temeritate contractam & noxam Prophanationis Sacrorum Rituum.

Vidit hoc infauſtus Salmaſius, & ubi animus &

scopus essent omnia perdere & confundere antiquioris Hierarchiæ, Novam Anierarchiam Puritanorum, tendens arcum in incertum & sagittam dirigens, casu percutit inter Pulmonem & Stomachum: his verbis. *Episcopus ordinabat Presbyterum, & Presbyter Episcopum.* [Hæc fatemur, quantum valet viri nuda assertio mercede Puritanorum ad scribendum conducti, contra nos. Quantum vero Pugilis amici vulnus contra suos, sequentia valere arbitramur, viz.] *Ubi distingui Ordines & gradus capti sunt, atque Episcopus major extitit Presbytero, tum Ordinatio non potuit utriusque esse communis.* ——— *Non potuit minor Ordinare majorem.* Si verò præter Christi & Apostoli mentem, dispositione Ecclesiastica ordines emerserunt distincti, ex indistinctis, adeo ut intrincecum istud jus Presbyteris auferretur, nullumque postea fieret: An non & pares nunc ordinandi eâdem operâ, (vel si malint Tyrannide) iis penitus intercidat, Episcoporum, ut actu omnino ea spolientur, Potestas? Nemo enim ordinationis expers potuit olim quempiam ordinare. Presbyter, inquit Walo iste Massalinus, dum pari ordine esset cum Episcopo potuit ordinare. Sed posterioribus sæculis, fatente ipso, longo intervallo ordines isti sunt manentque adhuc determinati; & propterea ista facultas Ordinandi indivisa utrique non potuit communicari. Unde ergo potestatem illam nuper emendicarunt Presbyteri?

Jus Divinum Minist. Anglicani.

Ad illud verò argumentum quod Papistis dextras injungentes Puritani addunt, paucis respondendum: *Non est*, inquiunt, *Altius quid in Sacris quàm prædicare Evangelium & Eucharistiam consecrare.* E. *Altior non est gradus Episcopalis Presbyterali, ad quem ista non minus quàm ad illum spectant.* Qui autem potest majus, h. e. Sacramentum Altaris celebrare, potest minus, h. e. Presbyterum ordinare. Difficile verò non erit hunc

nodum

nodum dissuere dicendo, Valere istiusmodi illationem in rebus subordinatis seu ejusdem Generis, non in Coordinatis. Ordinare autem & Prædicare, & Elementa in Corpus Domini & Sanguinem consecrare, sunt omnino disparis generis; distinctisque jugiter actibus & formis communicari solita. Quemadmodum ergo potest, quod nobilius & altius scil. Ratiocinari, non tamen potest quod minus est, Volare; possit pariter Presbyter Eucharistiam peragere, non tamen proinde Presbyterum consecrare. Porro, Effectûs dignitas non semper Causæ Præcellentiam arguit. Legitimi enim conjugii effectus qui est Liberi, natura sua multò est præstantior quàm Litibus forensibus finem imponere, ex officio. Non tamen hinc rectè concluditur celsioris ordinis illos actus esse, quam hos; siquidem illi propriè sunt Animales, hi Rationales. Neque sequitur penes quem illi sunt, hos quoque esse. In Sacramentis Eucharistiæ & Ordinis (ut cum vulgo loquamur) arbitror distinguendum sensum Mysticum à sensu Politico; seu actum Jurisdictionis ab actu Virtutis. Sensu Mystico celsius est Consecrare Eucharistiam, quam Presbyterum, Politico autem, non item: diversi ergo cùm sint generis pessimè & Sophisticè inter se conferuntur, contra Leges Dialecticæ, & sanæ Theologiæ.

Et ipsi sane Pontificii haud aliter rationem hanc solvunt factam pro potestate Laicorum consecrandi Eucharistiam. Nam communicare, seu participem fieri Corporis Christi, multo est dignius quam consecrare: Cùm ergo *Laicis*, quod majus est, concessum est communicare, iis jure competit quod minus est, consecrare. Respondet Biel ex Alexandro Alensi, *Etsi communio sacra sit major in effectu Sanctitatis & Gratiæ quam confert dignè suscipienti; Consecratio tamen est major in excellentia sive autoritate potestatis: unde magnitudo hæc* Biel Lect. 5. In Can. Missæ

Pp 2 &

& illa non sunt ejusdem generis, & ita nec magis nec minus. Et propter hoc non sequitur, quod qui potest in hoc quod majus est, potest etiam in illud quod minus est: sicut lucere excellentius est quam calefacere, nec tamen quicquid potest lucere potest calefacere. Instantia est de Luna. Hæc Biel. De mobili, obscura & sacrilega in hac controversia Ecclesiæ Romanæ sententia, quid pluribus agam, qui omnia paucis absolvenda mihi decrevi? Rectè sanè & diligenter D. Blondellus ambiguas voces oraculi istius collegit, notavitque: inter quas Jacobus Lainezius Generalis Jesuitarum, Cedro dignâ distinctione cellulis Collegiatis cusâ, multo labore & arte toti orbi inclarescere meruit: & hoc modo litem diremit, subtilius, an stultius penes alios sit judicium. Definit vero *Episcopos Ordinatione divina esse, non Jure divino.* O egregium hominum post Phanaticos nostros illuminatissimorum acumen! O potius versatile & insidiosissimum ingenium; qui eò imprimis animos attendunt, ut affirmandi & negandi, elabendi & defendendi quæstiones arduas, pro tempore fortunaque faventibus aut novercantibus.

Ad argumentum ergò à Chorepiscopis sumptum proximè transeamus. Hi, inquiunt, Presbyteri quum essent, Presbyteros sacris ordinibus insigniisse leguntur. Sed multiplici hîc errore falluntur. Primò, quòd supponunt omnes Chorepiscopos Presbyteros fuisse, & præterea nihil. Arbitratu enim Episcopi Civitatis primæ delecti, & in partem sollicitudinis suæ & Jurisdictionis assumpti, ampliorem vel exiliorem potestatem accipiebant. Et nonnullis facultas ab Episcopo ordinationis est indulta, aliis negata. Rectè enim in Epistola Damasi nomine gaudente dicitur, Ordinem istum non habere autoritatem in Divinis Literis. Et Canone 54 Concilii Nicæni

Epist. 5. Damasi.

Concil. 1. Nic. 54.

cæni præcipitur, (juxta Arabicum exemplar) ut super Chorepiscopo recitaretur oratio consueta, & ab Episcopo benedicantur, nominaque ei traderentur omnium Ecclesiarum & Monasteriorum, quæ curæ suæ concrederentur. Secundò, notandum, non rarò irrita facta esse ab Episcopo vero, quæ ab improprio hoc constituebantur. Tertiò, ne latius in hac quæstione sermo evagetur, placet huc adducere quæ nuper à Petro Marca sunt observata. "Hæc erit "certissima regula, Chorepiscopatum esse Ministeri-"um, cui Presbyteri & aliquando etiam Episcopi "admoventur. Chorepiscopatus est Ministerium ad "levandam Episcopi sollicitudinem.—— Accide-"bat aliquando ut Chorepiscopatus conferretur ali-"cui Episcopo vacanti, qui jam aliunde Episcopa-"lem consecrationem accepisset. Distinctio patet ex "8. Canone Concil. Nicæni.—— Hæc ille, quibus in lucem educuntur multa antiqua tenebris involuta, & diluuntur dubia Neotericorum.

Petrus de Marca de Concord. Sacerdot & Imperii lib. [illegible]. cap. 13. Sect. 3. & 5.

Et clarè Quæstioni satisfit D. Blondelli qui post citatos Canones Nicæni 8; Chalcedonensis Concilii 1. de Chorepiscopis, petit: "Si eandem cum "Presbyteris, quibuscunque formam gestabant Cho-"repiscopi; imo nihil præter Presbyterium conse-"quebatur Chorepiscopatu donatus, quid necesse "erat indistincta à se invicem distinguere? Sed "Chorepiscopatum ab Episcopatu & Presbyterio "utraque Synodus secernendum putavit, ut diversos "tum receptos gradus nemo misceret, Episcopi nim. "in ipso velut apice constituti: Chorepiscopi inter "Episcopum & Presbyterum medii; Presbyteri non "modo Episcopo, sed etiam Chorepiscopo minoris. Duo hic videntur Virum Doctiss. tenuisse perplexum, & in errorem traxisse: Primum quod crederet unius semper fuisse, ejusque distincti Ordinis Chorepiscopum,

Blondel. Apolog. p.122.

pum, ab Episcopo vel Presbytero: quum pro arbitrio Episcopi, nunc Episcopali Charactere nunc Presbyterali donati essent. Secundum, quòd posito, quòd essent medii inter Episcopum & Presbyterum, continuò diversi sint statûs ab utróque. Neque enim Archidiaconus aut Archipresbyter diversi sint ordinis, ab Episcopo & Presbytero, licet medio consistant loco inter utrumque. Et revera ita cum Chorepiscopis fiebat, ut quandoque ipsam potestatem Ordinandi acceperint ab Episcopo, quandoque verò solo Presbyteratûs ordine instructi acceperunt curandi aliquam partem Gregis, potestatem; negato jure & facultate Ordinandi: Nam si esset aliquis distinctus in Ecclesiâ ordo, vel Gradus necessarius, antiquiorem ducerent Originem, quàm quæ in monumentis Ecclesiæ extat, & nullis Ecclesiæ legibus damnatus excinderetur: & quod amplius esset, non minus in Occidentali quam Orientalibus Ecclesiis, viguisset. Sed contra evenit (quod doctè admodum ab ipso Blondello est observatum, nim.) *vix uspiam in Occiduis regionibus Chorepiscoporum usum aut mentionem extitisse:* utcunque idem alibi, nescio qua inconstantia, asseruit, *Gallicanas Ecclesias semper habuisse Chorepiscopos suos.*

Id. ibid. pag. 132.

Id. Prolegom. ad Pseudo-Isidorum, cap. 5. pag. 23. Blondellus Apolog. pro, &c. pag. 163.

Fortius adhuc nos constringere videntur Testimoniis tam Pontificiorum insignium, quam Theologorum nostræ Ecclesiæ, qui tam scriptis quam praxi asseruerunt Presbyteris potestatem Ordinativam; extremâ saltem necessitate exigente. Quibus hactenus ego assentior, Licere scil. Fidelium cuivis gregi omni Legitimo Ministerio destituto, aliquem ex Laica conditione deligere in Evangelii annunciationem, & cohortationem ad mores pios. Ad Sacramenta autem tractanda, quî ausim ego similiter affirmare, quum Lutherus & Calvinus & Perkinsius disertè

scribunt

ſcribunt irrita omnia eſſe Sacramenta quæ à Legitimo Miniſtro non peraguntur? ne Baptiſmo quidem excepto. Dari autem poſſe iſtiuſmodi neceſſitatem, quâ à non Miniſtris fieri poſſint Miniſtri Legitimi, vel à Miniſtris abſque Legitimâ poteſtate & ordinaria, creari, Ordinarique, nondum à Scripturis, aut traditione Eccleſiarum ſcrutamine diligentiſſimo inveſtigare contigit. Quantæ autem extremæ neceſſitatis, quas deprædicant nonnulli, vires ſint, utinam tandem pacato commentario explicent hi doctores. Anne quod (ſaltem mihi videntur) affingant ſubſilire ſtatim poteſtatem extrema neceſſitate laborantibus, novam, & quæ nequaquam prius ſubeſſet, quàm neceſſitas accideret? Nihil equidem vanius excogitari poſſit. Qui ergo ſimpliciter abeſſe facultatem ordinandi Presbyterum, à Miniſtro docet; quo pacto ab urgente neceſſitate infundi aſſentiet? Neceſſitas enim nòn ſimpliciter nova inſtruit quempiam poteſtate, ſed impedimenta externa tollit tantùm: & illud Axioma, quo in hac cauſa ſophiſtæ abutuntur, ſcil. *Quod fieri non debet factum valet*, nullum omnino locum habet, ubi de prima potentia dubitatur; &, An effectus revera, vel ſictè duntaxat ſit. Negato igitur tam Miniſtris conſecrantibus poteſtatem ineſſe, quàm productum aliquem effectum, Quorſum vano ſtrepitu aures noſtras verberant prædicti Canonis, & *validè factum* contendunt, quod nos *ne factum* quidem eſſe affirmamus, nec iſti demonſtrant.

Hic ergo pulchrè & præclarè Blondellus fatetur, nec conſenſum Epiſcopi poſt factum, quidquam valere, *Si Presbyteri nihil ordinatis à ſe Clericis conferunt, nihil ex eorum molimine ſequitur quod ratum eſſe poſſit: Quis enim quod in ſe, & per ſe nihil eſt, ratum haberi aut aliquid per Epiſcopi conſenſum fieri poſſe putet?* Hæc, inquam, Blondel. Apolog. Sect. 3. pag. 167.

quam, pro nobis apertè, qui Presbyteros (quos Secundi ordinis appellant) simpliciter carere potestate creandi Presbyteros statuimus: Quæ verò sequuntur pro se nihil valent. Nimirum quòd Leo Magnus, certis conditionibus interpositis, permisit istas convalescere Ordinationes à Pseudo-episcopis factas, quas Nullas prius decreverat. Nam primò Pseudo-episcopi isti, quos intelligit Leo, nequaquam meri erant Presbyteri, quod petit & supponit D. Blondellus, sed re ipsa Episcopi; Falsi habebantur, quia Schismaticè creati contra fundatissimas Ecclesiæ Leges sunt: & Catholicorum quorundam Gregibus superimpositi: & *neque Electi à Clero, neque à Populo expetiti* (uti Leo ipse loquitur) Cathedram Episcopalem occupaverant. Nullas ergo decrevit, quia nullus in Ecclesiâ locus iis debebatur: validas rursum, ubi secundùm leges Ecclesiasticas coacti postea erant in ordinem,& Sede legitimè vacante,& Ecclesiæ pace, ne summum jus Canonum Ecclesiasticorum ab iis exigatur, postulante, Pastorali potestate postea sunt donati. Qui enim à reali Episcopo Schismaticè est Episcopus ordinatus; est quoad Jurisdictionem Pseudo-episcopus: quoad ordinem ipsum verus. Ad illa autem quæ ex Altisiodorensi, 4. Tract. Qu. 1. attulit Blondellus, viz. *Si non essent in mundo nisi tantum tres simplices Sacerdotes, oportere, quod aliquis illorum consecraret alium in Episcopum, & alium in Archiepiscopum;* parum anxii respondemus: Factis ejusmodi suppositis unde Ecclesia à Christo deserta intercideret, veluti Casu dicto, non solum Presbyteris, sed & Laicis Licere Episcopos, & Archiepiscopos suo modo creare: Imo tum fere nihil non licere, contra Jura divina olim vigentia, tum vero abolita & extincta. Etiamnum licere existimem, si mundo nulla Christianæ Religionis vestigia superessent, cuivis novam pro suo

Blondel. Præfat. ad Apol. pag. 60.

ſuo arbitrio Eccleſiam fundare, & diſponere. Quid hoc ad nos?

Ad teſtes Scholaſticos autem expedita erit Reſponſio, Ipſos immani errore abreptos Sacramenti Altaris, diſtinctum nolle eſſe Ordinem Epiſcopalem ab ordine Presbyteratûs, verùm univerſos Ordines Miniſteriales ſine ingenio, non tamen ſine Joco, definiunt metiendos in ordine ad Conſecrandum: Conſecrationem ergo Elementorum, ſummum Religionis Apicem falſiſſimè ſtatuunt; niſi adhibita cautelâ ſuperioris diſtinctionis, de Myſticâ & Politicâ Poteſtate. Sanctioris ordinis ſit Euchariſtiam conſecrare, Celſioris autem Presbyterum vel Epiſcopum conſecrare.

Ad noſtros ſanè pleroſque viros graviſſimos, licet invitus (neceſſitate ſuadente) reſpondeo, Apertè fatendo in eam incidiſſe ſententiam humanis affectibus inclinatos in Reformatas aliquas Eccleſias, quæ non aliter inſtituerentur quam à Miniſtris, vel ultroneis vel ad Miniſterium vocatis ab hominibus ejuſdem ſortis. Quem animi affectum, & judicium, plus quam Charitatis, an Divina Providentia in noſtram ulta non ſit Eccleſiam, ejuſmodi miniſtris irrogantibus, animi pendens ſoleo eſſe. Peto verò ab æquis arbitris, An ubi manifeſtis affectibus tulerint homines ſententiam, tanti ſit æſtimanda; quanti illa quæ à mente libera ab ejuſmodi librationibus. Duplici autem motu vel omnes, vel ſaltem plurimos agitatos hâc in cauſa fuiſſe doctores citatos, illo ſcil. quo clementiùs in alias Reformatas Eccleſias, hoc vero, quo in hoſtes Romanos, quibuſcum lis erat, ardentiùs ferebantur, vix puto facile reperiri ex ipſis Sectariis, qui deneget. Semper tamen habuit Eccleſia noſtra Egregios viros, qui contrariâ fuerunt ſententiâ.

Q q Dico

Dico ergo aperte totum; Cujus hoc unum instar plurium, indicium sit certissimum: quod laudatissimus inter Puritanos Traversius, qui ritu solummodo Belgico Minister factus, ingenti animo & præsidentiâ, sacra in nostra Ecclesia tractavit, & Clarissimorum quorundam Virorum favore constitutus Prædicator Hospitio Causidicorum Templariorum Londini, (ubi continuis jurgiis doctissimum & modestissimum Virum Hookerum divexavit) Pastorali curâ & vigilantiâ Reverendissimi Whitgifti dies ei dictus est in curia dicta vulgò *Summa Commissionis*, cujus pertimescens censuram, Consilium Reginæ appellavit, spe allectus judicum faventiorum; sed ubique damnatus hoc potissimum capite, quòd Legitimis nullis initiatus ordinibus esset, à prensato munere excidit, & in Laicalem gradum redactus est. Huic exemplo opportunè addi possit judicium Ecclesiæ Nostræ à Viro longè doctissimo Montacutio, his verbis. *Hoc ipsum Officium & minus in Ecclesia sive Apostolicum, sive Sacerdotale, adeo est de necessitate salutis ordinariâ, ut sine altero alterum esse nequeat. Non est Sacerdotium nisi in Ecclesia. Non est Ecclesia sine Sacerdotio. Illud autem intelligo per* χειροθεσίαν *Episcopalem ordinariam. Neque enim attendendam censemus Extraordinariam, seu Vocationem, seu* καθηγησίαν; *nisi miraculosam. Oportet omnino miraculis agant, & suam confirment functionem signo aliquo, qui non ab Episcopis derivatâ ab Apostolis, per successionem, institutione, in Ecclesiam inducuntur, sed vel orti à se, vel nescii unde intrusi sese ingerunt. Nam quod prætendunt, ordinariam vocationem retinendam, adhibendam, eique adhærescendum nisi in* Casu Necessitatis, *absurdum est, & suppositioni innititur impossibilitatis. Neque enim talis aut extitit aliquando, aut contingere potest. Nisi fallat nos Dominus, qui promisit, "Portæ inferorum non "prævalebunt. Ecce sum vobiscum ad consummationem "mundi.*

Montacut. Orig. Eccles. cap. ult. §. 19.

" *mundi.* Hæc & plura quæ huc facientia sequuntur, ex mente nostræ Ecclesiæ apud authorem laudatum, cuivis videre licet, diserte & deditâ operâ ab ipso posita, ne eorum è numero esse videatur quos D. Blondellus ex nostris, scil. Seravia, Downamo, Fieldo, & Mortono, testes aliqualis potestatis Presbyteris inhærentis, filios Presbyteros generandi, necessitate impellente: item ex Guilielmo Antisiodorensi, Goveano & Fitzaro. Nec moranda putem convitia & inconditos clamores Puritanorum qui superstitione Papali infectum prædicârunt, nulla alia ratione inducti, quàm quòd passim ipsorum deliria & superstitionem insectaretur. Quæstionis itaque caput, minimè tenuit eruditissimus Blondellus, ubi immeritò, ut sæpe aliàs Doctissimum Bilsonum refutare satagit, quod rectiùs multò quam Fieldus noster antiquitatis mentem explorans, scripserit, *Actum Presbyterorum unà cum Episcopo manus imponentium ordinandis, ritum potius ad rem ipsam minus pertinentem, quàm ad rei formam essentialem; & ut eo, assensum præbeant.* Ait quidem extremâ fidentiâ, *Contrariam totius antiquitatis praxim fuisse:* sed fallacibus specillis usus, & argumentis à conclusione tali diffitissimis. Haud pauca equidem congessit ex Veteribus, quæ nihil amplius probant quam assensum & assessionem Presbyterorum Jure Ecclesiastico antiquo exigi: eo autem fine, aut gradu necessitatis postulari, ut paris sint virtutis cum Episcopo, nihil invenit, nihil protulit diligentissimus antiquitatis perscrutator Blondellus. Manet ergo inviolata adhuc Ecclesiæ consuetudo prudentissima, neque prorsus repellentis, neque indiscriminatim requirentis manus Presbyterorum in ordinatione. Imo ne hoc quidem allegata directè probant: sed potius Episcopum Clero & Populo circumfusis, deligi oportere: & Presbyterum Clero præsenti ordinari:

Blondel. pag. 354, 355.

Bilson de perpetua Eccles. Gubern. c. 13.

Blondel. Apolog. pag. 327.

dinari: quam tamen Cleri præsentiam, utilem sanè, & usitatam, in Presbytero ab Episcopo ordinando, tam simpliciter fuisse necessariam, ac velit Blondellus, nulla autoritate affirmat. Sed gravius adhuc peccat populi Electionis Presbyterorum advocatus: qui si forte contigerit præsens tali fuisse Solennitati, profectò id casui potius quam Ecclesiasticis Legibus imputandum esset. Inadvertentiâ ergo supinâ hæc verba præcipitasse Virum rectius intus judicantem,
Id. pag.343. non dubitem, *Absolutè nemo* [Episcopus] *quos voluit sublegit, sed quos Cleri Plebisque concors judicium probavit: prout pluribus anteà ad oculum demonstravimus:* Locus qui hîc innuitur alius (quod sciam) nullus reperitur quàm qui supra memoratur. Illum verò nonnihil faventem Cleri suffragio in constituendis Episcopis agnosco; ne verbulum autem ex antiquis apparet quo jus Plebis adstrueretur in eligendis aut creandis Presbyteris. Dignum ergo qui Clarissimum Bilsonum severissimis censuris passim insectatur, existimem qui & ipse ad rigidum vocetur examen Blondellus, sed nostrum nequaquam patitur Institutum. Id modò hic meritò culpandum in ipso nemo non judicet, quòd eodem ingenio, quo quodvis tuberculum in montem statim crescere contra adversarios satagit, humi suæ opinionis demonstrationes serpere sinit, & facile contemni. Nam unde tandem illud tam crebrò usurpatum, & petitum, dederit nobis
Id. pag.347. vel leviter probatum; *Non solus,* i. e. *sine Presbyterii autoritate ac judicio, solo suo jure fretus* [*Episcopus*] *ordinavit; sed communi Cleri* (*cujus judicium ac consensus præcesserat*) *nomine ac delegata potestate?* Episcopo soli (Legibus Ecclesiæ inhibentibus) integrum non fuisse absque Cleri consilio & suffragio, ordinationes instituere, non illubenter concedimus; Potestatem autem ipsam à Clero aut Presbyteris Sacerdoti summo delegatam

delegatam aut concreditam fuisse, tam toti rationi & Antiquitati est repugnans, ut nunquam satis Viri celeberrimi inverecundiam demirer, qui tam sæpe & multiplici Parenthesi intrudat inculcetque; & nesciret ulla specie vetustatis tam absurdam turpemque thesim colorare: contentus opinor eodem haurire fonte, quo Reges & Principes Politia Presbyteriana ortos deprædicat, populo scil. & quia ipsi optimum est inde omnem autoritatem primum promanare, nullo scrupulo aut hæsitatione ita de facto esse, in Ecclesia quoque esse statuit. Quare vero Vir doctus toties insinuat, tam nudum & crassum profitetur errorem, qualis iste est, *Presbyteri assistendo Episcopi ordinantis factum comprobaverunt, eique velut testes accesserunt, quia in id ipsum latis suffragiis jam antea potestatem contulerunt:* & nullam assertionis suæ rationem ex universa historiâ Ecclesiasticâ, quâ proculdubio (si quis alius) eminuit, indagare vel indigitare potuit, præter illam quæ non minus Laici vulgi delegatos probet; scil. quia latis suffragiis tam populi quam Cleri, Personæ sunt electæ, nulla omnino factâ mentione de potestate donatâ? Inolitus verò jamdiu invaluit apud nonnullos (qui dispendio aliorum gaudent grandescere, sua saltem opinione) error, ut quam non negent aliis autoritatem, dedisse se venditent. Num fortasse quâ hic, & sæpe alibi abutitur illatio rem confecerit? Πειϑόντος *Bilsonus* (mihi seriò, etiamsi ipsi fortassis joco dictus) *nobis*, inquit, *ultrò quicquid volumus largitur.* Quî verò Deo impropitio, ipsoque improvido tam funestum toti operi ejus eruditissimo verbum oris transvolavit sepimentum? Quodnam illud tandem aliquando sit? Hoc nimirum: *Canones soli Episcopo ordinationum curam demandârunt: & ab eodem pœnas repetierunt.* Hinc optimus alienarum præmissarum conclusionis Faber Blondellus

Ibid.

dellus, confertissimâ nostrorum Sectariorum turbâ
Apol.pag.248 ἐδὴν ὑφαιῦν acclamante, colligit: *Quicquid igitur præ aliis Presbyteris potestatis habet Episcopus, à Canonibus habet:* quos, *Novellas & Ecclesiasticas regulas jamdudum vocavit Hispania*, &c. Ast nunquam, oro, antea auditum Viro doctissimo fuit, Legibus & Canonibus, perspicuitatis & roboris causâ, non simplicis constitutionis, multa tam in Repub. quam Ecclesia niti? Soláne Canonum autoritate vetitum Sacerdotibus est furari, mœchari, occidere, vel Christianis, quia Canones prohibent? Ecquis mediocriter versatus in antiquis moribus legibusve Ecclesiæ ignoraverit infinita occurrere quæ Lege Naturæ, Lege Civili, Lege Divina damnantur obscurius aut levius, eadem accedente Ecclesiasticorum institutorum vigore & rigore à Christianis, præcipue Clericis exigi, vel in iis gravius plecti? Immanis ergo ista conclusio ex præmissis nihil tale fundentibus, oblæsam potius præjudicio rationem & vacuum candore pectus probat, quam eminentissimum Episcopum, causam vel turpiter deseruisse, vel stolide prodidisse.

Blondel.Apolog.§.3.p.163 Vanæ ergo sunt D. Blondelli conjecturæ seu argumenta negativa, quibus adnititur demonstrare Anglicanam Ecclesiam Presbyterorum potestatem agnoscere ordinandi Presbyteros, quia scil. *Nec Confessio, nec Apologia, nec Catechesis, nec Liturgia, nec ordinandi forma à quoquam exigat, ut vel admissum antiquo usu inter Presbyteros & Episcopos discrimen, jure ullo divino niti, vel penes Episcopos solos ordinationum, aliarumque Ecclesiasticarum functionum potestatem esse debere credat.* Respondetur enim, Primò nulla necessaria ratione concludi à Negatione, de opinione Ecclesiæ Anglicanæ, quòd idcirco ratas habuerit ejusmodi Ordinationes, quia nihil publicis Formis in contrarium tradidit; sed potiore jure hinc sequitur, minimè probare, quòd neque in

in Liturgia, neque in Canonibus, neque in Constitutionibus, neque in Catechismo, (adde) neque in Decretis Civilibus extiterit ulla nota consensûs in istiusmodi Ordinationes: quinimo hodie post perruptos omnes pietatis, charitatis, unitatis, & modestiæ limites, à Presbyterorum conjurata manu, utriusque potestatis censura, ejusmodi damnata est opinio & praxis. Præterea, Statue nihil ad hunc diem ex Ecclesiæ Anglicanæ consultis potuisse produci contra Presbyterorum istam ordinationem, (scil. quâ Anglicana & Reformata) nihil apparere: Simpliciter tamen non improbatum fuisse ab eâ, idque actis Ecclesiasticis, non sequeretur. Cùm enim (ut supra multiplici autoritate evicimus) nostra Ecclesia glorietur Ritus amplexari antiquos, sive Canonibus Conciliorum, sive Catholicæ Ecclesiæ moribus perpetuis, perinde ac doctrinam (saltem quatenus propriis Canonibus legibúsve aliter definitum non sit, pro libertate qua quælibet Provinciæ gaudet in rebus minusculis) certe Canonibus & Decretis Catholicæ Ecclesiæ, quæ probat colitque religiosè, Ipsa merito tam inauditos Antiquitati conatus repudiasse dicatur: alioquin nec Græca Ecclesia, fortassis nec Romana damnâsse diceretur, nisi recentioribus decretis istas Innovationes.

Ab exemplis autem summorum Virorum in Ecclesia, quod argumentantur, nullo pene negotio diluitur. Ecclesia nostra quosdam (inquiunt) solummodo Presbyterii Scotici ritibus Presbyteros factos, consecrârunt Episcopos. Et submonenti Episcopo Wintoniensi, oportere prius Legitimè ordinari Presbyteros, quàm Episcopi constituerentur, Archiepiscopus Cantuariensis Puritanorum flagellum Bancroftus restitit, affirmans, opus non esse tali ordinatione. Ergo (aiunt) existimavit Archiepiscopus verè ordi-

natos

natos fuisse Presbyteros istos à Presbyterio, absque Episcopo. Falluntur tamen: neque enim revera discordes sententiâ erant Episcopi illi: quorum Ille Canones Ecclesiæ judicavit rectè servandos, præcipientes ut non nisi Legitimis, & continuis gradibus ascenderetur ad thronum Episcopalem, & propterea prius ad ipsum Presbyteratum dandum: Hic verò stomachum sæpius expertus Presbyterorum noluit absque causâ pernecessaria ipsos irritari; sed per Saltum ordinari permisit; non ignarus multa in Ecclesia antiqua id genus exempla extare, eorum scil. qui ad Archiepiscopalem provecti sunt dignitatem, nullo præcedente ordine inferiore, quem legimus: Ratio autem est, quia Episcopalis Ordo in se virtute, licet non formaliter, ordinem tam Diaconatûs quam Presbyteratûs complectitur. Quod à doctissimo Commentario Ambrosio ascripto in Epistolas, antiquitus observatum legimus: ubi de Prophetarum nomine & munere differens, *Prophetas* (inquit) *duplici genere intelligamus, & futura dicentes, & Scripturas revelantes: quamvis sint & Apostoli propheta, quia primus gradus omnia subjecta habet*, &c.

Commentar. in 1 Cor. cap. 12. v. 28.

Hoc ne videret, visumve ne agnosceret, vehemens Novæ Causæ addictio D. Blondello non fuit impedimento. Verùm multis exemplis probatam dedit nobis Ecclesiarum variarum praxim, qua Clerici minores Laicique ad Presbyterium & Episcopalem apicem, inferioribus omnibus gradibus omissis, sæpe provecti sunt. Nam A. D. 248. Cyprianus ad Episcopatûs gradum adhuc Neophytus electus est, &c.

Apolog. Sect. 3. pag. 207.

Plura equidem & fortassis graviora cuivis proclive esset in hac causa disputare; id verò quoniam Lectori hîc molestum sit, nobis præter propositum; Videant, animitus velim, & seriò perpendant Sectarii Presbyteriani, quod experientia omni argumento lucu-

luculentius demonstret; quo scil. ruunt tam nova, tam prophana & sacrilega eorum dogmata de Ordinibus Ecclesiasticis, unoque secum vortice rapiunt suum ipsorum quidquid est Juris Ecclesiastici, quod haud modicum aut modestum esse, certò, ubi possint, statuunt: Etiamsi enim Antesignani nostræ & Scoticæ factionis Sacrum, & Laicis vetitum suum Munus, qualicunque sua ordinatione carentibus velint; Qui ex iis plus cordis & eruditionis habent, id quod res est, perspicientes, nullum omnino jus Presbyteris inesse ordinandi Presbyteros ex Ecclesiasticis & Divinis traditionibus, honestius & tutius existimârunt communem esse Laicis præcipue Magistratibus, potestatem illam Ministros ordinandi, cum ipsis Ministris: Uti cernere est in Curcellæo, Episcopio, Salmasio & aliis.

His tandem istud calumniosissimum argumentum addendum putavi, tum quod extremam Puritanorum impudentiam, contra Hierarchiam Christi prodit, tam quòd Sacrilegæ ipsorum opinioni pariter ac factioni maxime adversatur. Verbo autem parum vero, uno tamen totam controversiam conficiunt, apud popellum judicem saltem, nova, quam ipsi sparserunt, oculosque suorum præstrinxerunt, luce excæcatum. Antichristianus enim, aiunt, est ille totus Ordo Episcopalis. Probationem quæris? Tametsi parum æquus hoc modo videaris, qui verba tam Sanctorum, doctorumque virorum vocanda ad quæstionem putas; ad manum est quod petis: viz.

Papa est Antichristus,
At Papa est Episcopus & caput Episcoporum,
Ergo.

Cui Regero ego;

At Papa in hac causa est Puritanus,
Post enim ipsos nostros Puritanos graviorem Episcoporum rectè constitutorum pestem, & flagellum Ecclesia Dei non novit,
Ergo, &c.

Prius tamen quam hunc vexatissimum deseramus locum placet hîc summatim & acervatim Presbyterianorum Philosophorum Paralogismos uno intuitu Lectoris detegendos & ridendos proponere, forma tali scil. compositos, quâ Pueri quando primum Dialectici videri velint, invicem irretire solent. Sic autem Blondellus, post multiplicia, per continua sæcula Veterum, testimonia, Sectione secundâ, corrogata ad causam, vel colore vel numero saltem authorum (quos præsentes nostræ angustiæ non capiunt) Lectori commendandam, disputat, misto quodam genere Autoritatis & Rationis, viz. à Veterum formulis loquendi. Ostendente enim illo, ut *Presbyter*, *Senior*, *Major natu*, Episcopo, & Presbytero, seu, (ut distinctius loquamur) Ministro, seu Prædicanti communi jure competunt, nobis Syllogismus hujusmodi nascitur.

Blondel. Apolog. Sect. 3. p. 89, 90, 100.

Episcopus est Senior, est Major natu, est Presbyter,
At Presbyter est Senior, Major natu, Presbyter,
Ergo Presbyter est Episcopus.

Rursum, Episcoporum consessus dicitur Presbyterium,
Sed Presbyterorum consessus est Presbyterium,
Ergo.

Tertio, Episcopus est Compresbyter, Comminister, Collega, Frater,

At

At Presbyter eſt Compresbyter, Comminiſter, Frater, Collega,

Ergo.

Hîc verò obiter à doctiſſimo Blondello libenter diſcerem unicum exemplum quo Presbyter Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Compresbyterum, vel Comminiſtrum, vel Fratrem, vel Collegam appellat; quamvis plurima extent ita Presbyteros compellantis Epiſcopi. Quemadmodum Judices noſtros novimus Servientes ad Legem, Fratres dicere; neutiquam autem hos, Illos, Fratres, accepimus: Quemadmodum ergo nec in Foro Civili tollitur ordinum diſtinctio his compellationibus, ita nec in Eccleſiaſticis. Verba Chryſoſtomi, quia pia, pulchra & appoſita ſunt, neque me huc tranſtuliſſe, neque lectorem legiſſe pigeat. De dicto illo Paulino loquens, Ὀυ θέλω δὲ ὑμᾶς ἀγνοεῖν ἀδελφοί: addit, Τοὺς μαθητὰς ἀδελφοὺς ἐκάλεσεν, οὐκ ἀπὸ τοῦ τῆς ἀξίας, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τῆς ἀγάπης αὐτοὺς προσαγορεύων ὀνόματος, ᾔδει γὰρ, ᾔδει σαφῶς, ὅτι ταύτης ἴσον οὐδὲν, καὶ τὸ μέγιστον τῆς ἀξίας εἶδος, τὸ τῆς ἀγάπης εἶδός ἐστι. Τοῦτο δὲ πρῶτον καὶ ἡμεῖς ζηλώσωμεν, κἂν σφόδρα καταδεέστεροί τινες ἡμῶν ὦσι, τοῖς τῆς θεραπείας αὐτοὺς καλῶμεν ὀνόμασι, μὴ μόνον ἐλευθέρους, ἀλλὰ δούλους, μὴ μόνον πλουσίους, ἀλλὰ καὶ πένητας. Chryſoſt. To. 5. Serm. 51. pag. 346.

Hic videmus unde ſit conſuetudo orta qua Epiſcopi Presbyteros Fratres nuncupent: nullibi autem unde Presbyteri Epiſcopos Fratres dicant.

Notandum tamen hîc apud D. Blondellum multas interjici & impleri Paginas diſputatione de Chorepiſcopis, de Septuaginta Diſcipulis, & Evangeliſtis qui in gratiam ſimplicium Presbyterorum, quorum Ideæ perhibentur, Apoſtolis æquantur, de quibus jam nos ſatis pro re nata, in contrarium. Poſtea verò redit ad ſolitum ſophiſma petitum è decretis Veteris Eccleſiæ, & Primò argumenta huc faciunt. Blondel. Apol. à pag. 93. ad 135.

Episcopi sunt (ad mentem Ecclesiæ Veteris) Sacerdotes,
At Presbyteri erant Sacerdotes,
Ergo.

Vide etiam pag. 197. ad pag. 205.

Porro sic, Episcoporum consilio Res Ecclesiæ administrabantur,
At Presbyterorum consilio Res Ecclesiæ administrabantur,
Ergo iidem erant Episcopi & Presbyteri.

Pag. 143, &c. 149. Item pa. 216. ad 287.

De argumentis autem, De Chrismatis confectione, & usu, Confirmatione per manûs impositionem, partim aperta falsitate, partim ignoratione Elenchi laborare dicendum. De Basilicarum Consecratione; nullo Antiquitatis indicio Presbyteris asseritur. Virginum autem & viduarum consecratio permissa, seu potius facultate concessâ ab Episcopis, Presbyteris competit; ut multa alia: stante nihilominus Ordinum diversitate. Quis enim hanc formam probet mediocriter Logica imbutus;

Episcopus Consecrat Virgines, & Pœnitentes reconciliat,
At Presbyter Consecrat Virgines & Pœnitentes reconciliat,
Ergo Episcopus est Presbyter.

Tit. cap. 1.

Denique, quid protritius quàm hujusmodi argumentum à Beato Paulo desumptum Epistolâ ad Titum Cretensem? *Presbyteros* (jussu & institutione Apostoli) *oportet esse sine Crimine, unius uxoris viros, filios habentes fideles, non in accusatione, &c.* Sic scil. de pueris triumphari solet;

Homo

Homo est Animal,
Asinus est Animal,
Ergo.

Iniquus enim Doctissimi Bilsoni reprehensor fit D. Blondellus. Dixerat Episcopus, solos Episcopos Apostolorum audire Successores apud Antiquitatem: gravatim hoc fert Blondellus; quin etiam ex Irenæo Presbyteros quoque titulo illo cohonestatos olim fuisse probare conatur. Sed si sincero animo egisset, nullo modo ignorasset Irenæum Græcè scribentem retinuisse plerunque antiquas loquendi formas quibus Episcopus & Presbyter duplex ejusdem Personæ nomen fuit, & nomen *Presbyter* servatum in versione Latinâ nihil præter Episcopum propriè innuere. Clementis autem verba longius à scopo errant, qui se quædam παρὰ πρεσβυτέρων accepisse scribit, Apostolorum successoribus. Neque enim ibi vel de Episcopis vel Presbyteris proprie dictis agere Clementem, verisimilius est: sed de viris ætate provectissimis, qui continuò sub Apostolorum sæculo vixerunt. Parum item probat Alter Clemens qui partem Apostolorum Gratiarum consecutos Presbyteros affirmat; & aliquo modo locum tenuisse: Nam nemo negaverit aliqua ex parte Muneris sui Apostolis eos successisse: sed quoniam celsiore gradu & ampliori potestate Episcopi constituti erant, Presbyteros nunquam absolutè Successores eorum nuncupari ab Antiquitate, quòd nullibi non tributum Episcopis, ab Antiquis, legimus.

Bilson. de Perpetua Ecclesiæ Gubernatione, cap. 14.

Apol. pag. 305

Sed quoniam cum Blondello paulò propius pressiúsque res agitur, omittendus non est supremus ejus Conatus, quo etiam animam ipsam Episcopalis Apicis & Jurisdictionis petit, autoritate Hieronymi,

Apolog. pag. 319, &c.

qui morem fuisse ait Alexandrinis Presbyteris, *Eligere unum ex se, & in celsiore gradu collocatum, Episcopum nominare:* unde sic colligit, Qui possunt Episcopos ordinare, multò magis possunt Presbyteros: sed Presbyteri, ut patet ex exemplo prædicto, possunt Episcopos constituere; quomodo, *Si Exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent:* Fatemur quidem meritò ultimum hoc argumentum locum tenere; propter specim solito majorem veri, quatenus scil. unius Patris testimonium contra plures, contra omnes (nisi juniores quosdam fortassis demas, qui autoritati illius credulitate singulari nimium deferentes, nonnihil à communi loquendi forma deflexerint) Imo quatenus unius loci contra plures ejusdem, apud attentos & sobrios lectores valere pondus queat. Nec tamen revera eandem hîc fuisse sententiam Hieronymo quæ modernis placet, existimârim. *Eodem* ergo *modo*, sed non omnino pari, constitutum Episcopum à Presbyteris, & Imperatorem ab exercitu, credo dabunt ultro Presbyteriani. Nam certissimum omnibus est prudentibus, Exercitum neque debere, neque posse creare Imperatorem Legitimum: sed illud spectare (ubi suffragia aut electio quidquam valent) Senatores; aut, prout alii mallent, populum. Pari ratione ergo, illegitimis gradibus talem, Episcopale ascendisse culmen, sequetur, qui est à Presbyteris constitutus Episcopus. Deinde, *non eodem modo:* quia Imperatores, seu Reges, non tam creantur, quàm nascuntur, etiam ubi Populi clamoribus votisque eligentis attolli in istam sublimitatem videantur. Quia & Regiminis species, & Regendi jura à Natura, vel Gentium consensu, ortum ducunt; utcunque in minutioribus sanctionibus variatum sit à multis. Eligunt ergo, quomodo, & quos placet,

populi;

populi; sed vi potius, quam jure, vel humano, vel divino facinus id ordiuntur & tuentur. Ordines autem Ecclesiæ aliter omnino se habent; quomodocunque inauditâ præsumptione Veteribus, non horruerunt aliqui Jura Regni Christi, non pari, sed pejori sacrilegio violare; & pessimi Scenici Chirotoniis suis imitari veras, & Catholicas. Non enim ut Jure Gentium Reges, non ut Pontifices Max. Jure Mosaico, Episcopi nascuntur, sed fiunt. Electio verò non facit Presbyteros vel Episcopos, sed Muneri rite obeundo prævia quædam dispositio est: Potestas aliunde accedens formam tribuit. Præpositi, inquam, *Christi* non *Christianorum* in terris vices agunt: decreta & modos Munera ista ineundi à Deo, non ab hominum prudentia, accepta agnoscit Ecclesia. Quænam autem illa sint nisi recta & inviolata potestatis à Christo ad Apostolos, ab Apostolis, Successoribus Apostolorum derivatio? Nugatur enim maximè (veniâ tanti viri dictum sit) Blondellus ubi percupidè quærens anchoram Hierarchiæ Christianæ istam frangere, & tutissimum Politiæ Ecclesiasticæ rudentem corrumpere, abruptam seriem Legitimam Episcoporum probaret; nomina percensendo Hæreticorum qui pulsis, vel cedentibus Catholicis, Sedes Patriarchales quatuor invaserunt. Nam, 1. Hæresis non tollit inditæ semel Episcopo potestatis Ordinandi essentiam: Dein, Posito quòd pro tempore intercisa fuerit Legitima ordinatio in una Sede, itane ubique abolitam fuisse crediderit quis sanæ mentis, ut aliunde restituta, locum repetere non possit consuetum, & Lineâ Canonicâ pendere?

Id. Apolog. Pag. 264.

Sed ad Alexandrinam revertendum Sedem. Agnoscamus Electos Episcopos à Presbyteris singulari quidem hac consuetudine & propriâ (ut videtur ex Hieronymo) Ecclesiæ isti, nim. ut semper, nulla delibe-

deliberatione factâ, ordo ætasque, potius quam merita principem Presbyterum Cathedræ Pastorali commendarent; Prresbyteris consentientibus. Hoc autem habuisse tam singulare, ut nullo ritu, vel à Presbyteris meris præstito consecraretur, neque suadent Hieronymi verba, neque Eutychii Arabici cogit Autoritas, nuperi, & unius: Seldeno suum alumnum sic incassùm tuente; si fides Eutychii ea propter suspecta sit, quod recentior sit, Quidni & cæteros Historicos vergentes in sæcula posteriora, quales Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Evagrius, Nicephorus & eâdem suspicione gravemus? Respondemus: si unus solusve hac de re Eutychius ageret, si alia ratio istius loci, eaque tam cæteris omnibus quam sibi ipsi contraria, prædicetur, mirum cuiquam possit videri, si obscurum hunc contra luculentos tot testes scribentem, parvi pendendum statuamus. Profectò qui sui temporis res gestas Literis mandant, non minoris apud nos fidei sint, quamlibet sint novissimi, quam qui plurimis idem retro sæculis fecerunt: Sed eum (qualis fuerat Eutychius) qui facta tradit quingentos ante ipsum natum annos, non eodem loco habendum judicamus, quo ii, qui iis interfuerunt temporibus, vel ea propius attigerunt. Incredibile autem nobis est tam enormem & à cæteris Ecclesiis dissonam consuetudinem à nullo ante Eutychium memorari historico. Et falsum omnino non veremur, post doctissimos aliquot viros, asserere quod ab Eutychio Alexandrino supponitur, conterminas Ægypto Provincias, suos Episcopos non habuisse, qui post istiusmodi Presbyterorum Suffragium solennibus Ecclesiæ ritibus tribuerent characterem Episcopalem, & potestatem. Nemo verò melius hoc maximum & praeclarissimum labantis Presbyteralis potentiæ fulcrum succussit & prostravit, quàm ipse summus

Selden. Præfat. ad Eutychium.

Blon-

Blondellus: Qui disputans adversus Bellarminum meritò impugnantem Populi divinum jus in Pastoribus eligendis; & proinde argumento ejus respondens sumpto à celeberrimâ ista Hieronymi historiâ, quâ consuetudo traditur fuisse Alexandrinis Presbyteris suum eligendi Episcopum; & per consequens non Populum attinere: Respondet his verbis. " Imò longe " aliud idque apertissimè docuit [Hieronymus,] " nempe, *Quis*, & *Ex Quo ordine*, non autem, *cujus* " *opera*, vel *Suffragio* Veteris Ecclesiæ Alexandrinæ " Episcopus Electus olim fuerit. *Ex se*, non *A se*: " multo minus à se solis electum de Presbyteris scri- " bens: An non satis apertè nugas agere videatur, " cui hæc argumenti forma placuerit, *Ex solis Presbyteris Electus est, ergo à solis Presbyteris, vel non à populo eligi solitus*? Si hoc non sit fortissimum omnium argumentum delumbare, me nihil scire apertè profiteor. Quum enim in eo potissimùm vis sita sit ejus ut inde demonstretur Presbyteros solos constituisse Episcopum, Duo contraria hîc affirmantur. Primum, non dici à Hieronymo Ipsos Presbyteros Episcopum vel elegisse, sed ex ipsis Electum fuisse. Dein, multò minus à solis Presbyteris. Quare ergo non à conterminis Episcopis quoque, atque à Populo? Hoc saltem ratum & indubitatum manet ex sensu reddito à D. Blondello, si prædictis Hieronymi verbis non constet Electum à Presbyteris suis Episcopum, minimè omnium liquere ordinatum Episcopum, vel Jurisdictionis Pastoralis quicquam ab iis accepisse, delegatione toties inculcatâ & deprædicatâ. Denique, quod Hieronymus parem modum constituendi à Presbyteris Episcopum tradiderit servatum in Ecclesia Alexandrina, qualis esset Diaconorum Archidiaconum creantium: ex possibili potius quam facto argumentum finxisse Patrem illum, nihil

Blondel. Apol. pag. 491

dubitem, qui fateor mihi nondum compertum fuisse, ubi potestas Diaconis Archidiaconum vel eligendi vel creandi ab Antiqua vel lege, vel consuetudine concessa fuerit. *Eodem modo* ergo, revera est *nullo modo* eligere.

Pag. 314, 315. Post hæc sequitur Culdæorum seu Colidæorum mentio, apud Scotos; & aliæ hariolationes, quas nisi meminerim me Actoris personam induisse, potius quam Disputatoris, non pigeret iis paululum immorari, sed revocandus est pes perrecturo mihi ad reliqua capita Gravaminum Schismaticorum. Hoc tamen ne quæ à Viro Clarissimo Herberto Thorndicio doctè & solidè respondentur repetam, addere breviter non incommodè me posse putem: nim. Secundam Pag. 315, 316. Blondelli Instantiam à plantatione Christianæ religionis in Gallia per Presbyteros; à Polycarpo Smyrnensi missos, absque Episcopis; satis idoneum responsum Culdæorum objectioni in Scotia præbere. Non enim Christianam Fidem credimus simpliciter desiderare Episcopos, etiam in incunabulis, & vagientem. Semina ergo prima Fidei à Presbyteris solis, si jacta in istas terras daremus, si informi istâ ratione aliquot annis perdurasse, nec ad debitam perfectionem profecisse concedamus, infœlix quid iis accidisse, non nobis absurdum dicendum. Nam & longe hodie ditiores & latiores regiones in India Occidentali Fidem secundùm Ecclesiam Anglicanam illustrâsse & tenuisse, notum nemini non est, & tamen (quod valdè pudet dixisse) nullus ibi reperitur Episcopus: sed consilio Presbyterorum ab Episcopis Anglicanis constitutorum, res Ecclesiarum istarum administrantur. Nec novus Presbyterianorum ordo statim emergeret, si instar Culdæorum Presbyteri ibi degentes, proponerent unum ex iis qui Principem inter eos locum obtineret: Neque incuriæ Sanctis-

Sanctissimo Pastori deputandum esset (quod absurdum cum Blondello agnoscam) si Polycarpus ejusmodi operarios, Presbyteros scil. in Domini agrum mitteret, qui omni potestate præditi non essent eum rite excolendi. Nam primordiis Ecclesiarum satis erant: & cui inauditum illud fuit, *Nihil simul inchoatum & perfectum? Ex parte enim* (Ecclesia illa tunc) *cognovit, & ex parte Prophetavit. Cum autem venit quod perfectum erat, evacuabatur quod ex parte erat.* Cui verò mirum videatur Christianam Religionem tam fuisse in ea Gente informem, quæ humaniorum morum per ea tempora fere expers fuit. Nam teste Hieronymo intuente: *Scotorum natio uxores proprias non habuit, & quia nulla apud eos conjux propria fuit, sed ut cuique liberum erat pecudum more lasciviebant.* Et, quod idem alibi scribit, *Humanis vescebatur carnibus.* Quæ mihi videntur Seldeni doctissimi & diligentissimi labores ægri animi adversus Ecclesiam nostram, quæ Tractatus suos debitâ censura percusserat de Decimis, inanes reddere, si alia defuissent: Est tamen quod prædictis addi possit, nim. Præpositum illum Culdeorum electum suffragio, non fuisse ab iis consecratum, sed potuisse facultatem qua cæteris præeminebat, ab aliis virtute ista præditis recepisse; nulla historiarum fide refragante: quo modo diximus fieri solitum in remotioribus à nostra, Ecclesiis.

1 Cor. 13. 9.

Hieronymus adversus Jovinianum, cap. 9.

Selden. Præfat. ad 10 Scriptores Anglicanos.

His pro instituto disputatis satis, ad Germanum Anhierarchiæ Presbyteralis Fratrem, Seniorem Laicum; vel, si mavis, Laico-presbyterum, seu Centaurum divinum pergamus. Dico ergo apertè, Consules istos Disciplinarios, Arbitros Amphibios, S. Sanctum nequaquam habere autorem, sed Joannem Calvinum, partim prudentiâ privatâ, partim irrequieti populi fremitibus excitum & coactum. Postea verò, quod necessitas, quod casus, quod astutia fuit,

Deus vocatum eſt, & Præceptum Divinum. Et quemadmodum meminimus à gravi Viro obſervatum de Heroibus Priſcis, quomodo vaga & perobſcura libidine genitos, poſtera fama à diis procreatos fingebat, unde Theſeus, Romulus, Hercules, Alexander M. & alii ſpurii diis immortalibus originem immediatè referebant, Sic de integra hac Forma Eccleſiaſticæ Diſciplinæ meritò eſt dicendum, Filia Terræ, vel Populi, vel fortaſſis Cerebri Privati cum revera eſſet, protinus de Chriſto de Apoſtolis, de Divinis literis ortum ſe duxiſſe gloriatur. Et qui citius balenas in ſylvis plaudentes invenerit, & in æquore Quercus, ante Calvinum, ipſo indigitante, cæcus nunc planè habendus qui Scripturis reperiri non viderit. Paulus enim ad Timotheum ſic ſcribit, *Qui bene præſunt Presbyteri duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrinâ.* Quibus verbis Sp. Sanctus (ſi placeat) ſententiam Calvini ſecutus, duplici Presbyterorum generi ſuffragatur, *Laborantium in verbo*, ſeu Prædicantium; & *non Laborantium*, vel ſuo modo regentium. Nos verò tardioris fidei qui ſumus, petimus unicum ſaltem locum apud univerſam Antiquitatem, quo vox *Presbyter* ab Eccleſiaſticis Laico homini tribuatur: ſed fruſtra hucuſque expectavimus.

1 Tim. 5.17.

Petiit hoc Whitgiftus, petiit Bancroftus, duo Reformationis Antipuritanæ Lumina, & Anglicanæ Eccleſiæ Columina: Petiit poſt hos Hugo Grotius eo libello quem Puritanus inſignis (uti accepimus) Prinnius, poſt longum & ſtudioſum autoris ſilentium à Reverendiſſ. Overallo Norvicenſi & Andrea Wintonienſi Epiſcopis ſubmoniti, ne prodire eum in Lucem ſineret incaſtigatum, publici fecit uſus, in invidiam Eccleſiæ Anglicanæ, quæ

Hug. Grotius de Imper. Summ. Poteſtat. &c. c. 11. §. 14.

quæ semper justos (quos ille Author nullos) agnovit in regenda Ecclesia limites, Civili Potestati proposuit. Hic inquam diserte statuit, *Veterem omnem Ecclesiam Presbyterorum vocabulo non alios quam Pastores intellexisse, in verbo ac Sacramentis occupatos.* Et mox. Ex tanto Patrum numero, tot librorum voluminibus, tamdiu tractata hac controversiâ ne unus quidem locus adferri potuit, in quo Presbyteralis dignitas aliis quam pastoribus tribueretur: quum tamen si duplex Presbyterorum genus fuisset, *non sæpe, sed centies imo millies eorum fieri mentio debuisset, præsertim in Canonibus qui totum Ecclesiæ regimen nobis depingunt, saltem modus eligendi istos, non pastores Presbyteros, alicubi appareret.* Ad hæc tam præclara verba, Nugator quidam propositi tenax, & ruboris fugax (ut alibi passim) hanc glossam in margine simpliciter, & nudè ponit. *Habuit* [Ecclesia] *Seniores plebis à clero distinctos.* Nec quos, nec quales, nec quando, nec ubi tales habuerit (fortassis quia Arcanum solis Perfectis revelandum) placuit ignaris nobis indicare.

Quid autem insolentius possit committi; quàm duræ necessitatis fidiculis Apostolica verba torquere in sensum nostrum, & usum singularem contra universi orbis mentem? Præterea phrasis ista [*Duplici honore,*] contra commentum hoc militat, eò quod certo certius nihil aliud istâ innuitur quam Stipendium auctius, seu præmium, prout ipse Apostolus supra habet, dicens. *Viduas honora, quæ verè* v. 3.
viduæ sunt: hoc est, Debitâ suscipite alimoniâ. At suos Seniores Recentes nullo modo patiuntur vel ex altari vivere, vel beneficientiâ Fidelium; coguntur ergo agnoscere potius diversum modum muneris exequendi, quàm naturam diversam.

Nec Pseudo-Ambrosii seu Hilarii Diaconi notissimo commentario quidquam proficient suâ Causâ. Non enim *Presbyteros* appellat, sed *Seniores*. Aliud insuper est Conciliis rebusque Ecclesiæ ex permissu; Aliud ex Officio interesse. Fingamus autem ex Officio, nonnullos antiquitus Laicos cum Ecclesiasticis consilium de promovenda vel tuenda Religione cepisse commune; illos humanâ prudentiâ, non Apostolico præcepto admissos, certum est. Vel si Oeconomos Ecclesiæ (quod probabile est) Laicos antiqua consuetudine stabilitos demus, (quod videtur posse deduci ex Canone 26. Concilii Chalcedonensis, & Legibus Imperialibus sicuti ex Photio patet) hi in singulis Parœchialibus Ecclesiis singuli, nedum bini, inventi nunquam sunt; sed Cathedræ Episcopali assidebunt, operámque dabunt ipso annuente, ærario Ecclesiæ rite aperiendo indigis; de ipsa autem fide, aut Censuris Ecclesiasticis, nunquam cum Clero leguntur quicquam egisse. Hujusmodi fuerunt Seniores illi quorum meminit Optatus, scribens, Ornamenta Ecclesiæ fervescente Persecutione iis fuisse mandata ex auro, & argento confecta. Unde Albaspimæus hoc modo commentatur. "Præter "Ecclesiasticos & Clericos, quidam ex plebe Seni-"ores & probatæ vitæ res Ecclesiæ curabant, de "de quibus hic locus est accipiendus. Quales autem erant hi? Menstrui? Annui? vel Triennes? per singulos dispositi greges? nihil minus. Profectò Æditui nostri his multo proprius accedunt, quàm Seniores isti.

Concil. Chalced. Can. 16. Phot. Nomocan. Tit. 10. cap. 1.

Optat. Milev. Con. Parmen. lib. 1.

Gabriel Albaspi. Not. in Optatum.

His cùm satis videatur insudatum nobis esse pro nostro compendio, ad alterum Capitale gravamen conscientiarum pergamus; quòd cervices teneras animarum miserè premit; Liturgiam scil. nostram; seu Preces, cultumque Divina statuta. Plurima

sanè

ſanè probra (quæ ipſis tot ſunt demonſtrationes) jaculantur ore prophano adverſus ea; nec paucioribus, vel parcioribus encomiis ſubitaneos ſpiritus privati motus ad Æthera attollunt. Summam iſtorum ex Scotico quodam ſcripto collectam hîc tibi Lector exhibemus. 1. Virtus animæ perfectorum formatis precibus hebetatur. 2. Ardor Spiritus extinguitur. 3. Populi ædificatio impeditur. 4. Obex ponitur Chriſti munificentiæ, ne famulos ſuos gratiis ſuis perfundat. 5. Converſio à Deo alienorum ægrè perficitur. 6. Hæretici nunquam vincuntur, aut peccatis obdormientes exuſcitantur. 7. Via ſternitur Miniſtris ignavis & oſcitantibus. 8. Pueri ſeptennes, vel (ut alii) Mulierculæ, Judæi, Turcæ munus recitandis Precationibus præſtitutis, ſatis commodè poſſint ſuſtinere & exequi. 9. Denique, ſingula neceſſaria populo, nequaquam valeant complecti. His præcipuis Cavillis innumera alia proceſſus Temporis & Reformationis adjecit: Quibus qui diutius aut operoſius refutandis immorabitur, paulò ſaniore dementia cum his laborare videatur.

Editum Anglice, anno Dom. 1638.

Ne tamen neſciant, vel ſe neſcire fingant quam Cimmeriis agunt tenebris qui ſe opinantur ſolos videre, ſolos clarâ luce frui, ſolos reliquam Chriſtiani orbis partem exquiſitis ſuis doctrinis rectè & plenè perradiare; contra hæc omnia dicendum breviter exiſtimo. 1. Negando animæ perfectionem cerni profuſione publicarum precum: Si qua enim hic ei inſit ſatis imminuta auctaque fuerit privatis aſpirationibus, & aſcenſione mentis ad Deum, abſque glorioſo in publicum verborum jactu. Quæ animarum febricitationes in Religione, meritò & prudenter ſummo Eccleſiæ commodo hebetantur, & reſtinguuntur. Quod ſatis fuerit ſecundo reſpondiſſe. Eſt namque iſtiuſmodi ſpiritus peſſimus qui maximo Fi-

delium

delium fideique dispendio ardet, aliturque, & propterea cohibendus. Tertium autem impudenter est mendax. Populi enim ædificatio nulla alia impeditur, nisi ad Gehennam & Schisma. Contrarium quartæ rationis multò verius, nihil scil. Christi gratiæ propriè dictæ magis inimicum esse quàm vana, incondita & affectata illa Donorum publica venditatio. Nec quidpiam Christi munificentiâ dignum haberi à sobriis debet Christianis in orationibus offerendis Deo, quod potius acquisita Linguæ volubilitas, usu & immodestiâ, dici debeat. Nullum enim quod somniant isti aliud est donum orandi præter gratiam orandi: nihil aliud Gratia, quàm animus purus, & cor incensum charitate, non Battologiis. Causa autem erroris his videtur sophistis fuisse; quod ignorant distinguere inter donum loquendi, & donum orandi seu precandi: Nullum aliud sincero Theologo admittendum videtur orandi donum, præter parati cordis ad Deum Elevationem: Alterum est humani prorsus ordinis. Congruè quidem quinto loco Conversionem docent effectum Precum extemporanearum; Qui hîc ut in reliquis fidei capitibus insigni imperitiâ commiscere solent & confundere distincta admodum in Religione munera. Precibus fortassis Deus flecti possit ut opus conversionis in cordibus hominum inchoet: Quis autem ante hos doctores putavit Precum opus esse homines proprie convertere, & non potius prædicationis Evangelii, & exhibitionis verbi Divini. Sed rectè forsan ipsi judicant de suis incompositis & incultis precationibus, quibus nunc docent, nunc petunt, nunc hortantur, nunc comminantur, nunc Deum lacessunt, nunc populum adulantur; & nihil non actitant. Servetur ergo Precibus debitus modus, potius quàm ex inverecundâ excursione laudentur Sobriis. Hæc autem

tem quinto & sexto respondent. Septimum argumentum simpliciter falsum est. Non enim vel ipsis vel nobis judicibus rectè dici possit quod ignavi reddantur Ministri ex precibus formatis: Non illis, qui putant non nostra industriâ, sed singulari & libero Dei beneficio istiusmodi dona competere Ministris: Non nobis, qui istos solum ignavos ducimus, qui vel officio suo prorsus desunt, vel frigidè & oscitanter peragunt. Octavò, Conceditur, opus ipsum Ministrandi non minus posse pueros quosdam & prophanos quàm pios & spirituales & Presbyteros exequi: sed de jure Sacerdotali agitur, non de ipso facto, quod nemo negat ipsas fœminas posse sacrilegè tentare. Si verò hoc in dedecus Formularum trahatur, quidni & Extemporaneas quoque vulneret preces? quum in Regno Extemporaneorum, nascuntur plerique Laici & Fœminæ, quos ferunt etiam Ministris subinde antecellere dono hoc precandi: Nunquid ergo his Ministros vestros locum cedere oportet? Ad ultimum. Particulari enumeratione non opus est, vel ut singula singulis necessaria, Deo referantur. Sed Generali sufficit pietate complecti. Præterea quod linguæ ipsorum nullis habenis, nullis dicendi legibus proruenti minimè concessum cognovimus, quid petunt ut ligatus noster orandi ordo præstet? Neutiquam enim vel suus laxus & informis, vel noster modus solennis se ad palatum aut motus cujusvis pectoris per omnia possit accommodare. In hoc autem ut in plerisque aliis Ordo communium votorum cæteris præstabilior multo invenitur, quod non contra sobrios mores, aut fidem rectam quicquam committit: quod sæpius perpetratum ab istis nugacibus oratoribus cum dolore pariter ac horrore sumus experti. Est tamen ubi asserunt se non penitus à Liturgiâ abhorrere communi; ut nec radicitus evellere Epis-

copos, in animo habere. Quo autem animi candore, factorum ordo pulchrè docet.

In cœtu Francofurdensi (ubi prima Perditionis suæ jacta sunt fundamenta) nondum tamen oculis clarâ Luce micantibus Evangelii, concinnatus est certus modus orandi Pastori, qui Pubescente factione in Anglia, Liberis Spiritibus inimicus visus est. Aliam ergo formam sub Elizabethâ extundunt: Quæ etiam anno sequenti minus spiritualis proficientibus arte reformatoriâ, visa est: Aliam ergo pro ægritudine suorum Cerebrorum fundunt: Sed, quæ sors est nesciorum interquiescere, vel recte facere, tertiam paulò pòst excudunt collatis Capitibus, ut Reverendus admodum Bancroftus perhibet. Furente autem factione, & imperante bellis Civilibus nuperis; neque sua, neque nostra quoquo modo palato delicatulo eorum placuerunt, siluerunt ubique Publicæ autoritatis Preces, Novæque cupediæ gustibus apparantur. Reduce tandem Carolo Secundo, Pars Schismatica picto Biblio Regem primo salutant, subinnuentes scil. ipsos præ omnibus, Scripturarum assertores & sequaces individuos; hinc Disciplinæ suæ primas deferri obtestantur, & Fæderi Perjuro Originis Scoticæ. In his repulsam passi, saltem Liturgiæ Anglicanæ usus communis, orant aboleatur: In omnibus autem ita se gesserunt ut solent bestiæ prædatrices, quæ, quod capi sperant, forte præsentientes, callidè subsidunt, mox erupturæ successu provocante. Nec frustra fuerunt omnino; impetratâ à Rege serenissimo Licentiâ scrupulos & molestias cum spe levaminis, exonerandi, coram, vel potius contra Gravissimos Ecclesiæ Assertores. Hoc autem Colloquio finito, rationem totius secundum privatum placitum publici faciunt juris, violata Lege Colloquii habendi. Eodem quoque fere articulo temporis Æmuli hi Pub-

Bancroftus Serm. apud Crucem Sancti Pauli, pag. 5, 53, 54.

Publicant quasdam Precationes sui ingenii; junguntque unà cum Liturgia Anglicana, distinctis Columellis: æquum putantes optio ut cuilibet daretur, utrâ harum Divinum celebret cultum: rati proculdubio & suas commentationes, si non intrinsecâ virtute, novitate saltem sua Veteri & Legitimæ Liturgiæ vulgo (quod potissimum aucupantur) æstimatore prælucere; & hâc insperabili modestiâ, se cunctis laudandos. Nec multum erraverint reputantes quanto furore Librum nostrum conculcârant, & absumendum tradiderant flammis voracibus: hoc scandalo populi inflammantes animos, quòd maxima ex parte è Missali Romano peteretur. Nec desunt Pontificii qui contemptui habeant officium nostrum, quòd Cento sit excerptus à Romano. Hæc quidem plebeculam afficiant & commoveant, scio; Nos nequaquam, vel eos, quibus non sit ignotum è Stercore Gemmam renitentem sæpius erui, & è bestiis venenosis Antidotum componi; & Phana Ethnicorum in Templa Fidelium consecrari, nec deesse Doctos qui scripserint, Ipsam Dominicæ Orationis formulam, à Rabinicis precibus, quæ in usu fuerunt ante Christi incarnationem multa mutuari. Num Locus, num usus, vel potius abusus ipsam rei substantiam immutarit, & inverterit? Quid fiat ipsis Divinis Eloquiis, si steterit superciliosorum horum Censorum sententia? Quid verò facias potius utriusque partis his Obtrectatoribus, si minus vero accesserit, Liturgiam Anglicanam è Romanâ conflatam fuisse? Non diffitemur id potissimum piis & prudentissimis nostris Reformatoribus fuisse propositum, ut Christianam Religionem purgent, non perdant; quod Sequiores solenniter fecerunt; ut deperdita restituant, vana & superstitiosa resecent, non ut nova condant & excudant; unde plurima Pontificiis & nobis, ut in fide, ita in moribus,

in Ritibus, in precibus communia retinentur. Quare verò nostra ad Libellam Romani Officii trutinata dicuntur potius quàm ad antiquiorum Ecclesiarum cùm Latinarum tum Græcarum, nondum docuerunt Adversarii; nec unquam rationes proferent. Nonne ex Ambrosiano Officio multa sunt pariter accepta? nonne ex Gregoriano, à quo multum Recentes Pontificii desciverunt? Nonne ex Jacobi, Chrysostomi, Basilii Liturgiis hausta pariter sunt multa? Et tamen ut invidiam & suspicionem graviorem sciolis creent, solùm Missale Romanum utramque fertur paginam implere nostrorum Librorum. Multas accusationes formârunt, dicteria multa jecerunt, multa denique aperta mendacia confinxerunt de Officio nostro Sectarii; sed nondum ostenderunt quidquam noviter à Pontificiis inventum in ipsum transiisse. Videant potius ut sui vanissimi Directorii causam agant, & defendant: quòd hoc uno plus habet Oleti, & Sacrilegii Romanensium quàm universum Corpus nostræ Liturgiæ: quod scil. Os populi occludit omnino in Sacris, contra Catholicæ & purissimæ Ecclesiæ consuetudinem, & mores; quibus receptissimum erat Populo vices reddere Liturgo celebranti & Oranti: sacrâ autem dominandi Libidine Romanum Pontificem incessente, hîc fere primum suæ Tyrannidis & implicitæ obedientiæ lapidem posuit, ut singulæ ubi sint sitæ Ecclesiæ, Latinè celebrent, in signum deditionis. Ad quæ quum populus prorsum obsurdesceret, obmutescere necesse erat. Schismatici quoque astutè magis quàm piè, eo cavent modo preces publicas fundi Deo, ut populus miser suô Unius ore & fide pendeat; nec debeat, nec possit voces reddere, nec vota, quibus mutuò Sacerdos & Laici se antiquitùs accendebant, & ædificabant. Permittitur tamen Simplicissimum *Amen*, quo se dictis

ctis inconditis & crudis Ministrorum suorum, non auditis, non intellectis, non ferendis plerunque, annuere credula & servili superstitione, submonentur.

Quòd si fortè quæsiveris, quo argumento praxim hanc suam defendant; non alio sanè quàm quo Papistæ vitiosissimum morem suum, inveneris, apud Bellarminum, viz. "Quia Sacerdos non Populo, sed "Deo loquitur. Addunt tamen ipsi omnium Sacrorum Ordinum Eversores egregii, hîc Patroni intempestivi: Metuendum muneri Sacerdotali esse, si populus ultra *Amen*, in Sacris mussitaret. Bellarm. lib. 2 de Verbo Dei, cap. 16.

Ad Scripturalia testimonia pro more, nos provocant quoque, impetuntque generatim omnes Præstitutas Preces ab Exemplis Nadab & Abiu ultrice dextra Dei interemptorum. Scriptura enim memorat, ut, "Arreptis Nadab & Abiu filii Aaron Thuribulis "posuerunt ignem & incensum desuper offerentes, "coram Domino ignem alienum, quod iis præceptum "non erat. Egressusque ignis à Domino devoravit "eos, & mortui sunt coram Domino. Miraris fortassis, Lector æque, quorsum hæc afferuntur, contra Formatas Preces: Audi ergo tantùm, & disce tandem acumen singulare hominum Allegoricorum. Nec te molestè habeat quòd his Scripturæ interpretibus unicus duntaxat sensus probatur isque Literalis, minusque consentire Scholion ipsorum Literæ, seu historiæ videatur; Nova enim ratio novos mores postulat. Sic ergo rem expediunt. Alienus ignis sunt Preces præscriptæ humanâ prudentiâ, & Ritus eodem manantes fonte. Dubitas verò ingenii tardioris, mentisque parum illuminatæ qui sis, quomodo hæc cohærent? Nihil vides. Nonne Preces ignibus significantur? Quid Porro? Nonne vides quòd quæ à Deo non præcipiuntur, *Aliena* sunt? Estne Levit. 10. 1, 2.

præterea quod hinc innuitur? Omnino: nam Nadab & Abiu sunt Sacerdotes seu Ministri, qui purissima Reformatione non purgati offerunt Deo Communes Preces, super Thuribulis, hoc est, Super Altari. Præclarè ergo ut vides, omnia consonant, cohærentque.

Itane verò Symbolicis, ut videntur, his Nugatoribus, omnia sorbenda? An potius turpiter non cæ-
Levit. 9. 24. cutiunt, nescientes per Meiosim, & pro *Non præceptum* erat, intelligendum, *Contra præceptum.* Ignem enim proprium præscripserat Deus cælitus demissum, veluti supra à Sacrâ pagina relatum habemus. Filii verò Aaronis alium, sive Alienum ignem supposuerunt. Quid autem sit, si hoc non sit, mandato Dei contradicere & violare, qui, ut omnis Ministerialis ignis à perpetuo foco accenderetur, jussit? Nos verò (boni viri) Precationum præscriptum divinum, nostro posthabemus? nunquid contra divinum nutum quicquam tentavimus? An vos potius extemporanei, & crudi egestores stomachi privati vestri? Nos constantes solennesque orationes fundimus, non quas quilibet pro spiritu suo singulari offerre è Libidine naturæ, potius quam voluntate Sancti Spiritus, præoptet. Agite ergo, utri nostrûm alienum ignem seu Preces alienas offerunt? Vos? an nos? Nisi potius *Alienum* non comparatione ad Deum, ad Ecclesiam, ad Scripturas metiamini, sed ad vos ipsos perscrutamini exquisitissima indagine Scripturas universas: & vel unam tandem voculam proferatis, quâ vestras solas subitaneas Preces divina autoritate suffulciri, nostras præscriptas damnari, probabiliter concludatis; Jam secundò (per nos) Nadabi & Abihui vindicta divina ustulentur. Enimverò hic non possim pati ut oblivioni penitus tradatur, quod viro cætera probo, & Præceptori meo in Ludo Grammatico

tico non omnino dissimile accidit, magna & illicita audenti in precibus indefinitis. Fervescente tumultu Reformatorum Presbyterianorum, Scholam, cui cum laude præesset, vel contempsit, vel deseruit Gippovici, in Agro Suffolciensi; & ad artem Prædicatoriam se accinxit, animo proculdubio Puritanæ superstitionis (cui nimium deditus erat) promovendæ. Per idem tempus ingravescente Persecutione adversus alumnos Ecclesiæ, fugatus est à beneficio inter innumeros alios quidam Suffolciensis vir Gravis. Ansam hanc arripit G. Cl. Ludimagister otii Grammaticalis pertæsus, invadendi Beneficium: Probationis causâ Suggestum scandit: Ad Preces extemporaneas (quibus se regnare putant Presbyteriani) se ardenti animo, & ore Libero concipit. Post multa pro more fusa, seu confusa edita, Deum tandem paulo familiariùs compellat, & provocat verbis conceptis, ut, *si minus placeret ei ingressurus istius loci Ministerium, signo aliquo extraordinario, manifestum redderet.* Nec defuit voto temerario sapientissima & justa Providentia: protinus scil. ictu divino perculsus obmutuit, & nec linguam divinitus vinctam expedire valens, descendit & abiit tacitus, fama rei regionem illam longè lateque pererrante.

Leviore verò censurâ hæc temeritas luenda, præ immanibus flagitiis, in quæ, præter publicas seditiones & Schismata, nonnullos extemporanei hujus Doni libidine abreptos præcipitatos certè novimus. Eodem enim Oppido Comitatûs Suffolciensis, obscura quædam mulier apud Factiosos celeberrimos ob Donum hoc inclarescere cœpit. Forte aliquando lite inter Ipsam & Navarcham quendam (Frequentant enim mare Oppidani) ortâ, maleficâ linguâ minas edidit. Naviganti autem postmodò Viro gravissima ingruit Procella; & Vetula ista à nautis conspe-

cta

ćta in Puppi ſedens, ingenti, ut par erat, conſternatione omnes perculit, ſtatimque Navim undæ abſorpſerunt; Nauclero ipſo cum uno aut altero è naufragio enatante: qui domum nudus fere reverſus, rem omnem Miniſtro ſuo exponit; Hoc Magiſtratibus eandem deferente, ſententia eorum ignibus viva tradita abſumitur. Quod etiam Norfolcienſi accidit cuidam mulierculæ notiſſimæ famæ propter ſubitaneas iſtiuſmodi precationes, vulgo dictæ, *Mater Oliver*, cui ob veneficia cervices laqueo fractæ ſunt, profitenti ſe, quicquid illud fuit precandi facultatis, Operâ Diaboli nactam. Oportet tamen ut Scotia, ubi maxime omnium gentium floruit iſtud donum interitu omnis ſanioris pietatis, portentoſius adhuc nobis ſpecimen, & toti Orbi præbeat. Effervеſcenti enim ibi Spiritu Reformatorio Presbyteralis Perditionis, quidam Chiliarcha nomine *Ware*, æmula cupidine tanti Doni, quo nihil iis regionibus celebrius, Diabolo Magiſtro uſus eſt: ſub quo perbrevi mirificè profecit iſta arte. Qui verò impuriſſimus Spiritus hæc docuerat, diſcipulum in nefanda ſubito alia ſcelera propulit. Primò ergo Sororia Venere aſſidue uſus, perrexit mox in Bæſtialem, omnium cænoſſima bæſtiarum abuſus. A muliere forte deprehenſus intuente, accuſatur: ſed miſeræ fœminæ ſingulare teſtimonium, ſingularis Spiritualitatis & ſanctimoniæ ob dictum donum opinio apud Judices vicit: & proinde Sanctulus hic non ſolum abſolvitur, ſed fœmina ob falſam accuſationem flagris ad necem uſque excarnificata eſt. Impellente ergo Patrono Diabolo aſſuetum & illaudandum ſcelus repetit, & Dono ſimul orandi celebratur. Aliud erat, & paulo mundius Animal, quocum ſimiliter peccans, ab Altera muliere viſitur: quæ tamen infortunio luctuoſo prioris exterrita, rem diu demuſſavit: tandem tamen

men suis fidissimis aperuit. Secundò accusatur, nesciensque examen sustinere, sua tandem confessione damnatus est, qua etiam retexit rem totam de Dono illo à Diabolo impetrato, ea lege tamen, ne solitarius unquam ipso uteretur, sed in Concione publica: Porro, quandocunque exercitio isti se accingeret, statim, artifice Diabolo, eluxisse in Aere quasi bessalibus Literis scripta ante oculos quæ dicenda ipsi essent, & quæ stupentibus superstitione nova auditoribus recitaret. His auditis, Fratres ut ipsos orantes pro illo ferret, rogabant: Renuit verò obstinatissimè: Raptus ergo ad Flammas, & vivus concrematus, inspectante populo, è quo erat nonnullus qui hoc Viro gravissimo & Fide omni dignissimo, nunciavit, à quo post alios ipse accepi.

Quæret fortassis à me hîc Schismaticorum quispiam: An, quòd tanta propudia evulgem, non tam Religionis, quàm humanitatis, crediderim Donum hoc importunius quæsitum & exercitum, non aliunde quam à Diabolo solere promanare? Cui respondens, Absit, absit, inquam, ut tam dirus Christianorum sim morum censor, ut non potius laudem & venerer piarum & rectè institutarum virtutibus pacis & humilitatis mentium aspirationes & desideria alata, debitis circumstantiis loci, temporis, & privatarum necessitatum. Accedentibus tamen fastu, ambitu, & contemptu bene constitutæ Ecclesiasticæ Liturgiæ neutiquam in Fidei morúmve regulam offendentis, non vereor affirmare hos donorum caupones spiritualium facile in Diaboli Casses incidere, & sæpius Ipsi placentulas, quàm Deo vero hostiam placentem, istiusmodi affectatis precibus exhibere. Scio præterea hæc quæ à Stygio fluvio eruperunt in terras, piacula, Lethæo potius tradenda, quam Christianis auribus? quoniam vero Apostatico Schismate se à Nobis

Factio hæc palam sejunxerunt ; quoniam ipsi prius Iliadem malorum & Centuriam Mendaciorum in Ecclesiam corraserunt & publicarunt, utique vera liberius objicientem perferre debent. Nec quæ Schismatis erant effectus, modestè à quopiam vel Religioni Christianæ in genere, vel Reformationi Nostræ probro danda sunt. Sed redeo ad ratiocinia horum.

Annon vero (rogitant) Sanctus Paulus Spiritu nos
1 Cor.14.15. monet orare debere, Epistolâ ad Corinthios, *Orabo Spiritu & Orabo mente ?* Verba equidem legimus, sed non statim sensum intelligimus Pauli, qui Heinsio tam obscurus videtur, ut apertè fateatur, se loci victum difficultate. Antiquum ergo obtinent hîc Puritani, qui proram & puppim suarum causarum ibi statuunt, ubi perdifficilis ad genuinum sensum accessus fit; rati scil. ipsis absque dubio suffragari omnia quæ simplici & manifestissima interpretatione, aliò non perducuntur. Quid autem si dicamus Preces Puritanorum sine mente emitti, quia incogitanter & temerè fluunt, qui non dubitamus profectò *Sine Spiritu peragi?* Quorsum ergo nobis sunt Scripturis recitandis & objiciendis molesti, quas vel ipsi non intelligunt, vel contra ipsos maximè faciunt? Non tamen gravabor quid mihi subiit de loco isto dicere. Jactabant quidam donis elati Christiani, se Spiritu moveri Linguarum variarum; Cœtibus ergo Fidelium simplici & vulgari sermone vel Conciones, vel Orationes (Falluntur enim vehementer Pontificii Disputatores, qui credunt S. Paulum solum de Prædicationibus, seu Prophetiis agere eò loci) habere recusabant, sed Novitate & mirabilitate Donorum grande aliquid sibi pollicebantur: Apostolus verò fastum hunc omni conatu subigere studet: Exemplum moresque suos proponit, urget imitationem: Affirmat

Heinsius in locum.

mat hîc, se velle *Spiritu orare & mente.* Ex male intellectâ phrasi Apostolicâ difficilis sensus est visus. Non enim Τῷ νοΐ, quasi *instrumento seu organo interno* suo utitur, (quomodo fere omnes interpretes acceperunt) sed ut *objecto*, cui sermonem seu Preces destinat suas: Mentem scil. intelligit, non suam, sed Audientium. Ac si dixisset, *Orabo Spiritu*, h. e. spirituale linguarum donum non neglectui habebo inter Orandum: προσεύξομαι δὲ καὶ τῷ νοΐ, *Orabo etiam Intellectui*, seu *Menti*, putà aliorum: prout versiculo 19 videtur seipsum interpretari, ubi addit, ἵνα καὶ ἄλλους κατηχήσω, i. e. ut *Aliòs instituam.* Spiritu ergo secundum Apostolum, orant, qui Donis extraordinariis Linguarum gaudent: quæ etiamsi nostri imprimis ambiant, neutiquam hucusque sunt, quod sciamus, assecuti. Hoc tamen satis excellunt; ne intellectui suorum loquantur vates hi orantes, plusquam propheticè donati. Nec tamen hic à Chrysostomo dissentire necesse est: qui explicans Caput Octavum ad Romanos, sic scribit: Similiter & *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, Ἀσαφὲς τὸ εἰρημένον διὰ τὸ πολλὰ τῶν τότε γινομένων πεπαῦσθαι νῦν: i. e. *Obscurum est quod dicit, propterea quòd plurima, quæ tum vigebant, miracula desiverunt. Cum autem his omnibus, & donum orationis esset——— qui præditus hoc erat, orabat pro multitudine.* Hæc ille. Quòd si Primis Coryphæis Christianæ Religionis inter cætera dona extraordinaria, concessum sit à Deo Orandi quoque Gratia mirabilis, ante certas leges Orandi ab Ecclesia conditas; Quare crediderint Sectarii unum hoc Precandi donum è communi enatasse diluvio quo cætera Miracula obruta docent, plane ignoro. Nec ipsi post diuturnam exercitationem ingenii sui adhuc rationem sobriam attulerunt, ob quam Ministris incumbit Precum magis, quam Concionum dono præcellere, aut Extemporaneè illas, oporteat eructare, has

Chrysost. Tom. 3. pag. 120. Savil.

Uu 2 vero

vero secus. Nisi quòd ad Deum multa indigesta, & inhonesta loqui non pudeat, quæ ad homines conversi pronunciare inviti erubescerent.

Hinc tamen ad Tertullianum provocant: qui morem Veteribus fuisse memorat in publicis Concionibus, *De Ingenio Deo canere:* quod adducunt in confirmationem Battologiæ suæ coram Deo, & Populo Christiano: nec fortassis toto errantes cœlo hoc dicerent, si modo eadem Antiquis Christianis, quæ modernis Puritanis animi sententia esset; putarentque illi fere integrum Divini cultûs opus absolvi cantillationibus rudibus: Vel Odas extemporaneas Sibyllino spiritu potuissent dictitare: quod tamen accepi extremæ perfectionis Sanctulos quosdam æmumulari. Optandum equidem ut primò quid sibi velit Tertullianus certò perciperent per *De Ingenio:* Legimus enim apud eundem *De Ingenio* vitis quoque: quod insolentius proculdubio dictum est. Ne verò ipsa prolusione juguletur adversarius, Demus aliquo modo saltem propriè ibi locutum Tertullianum, Metaphoricè autem hîc; Graviter hallucinantur qui autumaverint ipsum de uno, vel solo Ministro, quem vocant, Ecclesiæ ibi agere Tertullianum, quum ipse verborum contextus probet de quibuslibet fidelibus verba fieri. Non enim de Divinis Officiis agit; peractis enim solennibus Precibus invaluisse consuetudinem apud Christianos indicat, ut provocetur quis è Fratribus, solatii pii causâ, quid in Christiano metro valeret, specimen exhibere; Non quòd *De Ingenio* idem sit quod extempore: sed quod Proprio Marte, privatisque Ingenii viribus: præeunte debita scil. meditatione. *Hinc autem* (ait) *probatur quomodo biberit.* Gentes enim calumniâ mendacissimâ finxerant, Fideles in Agapis Baccho & Veneri potius Litare, quam vero Deo inservire. Ebrio autem credibile

Tertul. Apol. cap. 39.

Id. de Anima, cap. 19.

dibile non erat, facile esse sacra & sobria Poemata posse, vel velle recitare. Quod si verò cuipiam videatur χάρισμα istud εὐχῆς, de quo Chrysostomus, loco supra laudato, non penitus Tertulliani sæculo exolevisse, sensim autem elanguidum tandem expirasse, non repugnarem: Credo enim utcunque formulæ quædam publicè orandi, quales fuerunt Oratio Dominica, & nonnullæ (licet neque omnes, neque eædem omnino quæ hodie extant) Sancti Jacobi, & Clementis, solennes in usu fuerunt Preces, non tamen tantâ Religione astrictos fuisse Liturgos Publicos iis, quin Gratia illa præternaturali non planè sublatâ, fas fuerit propriis motibus quædam ritu Orantium dixisse. Intoleranda tamen eorum est impudentia, qui colorem superstitiosis suis temulentiis quæritantes, uberiorem esse Spiritus divini effusionem statuunt, his diebus, quàm sæculis superioribus, quantum ad Donum Orationis, cætera verò Charismata nihil reliqui habere.

Est porro quod fœdiore errore, suis insaniis inservire cogunt ex Tertulliano; qui morem fuisse antiquis Christianis scribit, *Ex pectore, & sine Monitore orare pro Imperatore.* Tertul. Apol. In quod sophisma videantur non tam ex inscitiâ religionis, quàm Grammaticæ incidisse. Siqui enim alii, Sine pectore ipsi, non ex pectore orant Novatores. *Ex pectore* autem Tertulliano orant, qui animitus, & ex corde, non ex ore vel cortice Deum invocant. *Sine Monitore* item, qui sine Nomenclatore, seu hortatore orant: Phrasi mutuatâ à Romanorum consuetudine, quibus usu esset confirmatum, ut asseclam haberent quendam Populi peritissimum nominum; quo suggerente Patronus vulgus nominatim salutaret, indeque gratiam captaret. Hujusmodi fideles non eguisse monitoribus, asserit Tertullianus, in Sacris.

Justinus Martyr Apolog.

Nec felicius succedunt quæ ex Justino Martyre huc afferunt, duris equuleis torquentes: qui Christianos communibus cœtibus κτ δύναμιν, & Ὅσην δύναμιν precatos asserit. Quum nihil aliud verbis istis significetur, quàm *fortiter* & *pro virili* cum Deo contendisse eos: quod forma certa nihilo minus præstet, quàm solutæ & informes oratiunculæ.

Ad Concilii Milevitani verba quibus abutuntur, difficilis non est responsio, aut longa: viz. Concilium scil. receptam jamdudum Legem confirmasse, & exegisse ad eam Ecclesias, non de novo condidisse, uti suspicantur Extemporarii, & intempestivi oratores nostri.

Plura præterea post communia argumenta adversus omnes perpetui & constantis usus Publicas Preces, jaciunt particulari malitia contra Anglicanam Liturgiam: quæ omnia vel recitare vel refellere, ab animo non parum abhorret: tam propter fastidium cavendum Lectori, quam studium brevitatis tenendum. Illud tamen unicum hunc claudet locum: Quod suaviores paulo quum videri velint post iniqua prius & fortiter postulata, æquum hoc se ferre optimo jure sperent; viz. Ut maturo examine facto Liturgiæ nostræ, nonnulla saltem resecentur, adjiciantur alia, & plura emendentur: tum verò alacrius & posse & velle se uti. Sed penitius inspicienti facile solitis fraudibus non animo sincero agere liquebit. Nam vel plures & graviores fuerint Alterationes, & tum incruentam victoriam & triumphos reportant de iis quos vi & armis nequissent. Sin ejusmodi fient quæ non satisfaciant, protinus iniquissimo aggrediuntur argumento. Eandem negant esse formulam quæ tot & tantis decretis utriusque Politiæ confirmatur. Non mutas, ergo? O duras & immisericordes hominum mentes, clamant, quæ se nullatenus in

in fratrum levamen inclinari patiuntur! Mutas vero quædam? Jam totam debere ejici facile inferunt. Aliam namque esse à Legitima illa affirmant, quæ tractu temporis & brachio Civili communita fuit.

Quod hominum ingenium satis se quale sit absque ulteriore censura prodit; Quod si verò desiderari videatur Prævaricationum iniquissimarum in hac causa manifestius argumentum, duo illa quæ non piget huc afferre satis cordato cuivis probent. Alterum erit clarissimi & Modestissimi Buceri Censura Liturgiæ Anglicanæ, qua satis doctè, piè, & ingenuè contra captiosissimos & querulos hos sophistas multa in ejus laudem profert: quæ cum pro re nata à Doctissimo Whitgifto Archiepiscopo contra Archischismaticum adducantur, Thomam Cartwrightum; erubescens hic æquissimum illum judicem penitus repudiare; pondus autoritatis hujusmodi cavillis elevare non dubitat. Primò impudenti cavillo agit ut adulterata esse illa Buceri opuscula credatur, nullam suæ suspicionis, vel calumniæ potius, aliam afferens rationem, quam quòd secus quam Analogia Presbyterianæ factionis postulet, scriberet. Alterum est commune tam à Veterum quàm Recentiorum autoritate Asylum, viz. Errare potuisse Virum illum. Alterum adhuc turpius & inhonestius stratagema est: viz. quo abolere efflagitant omne præclarum Liturgiæ Nostræ elogium. Vir enim optimus & Fidissimus Martyrologista Joannes Foxus strenui & invicti Confessoris flagrante persecutione sub Maria Regina Joannis Carelesii Examen coram Doctore Martino & fidem Literis accuratè mandans in prima Martyrologiæ Editione, affirmantis publicè, Vix aut ne vix quempiam salutem animæ posse consequi, qui Liturgiam nostram prout sub Edovardo Rege prodiret reformata, recusaret, nisi mature facti pœniteret:

Purita-

Puritanorum mentes hoc præclaro præconio tam vehementer sunt exustæ & acerbatæ, ut cum bono, & nimium (licet parum) propenso in istiusmodi factionem Viro egerunt, ut Secundam Editionem adornans tollerentur illa omnia verba quæ Publicas nostras Preces celebrabant, & mutila Martyris Examinatio ederetur. Anno Domini 1641 Octava ejusdem Martyrologii Editio facta est, cujus Titulus pollicetur restituenda omnia quæ in secunda desiderantur. Cæterum quid sit præstitum in aliis affirmare non ausim: prædictum autem Elogium nusquam esse repertum, res ipsa apertè docet.

In gratiam autem eorum quibus parum innotuerunt Factionis istius doli, versione quam possim simplicissimâ, reddam Latine quæ in majorem fidem in Margine propria dialecto descripsi. *Jam* (inquit Carelesius) *hoc addam amplius: Quod liber idem qui tam consonus & conveniens Verbo Divino est, autoritate junctâ tam Regiæ Majestatis defunctæ, quam universi Parlamenti Domûs, non debet contemni à me, vel quopiam alio privato sub Maledictionis Divinæ pænâ, gravis displicentiæ, & damnationis, nisi resipiscat.*

And I now add thus much more, That the same Book which is so consonant and agreeable to Gods Word, being set forth by common Authority both of the Kings Majesty that is now dead, and the whole Parliament house, ought not to be despised of me, or of any other private man, under pain of Gods curse and high displeasure, and damnation, except they repent, &c. Fox's *Acts and Monuments, pag.* 1531. *Edit.* 1.

Atque hactenus quidem contra extemporaneè fictas precatiunculas solummodo stylum strinximus, & paucis quidem. Quod si justa disputatione placeret, vel fas jam esset prolixius & severius cum hoc hominum genere agere, ad illud quoque paulo diversum Deum vocibus importunis lacessendi genus transeundum esset, quo modestiores videri & æquiores cupiunt; Preces non eodem instanti genitas & expositas publicè vulgo effutientes, verum privata meditatione paulo maturius secum volventes, vel, quod ægrè ferant

ferant vel Doctores vel discipuli novantes, invariata verborum forma de suo ingenio composita utentes, Spiritui prophetico vel dictatori nihil tribuunt, contenti scil. hoc uno Schismatis instrumento, Liberè gaudere, ut privatis formis in dehonestamentum & contemptum Publicæ (licet hac quoque simul suo more utantur) claudant; & caudam equinam corpori humano subjungant. Quod quidem figmentum quum primum omnium in animum venerit pervicacis Schismatici Thomæ Cartwrighti, hostis cùm universæ nostræ Ecclesiæ, tum Reverendissimi Whitgifti Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopi, infensissimi, mirum in modum progressum, & usurpatum, vix aut ne vix in hodiernum usque diem, exterminari à finibus Ecclesiæ possit. Et tamen qui quidquam sapiunt in Ecclesiasticis traditione & consuetudine, omnino nôrunt, morem illum ut quisquam suo abundet sensu orans, præter formulam ab Ecclesia receptam, inauditum prorsus, & verè Catholicis intolerandum, nulla divina autoritate fultum, nulla consuetudine Ecclesiastica commendatum, nulla ædificatione Fidelium laudatum, nisi hoc sit (quod revera est animis instabilibus) ædificari, novitate gustatâ superbire, æmulationes tacitas concipere, dissidia alere & schismata tandem parere. Quod quum perpetua serie ab Apostolicis temporibus ad nostra sæcula defluxerit, non pudet gentem Presbyterianam scriptis editis morem fuisse Ecclesiis tradere, ut Presbyteri ministrantes modificent suas orationes (uti didicerunt ipsi loqui) in cœtu publico Fidelium: de quo tamen ne unicum in lucem exemplum assertionis confirmandæ causâ productum legimus. Illud tantum saltem ipsos consolatur in tantâ inopiâ, Sanctos plerosque, quorum extat historia in Libris Sacrosanctis, Spiritu Divino ad miraculum imbutos, pro re nata

extraordinariâ, Preces coram Deo habuisse, non præscriptas. At hæc ambitionis ansa amputata dudum est: Et longè alia ratio tam Ecclesiarum, quam Ministrorum, aliam prorsus formam jure postulat, Officio desungendi Sacerdotali.

Tertiam ergo querelam ut excutiamus monet ordo nostri instituti, scil. contra Ecclesiasticam potestatem. Postquam enim desperârint nomen & Officium Præpositorum penitus delere; eò artes & vires intendunt omnes ut nomina sine re, & umbra absque veritate solummodo iis supersit; & Episcopos temnendos & deridendos, non venerandos habeamus. Hinc plura dogmata procuduntur, quibus omnem autoritatem Ecclesiasticam iis detrectent. Interdum enim se jactitant Christi Libertos, hominum decretis nequaquam decere parere. Dein, tertio quoque vocabulo Christianam ingeminant Libertatem, *State* (inquit Apostolus) *firmi libertate quâ vos liberavit Christus*, &c. *Nolite hominum servi esse.* Tertiò, Quod Deus non disertè præcepit per verbum, inhibuit verbo suo,

Jerem. quòd interminatur Populo suo quòd Præceptis hominum Deum colerent. Quartò, Conscientiæ Fidelium unius Dei imperio ritè subjacent. Quintò, Si Ecclesiasticis Præpositis fas jusve sit, præter Scripturas, unam vel alteram instituere Cæremoniam, plures eodem jure imò infinitos ritus subintroducant in Ecclesiam, pro libitu suo; & statim tyrannidem exerceant immitissimam, in Piarum conscientiarum carnificinam & Purioris Religionis interitum.

De his paribusque infrunitorum hominum argutiis intervertendæ disciplinæ omni Ecclesiasticæ non est opus producere disputationem præsentem, quòd de iis tam in Apologia Superiore diximus, quam aliás. Hîc monuisse sufficiat, arma hæc omnia seu argumenta facili negotio intentari contra universam quarumlibet

rumlibet Ecclesiarum potestatem, ipsamque illam Disciplinam cujus causâ Mundum susquè deque ferri æquum putant. Nullus etenim cœtus Ecclesiasticus, quaquaversum disseminantur Christiani, reperitur, qui Adiaphora & Ritus non ordinat ad placitum suum: qui si ad legem Dei examinentur, nusquam sub præcepto cadere deprehendentur.

Cæterum cùm jam se propriis laqueis irretiri viderint Sepiæ hæ, novis distinctionibus rem apertam obscurare student. Sunt enim ex iis qui distinguendum graviter docent inter *Cæremonias natas*, *& Cæremonias datas*, qua alia suadente ratione glorior me ignorare; nisi quia Paranomasia suavius & puerilius auribus tinniens corda crassa in errorem pelliciat. Negamus enim nulla difficultate figmentum hoc crudum, scil. uspiam reperiri posse, *Cæremonias natas* sensu proprio & non suo solo. Circumstantias largimur è natura ortas, quales sunt Locus & Tempus: Cæremonias natas vel naturales nullas agnoscimus: Tum demum enim Circumstantiæ istæ rationem Cæremoniarum induunt quando ex se generales & indefinitæ humano consilio instituuntur, & rebus applicantur, danturque custodiendæ & colendæ.

Pari quoque fatuitate de Ritibus secundam ex privatis cerebellis extuderunt distinctionem; Juxta hos enim, quidam sunt Symbolici: & hanc divisionis partem multo strepitu personant: Alteram verò vel nullam invenerunt adhuc, vel nomen nondum isti imposuerunt. Hinc Symbolica Vestis magnâ proscribitur invidia & indignatione. In quo an stupidi an argutuli errant dubitare soleo, curare non soleo. Nam vel leviter omnino ludunt, vel graviter calumniantur, vel rectiùs, fortiter utrumque faciunt Per Symbolicum enim vel Sacramentale quid, (idque sensu proprio) intelligunt, vel Significativum purè. Prior

acceptio mendacissimo nititur supposito, tanquam Ecclesia ullis ritibus à se purè inventis præscriptisve, Sacramenti vigorem, virtutemve inesse crediderit, vel ab aliis credi patienter tulerit. Quod si posteriore modo duntaxat *Symbolicum* accipi velint, pergant ad ravim absque ratione vociferari. Cæremoniæ enim istæ ut doceant, & mentibus res alias à seipsis ingerant, volumus: illis in æternum nolentibus & frementibus. Qui ergo Cæremonias signa esse nolunt rem indicantia diversam à specie seu imagine externâ, illi quicquid videri dixisse cupiant, nihil dicunt, nihil in hoc genere patiuntur. Qui verò quicquid simplici significatione & utili tantummodo, non necessariâ animis præfert fidelium Religionis negotium, malevolâ & perniciosa intentione à propria rapiunt sede, & attollunt ad summam Sacramentorum religionem, profectò idem meditantur quod
Luc. 4. Nazarenos legimus contra Christum, *qui repleti irâ duxerunt illum usque ad supercilium montis super quem civitas eorum erat ædificata ut præcipitarent eum:* scil. Ut lapsu graviore cadant.

Ad primum autem breviter dicendum; Hominem plerunque & Deum in Scripturis opponi, sæpius etiam conciliari. Quando ergo contrarii sunt; quis dubitet cum Apostolis Petro & Joanne, Deo esse adhærendum, homine contempto? Adeone verò ubi subordinata deposcuntur, vel Homo permissu generali Dei de singularibus consulit decernitque?

Ad Secundum respondemus, Libertatem Evangelicam non integrè, propriè, aut immediatè in quovis Individuo Fidelium sitam esse, sed in Ecclesia, ejusque Administratoribus: & nihilo luculentius spectari aut justius exerceri eam quam exerenda, vel asserenda potestate de extrinsecis, & mediis rebus.

Tertio

Tertio loco, aperta & crassa injuria Deo irrogatur: quòd non minus sit falsum, Deum omnia vetare quæ non præcepit; quàm præcipere omnia quæ non prohibet.

Quartum argumentum Classicum sonat Liberis adversus Parentes, Subditis adversus summas Potestates juxta ac Ovibus adversus Pastores, qui omnes possint non solum æqua, sed iniqua suis imperare: Num ergo omne iis jus ita extorquendum est ut non prosint, ne noceant? Vel Scutica Loraque Aurigæ auferenda quòd libitu suo possit Currum in præcipitium & ruinam propellere, aut rectum iter properantes equos retinere, vel distrahere?

Quinta ratio tollit quidem Dominium in ipsas Conscientias, non tamen in actus externos qui dicuntur à Conscientia regi, & emanare. Forum enim internum unius Dei Peculium; externum humanæ jurisdictionis est.

Ignoscat mihi hic Lector benevolus quod contra proprium institutum, aliud saturo cavillum subjiciam solenniter in hanc argumenti formam productum. Ceremoniæ inquiunt & Ritus Ecclesiæ sunt res adiaphoræ: Pax autem Ecclesiæ & fraterna concordia sunt maximi momenti: Varia autem & tristia certamina propter illas Ecclesiam afflixerunt, jam plurimos annos: Oportet ergo Ecclesiæ Gubernatores, siquâ tangantur curâ tranquillitatis & pacis, ut de medio hæc contentionis mala prorsus auferant. Nonne Piè & prudenter omnia pronunciata? Vel potius, nonne omni vento leviora, & omni impudentia iniquiora? Quibus adversariis unquam prius in mentem quàm his venit, hic modus disputandi? Est sanè omnibus numeris Ecclesia optimè jam constituta, autoritate utriusque ordinis freta vigensque: Sunt tamen quæ mutanda, tollenda & adjicienda maximo-

pere flagitamus: Nostra non sunt fidei, neque illa: ergo mediæ naturæ. Argumentis si rem expediri posse, aut scripturarum ponderibus, aut Traditionum autoritate speremus, frustra omnino sumus & nulli: Quid ergo superest nobis tentandum? Aures scil. importunis querelis omnium fatigentur, Clamoribus omnia repleantur, Respublica seditionibus & dissidiis, Ecclesia Schismate & Sectis convellatur: quæ postquam nostra operâ acciderint; Expectemus, quia petimus, quod volumus. Et quod nos Ecclesiæ nequaquam concedimus, ipsa nobis largiatur, ut scil. pace unà & Religione nostrâ suaviter fruamur: tum tandem Vera, solida, sanctaque fuerit Pax, quando votorum erimus compotes. Tum enim & Ecclesia & Pax nostra erit. Hoccine est verò ingenuorum, eodem tempore nos prorsus interficere, & ridere? Quid enim aliud sit nos sarcasticè deridere, quàm nobis auream pacem, & æternum silentium ab infestioribus verbis polliceri, quum nulli sumus, & è vivis prorsus sustulerunt? Quid verò aliud sit nostræ Ecclesiæ & naturam & nomen extinguere quàm postulatis suis de Adiaphoris assentire? Itane licitum fuerit iis tantâ sævitiâ Adiaphora insectari & abolere, nobis Legitime tueri nefas erit?

Habent post hæc bruta fulmina, rationem tonantem sumptam de Superstitione, quâ pavidum & superstitiosum vulgus in fugam Cæremoniarum solent compellere, & quasi Helepoli Civitatem Dei expugnare, & optimè solideque ædificata dejicere. Quæris autem ab his Demagogicis Theologis, Quid sit superstitio? vulgò respondetur, Papismus est. Quid rursum est Papismus, interrogas? Superstitio, respondebunt. Si rectiùs autem quis definiret ea ad mentem horum, dicet, Superstitionem & Papismum esse quæcunque ipsis displiceant, vel parum intelliguntur;

guntur; vel denique (quod nonnihil coloris præ ſe fert) Scriptura diſertè non præcipit prohibetve: quod tamen magnus ille Regni & Eccleſiæ populator Buchananus haud probare videatur, cùm ſcripſerit pro Tyrannorum occidione. "Porro, inquit, exiſtet alius "qui poſcet è Literis Sacratioribus exemplum Regis à Civibus puniti: quod ſi proferre non poſſem, "non protinus effectum erit, ut quod illic factum non "legamus, id pro ſceleſto, & nefario confeſtim habeatur. Poſſum apud multas nationes plurimas & "ſaluberrimas leges recenſere, quarum in Sacris libris nullum eſt exemplum.— Servitus enim iſta "nec unquam recepta eſt, nec rerum natura tam fœcunda novorum exemplorum eam recipi patietur, "ut quicquid lege aliquâ juſſum non ſit, aut illuſtri "exemplo proditum, pro nefario & ſcelerato ſit habendum. Hæc ille. De malefico autem Hominis Genio quo agebatur contra Reges, nihil mihi hic dicendum: Fateor equidem ſi nullo ſanctiore munimine expugnatores & expilatores Sacræ Majeſtatis arcerentur à Regum punitionibus (quos antè Tyrannos placuerit dicere) quam Legem nullam, aut exemplum adduci poſſe à Sacris Literis, quæ aggreſſoribus præcipiant factum, minimè fore tutos illos: At nos Leges furorem iſtum inhibentes ex Scriptura proferimus, quas excæcatus libidine Regum calcandorum videre non potuit Buchananus. Hoc tamen probamus, & profectò probandum eſt tam in Civilibus quam Eccleſiaſticis, Falli ſcil. eos peſſimè qui expectandas exiſtimant diſertas Leges Scripturæ omnium etiam mediæ naturæ agendorum: & proinde definiunt vel Papiſmum vel Superſtitionem negativè à Scripturis.

Buchananus de Jure Regni apud Scotos, pag.

Doctiores ergo Schiſmatici non ignari nullo hæc niti fundamento, Superſtitionem, aiunt, Id eſſe

omne

omne quod *Supra Statutum*. *Supra ſtatutum* autem illud aſſerunt, quod non divinâ autoritate, ſed prudentiâ, ſeu ingenio hominum conſtitutum ſit: Sat ſcio Hiſpalenſem Iſidorum hujus meminiſſe notationis nominis, apud quem ſicuti etiam (ni fallor) apud Romanorum doctiſſimum Varronem multa frigidè evoluta, Lector reperiet: Et utrumque potius alluſiones, quam proprias Vocum Etymologias plerunque aucupari. Hîc tamen Iſidorus ipſe potius Varroni & Auguſtino adſentiendum putat, "Qui Superſtitioſos arbitrantur dictos, quod totos dies precabantur & immolabant, ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent: Quod tamen à Lactantio ridetur. Rectius forſitan Cicero, qui licet iſtam quodammodo probat, ſcribit tamen vocem ad alia multa pòſt fuiſſe deflexam. Peſſimè autem & ſuperciliosè Caudreius contra Hammondum, cum Fraterculis ſuis poſtulat, ut non tam quid Veteres, vel Prophani, vel Sancti Authores de ea judicârunt, ſed quid Moderni ſcil. ſuæ Fratriæ Theologi docuerunt, requiramus. Digni ſcil. ſunt iſti Viri qui poſt Religionem ſeu Theologiam à ſe purgatam, Leges quoque Loquendi omnibus ponant.

Iſidor. Hiſp. lib. 7. cap. 3.

Auguſt. de Civitat. Dei, lib. 4. cap. 30.

Cicero de Nat. Deorum.

Optimè ergo ſibi cavent ad ſeipſos Judices Lites omnes revocantes, alioquin certè cauſâ cadere neceſſe eſſet. Si Plutarchum enim, ſi Senecam, ſi Budæum, ſi Calvinum Lexicographum conſulamus, uno conſenſu omnes docent non tam ſuperſtitioſos eſſe qui Sacris ſuperfluis ſe exercent, quam qui vano perterriti timore religiosè timent non timenda, vel, ut habet Scriptura, *Trepidaverunt timore ubi non eſt timor*. Eſt enim Plutarcho, σφυγμὸς καὶ φόβος καρδίας: h. e. Palpitatio & tremor cordis; Et alibi φόβων πάντων ἀπρακτότατος, καὶ ἀπορώτατος; Ignaviſſimus omnium pavorum & Scrupuloſiſſimus: Et juxta Senecam, Error inſanus;

Plutarchus περὶ Δεισιδαιμονίας.
Id. Contr. Epicurum.
Seneca Epiſt. 123.

sanus; amandos timet, quos colit violat: Vana enim (ut idem) vanis terrori sunt. Vanissimi proculdubio sunt meticulosi hi Christiani, qui saltem se fingunt magno affici terrore Conscientiarum, ubi locus justæ formidini nullus. Locus autem nullus est in rebus Adiaphoris suâ naturâ: Obsequii autem officiis singuli astringuntur Præpositis de recto, idoneo, honesto, & secundum ordinem faciendis, judicantibus, parere. Et plusquam superstitiosi sunt, qui Communibus Sanctionibus & consuetudinibus canino, non Christiano zelo oblatrant, virgâ magis quam verbis compescendi. A tetro enim Schismate quî se puros defendant qui tam iniquis & perversis sunt moribus proximè dispiciendum & breviter.

Id. de Ira, lib. 2. cap. 12

Quod Schisma res sit non merè aerea & intra operationem intellectus conclusa, opinione Presbyterianorum, debemus acceptum Consectariis suis, contra quos multa & Aculeata scriptitârunt de ejus atrocitate, putantes scil. errantes oviculas his mediis in suam compellere caulem. Est ergo Schisma. Quid verò sit, proximè examinandum, non artificiosâ definitione & Scholasticâ, sed rudi & quam ipsi Adversarii non rejiciant. Sit ergo Schisma separatio à corpore Christi Aspectabili, nullâ causâ justâ movente aut cogente. Non dico injustam absolutè Separationem, sed Causam non justam, unde Separationem injustam esse necesse est. Dico autem à corpore Christi, non mystico, quia divulsio seu distractio ab illo Apostasiam vel exitialem hæresim supponit: sed à Visibili, quæ est Ecclesia externa. Justa autem, & injusta causa quæ sit, non omnibus unus est consensus. Vulgò autem Idololatria, aut gravis in fide error astruitur sufficiens Causa; leves verò, nequaquam. Cominus ergo nobiscum agant Delatores hi; perscrutentur singulos nostræ fidei articulos, expromant

tetros errores, qui justam fidelibus præbeant causam seipsos à communi corpore segregandi. Sinite hîc vos verbis Jacob Labanos compellem. *Quam ob culpam* Ecclesiæ nostræ, *& ob quod peccatum sic exarsistis post* eam, *& Scrutati estis omnem supellectilem ejus*, [scil. omnes ritus, acta, Cæremonias, Canones, etiamnum fidei particulas] *Quid invenistis de cuncta substantiâ domus Dei? Pone hic coram fratribus tuis & judicent inter me & te.* Dicatis apertè & rotundè quid dignum invenistis tantis turbis, tantis motibus & tragœdiis? Hominum stupendam hic primum demirare impudentiam, Schismatis seu discordiarum noxam in ipsam Ecclesiam rejicientium: quòd scil. non ex se necessaria imperat, & conditionem unitatis res omnino adiaphoras proponit filiis alioquin morigeris, & piis: Conscientiis ipsorum non ferentibus ejusmodi servitutem Liberrimæ Evangelii legi contrariam, & Charitatis. Sic scil. à Sectariis est deliratum.

Genes.

At primò, Statue hæc omnia vera esse: petimus, Quomodo Ecclesia à non Ecclesia schismaticè se dividat? Factiones autem cum quibus jam lis est nunquam, vel titulo Ecclesiæ (nisi ad solenne Veteratorum suffugium, Ecclesiam Mysticam & Invisibilem se conferant) dignæ fuerunt; nullis enim legibus, aut vinculis in commune corpus adhuc coaluerunt, sed sparsim errantes pecudes, consensu momentaneo collectæ fortassis sunt in caules mobiles. Ab hoc autem hominum genere schismaticus quis esse, vel si maxime velit, possit? A non Corpore quispiam divelli possit? Quod verò schisma putant iis deputandum qui causam divisionum subministrant, non omnino errant. At Causa quæ coinquinat hac labe æquis trutinetur judiciis. Adiaphora, seu per se mala non esse, inviti largiuntur Phanatici, quæ ipsis præcipiuntur. Dicimus autem nos magno Antiquarum,

quarum, & Novarum, Reformatarum & Irreformatarum consensu Ecclesiarum, peccatum saltem solummodo debere esse justum secessionis fundamentum. Peccatum autem & Adiaphorum latissimo intervallo dispescuntur; non ergo secessionis debita esse materia possint. Atqui instant, Conscientiæ suæ læduntur opinione Mali latitantis sub Adiaphòris. Nos verò è diverso affirmamus; vel nullas omnino esse Consciēntias, sed libidines; vel neutiquam curandas, quæ recalcitrant ad non Malum: Et suspicionibus gratuitis & fictis malevolè aguntur, reguntur-ve. Malum autem nec esse, nec videri potest quod Indifferens apparet. Est ergo Cervicositas, Fastus, vel Spiritus Soporis quo instigantur, non Charitas aut Christiana Conscientia: Est etiam summum malum, h. e. Schisma quo miseri innodantur & laborant; Est denique servitus deflenda quam suis solis legibus vivere quærentes, depereunt.

Alterum purgationis suæ à fœdissimo Schismate, caput, ipsam quæstionem tollit: Aiunt enim, Schisma, nedum Separationem, se non admisisse: quoniam subire Tecta Ecclesiārum nostrarum non detrectant simpliciter. Præterea Ecclesiam Christi, nostram esse, non negant. Quantillum autem hoc obtentu proficiant, qui Sacram Communionem, quæ in Precibus Ecclesiæ, præcipuè Eucharistia celebrandâ conspicitur, refugiunt; & omne absolvi punctum Religionis putant voce Prædicantis hauriendâ à Suggesto, in quo minimè omnium consistere nôrunt cordati? Nulla autem revera illa est communio quæ eodem invocandi & Benedicendi Deum spiritu non animatur, & ritu alitur: Ab his verò se subducunt; & colligunt in dispersione, & ædificant de ruinis Schismatici nostri, quos terra gestat, pessimi, infensissimique.

Yy 2 Pati

Pati autem non possumus ut festinus & pene oppressus Calamus non refutandis, sed recensendis deliriis nugisque Perditissimorum horum, silentio transeat primum fere caput fontemque cunctorum malorum quæ laceræ discerptæque Ecclesiæ irrogarunt. Quem enim non stupentem attonitumque non reddit ipsorum immedicabilis lues animi, & insaniendi diritas, qui inde sibi furoris & ægritudinis sumunt argumentum, nocendique occasionem, unde pii probique in mentem, in quietem & ad sanitatem redeundi solent merito acceptare? Qui enim haud ficta fallicique sanctitate, & conscientiis non aguntur, sed nôrunt, submonente Apostolo, *ad sobrietatem sapere*, & *Quæ sunt pacis quærere*, eò se præbent faciliores æquioresque in Ritus Ecclesiasticos nulla morali labe peccati corruptos, quo vident ab Autoritate Legitima commendatiores proponi: Nôrunt enim, (qui quid sit Christianismus non penitus ignorant) Sanctum Paulum diserte præcepisse, *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et, *Obedite præpositis vestris & subjacete iis: Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditari, &c.* Quid hoc verò hominum genus ad hæc salutaria Scripturarum documenta? Sane plusquam rident & contemnunt. Et Christum Christo, Spiritum Spiritu, vel potius superba commenta sua Scripturis claris committunt: & per ambigua & obscuriora loca vagantur Novi præcipuè Fæderis, unde emendicent materiam pessimè de Christiana Libertate Philosophantibus, & Licentiæ suæ omnem saniorem spernenti disciplinam, subministrent. Tandem verò perfecti arte carnalis Libertatis & inobedientiæ, non formidant in hujusmodi voces prorumpere, auribus profecto doctrinâ Christi vel leviter imbutis horrendas, tanquam omni Ecclesiasticæ societati & Regimini ex diametro contrarias: viz.

Rom. 13.
Heb. 13.

viz. se non prorsus recusare, non simpliciter detestari Ritus omnes sub nullo cadentes divino præcepto, salvâ Libertate qua nos Christus liberavit. Christus autem (nisi fallantur singulares hi Glossatores) nolit ea nostris cervicibus imponi onera Cæremoniarum, quæ ipse non imperavit: Actum ergo erit de Christiana Libertate, si præter mandatum Fideles humanis decretis subjiciantur: ideoque standum, fortiter prædicant Libertate: & qui injussi & Liberi ab imperio haud peccarent Cæremoniis Adiaphoris utentes; teneri summâ indignatione abjicere, quando præcipiuntur. Exemplo rem adhuc illustriorem Civis cujusdam Londiniensis narratiunculâ mihi pridem factâ, de jejuniis Ecclesiæ, fortè obiterque cum illo agenti, deinque Frater (inquit ille) est mihi in hac urbe Salsalmentarius; qui bona fide mihi affirmavit, multò magis Piscium commercium stupere hodie, quam diebus Protectoris, & Liberæ Religionis; & esum Carnium diebus Veneris & Saturni, quàm ex quo Rex ad nos rediit, & reddita sunt antiqua forma & jura Ecclesiæ, frequentiorem & communiorem multò fuisse. Fateor me (cui religio moresque Sectariorum non essent imcomperta) absque gravi admiratione verba hæc insulsa equidem excepisse: quæsivi tamen (rem totam subodoratus prius) Atqui, Quid causæ, obsecro, subesse possit, bone Domine, tantæ mutationis, & aversationis subitæ à Piscibus comedendis? Tum ille, sensum suorum, qui longa deprædicatione novantium Divalium animo suo firmiter insederat, quóque me putabat mutum redditum iri, solenniter exponit; Dicunt, (ait) sibi non minus quam olim nunc quoque perplacere Pisces, ipsorum palato satis arridere; unde solitos mensæ ipsos admovere sepiuscule, quum liberè hoc fecerint: Nunc autem, accedente præcepto humano, & periclitante

Libertate Chriſtianorum, teneri ſe arbitrantur Chriſti diploma ſanctius curare & fortius tueri: denique, qui libenter & ſponte à Carne eſitanda abſtinerent, juſſi nequaquam id committent. Quid verò miſero mihi & obſtupeſcenti hominum execrandam religionem, & impudentiam ſceleri additam, agendum reſtaret, præter tacitam citamque fugam à monſtris tantis peſtibuſque Chriſtiani nominis?

His ita comparatis, Quis æquus rerum æſtimator in dubium vocaverit, Rectè, ſecúſve fecerit Eccleſia, quæ viperas has, quæ uterum ejus quo geruntur foventurque perpetuis, vel tacitè, vel apertè vulneribus dilacerant, extinxerit; ſalutemque ſuam, quæ tuta aliter eſſe nequeat, accuret? Præſertim quum luce clarius cunctis videntibus ſit, bellum animo & intentione, nbi actu non poſſunt, ἄσπονδον contra nos ab iis geri. Quid enim aliud Fœdus illud Scoticum, cui haud minus quam Novo Evangelio tribuunt, ſanctumque eſſe avent, nobis minatur, quàm internecionem? Nonne & Regem ipſum in Ordinem, & Epiſcopalem poteſtatem, iſta normâ dirigente & Compedibus injectis redigunt? quod ipſi molliore dictione, *reformare* nuncupant. Et quod neque formâ, neque materiâ, neque fine, neque effectibus dirissimis juſti æquive quidquam tenuit, cum diſcrimine vitæ, etiam æternæ, colendum fidenter & fortiter docent: Solent equidem, (fateor) non ex pietate, ſed calliditate admiſcere exceptiunculam iſtam, *Quatenus jus faſque fuerit*; quo horario vinculo facile ſe expediunt, quando ſuffulſerit certior paulo & lætior ſpes proſperi Eventûs: tum enim vocantur ad ſuperſtitionem ſuam aſſerendam omnibus modis Licitis. Liciti autem ipſis ſunt, Poſſibiles: ſecus autem, ex ſæviſſimis adverſariis fiunt repente fratres ſuaviſſimi; de quibus quidquam ſuſpicari mali, antequam

tequam acciderit, contra Charitatem ipsam peccare est. Hoc autem olim Rex consultissimus Jacobus variis malis conflictatus expertus est: Hoc Carolus Filius atrocioribus semel adhuc & iterum comprobavit: Hoc tamen Nepos hodie perdiscit, & Ecclesia languens & fracta fere & nescio quo tristi fato in certam præcipitata ruinam, & serò sapiens icta, experiri cogitur, Nihil inquietius gente istâ favoribus lenitâ, nihil insolentius spe succrescente, nihil denique istâ Factione pestilentius esse posse, quæ post Deum popano delusum, pulpamento Lectissimarum phrasium & inanium pollicitationum vitæ nostræ Religionis insidiabitur.

Quo vero tectiores sint ipsorum doli & funestiores, novam, amictu perjurii fugiendi Thesim omni mendacio falsiorem, & peste nocentiorem, è nescio quo erutam Stercore, vel Cathedrâ Pestilentium profectam excogitarunt, qua se loricantes facile omnia sanitatis media refellunt. Aiunt enim Solenni Fœdere Deum invocantibus in animas suas, in quo nobis ipsis non abnuentibus, id saltem pium & perhonestum continetur, quod Cæsareæ Majestati sospitandæ, stemmatique Regio tuendo fovendoque religiosè consulitur voveturque, nefas & piaculum plane esse integram Ligam istam rescindere: Metuunt scil. hi Regalis Potestatis & dignitatis tantum non adoratores nuper facti ex Vastatoribus, nequid damni patiatur (aliunde quam à se) Imperium nostrum.

Multiplicem & exitialem his verbis subesse fallaciam facile patebit. Primò enim, Quis dubitavit sterquilinium calcare, quia forte lateat in eo Gemmula? Quis fœdifragum fœdus abdicare, quia aliquid sani amplectatur? Virus quis pari stupiditate evomere recuset, ne vinum, quo mixtum erat, unà rejiciat? Scholæ verò quum rectè hactenus docuerint,

rint, Bonum oportere esse ex integris Causis; Disciplinæ novæ studium hos docuit minimam Boni micam satis esse perfundendæ ingenti malorum Massæ, & commendandæ. Guttam atramenti hactenus vas Lactis totum polluere novimus; nunc vero aliter institutis ab his Philosophis & Theologis, Atramenti vas depurari Lactis guttulâ infusâ credendum. Mirandum potius cum rubor omnis ingenuus exulare à frontibus hæc dogmata scribentium,& scelus sceleratâ doctrinâ defendentium, videatur; atramentum ipsorum se non converterit in minium. Hoc enim consistente dogmate,ruat necesse est omnis tam in Subditos principum potestas, quàm Fides subditorum in principes. Facile enim erit cuipiam & Pharisaicâ superstitione Deo piè aliquid vovere, eodemque tempore, & vinculo Sacramenti, se prorsus ab omni obedientiâ solutum credere; accito autem ad palinodiam, respondere, Juramentum istud se neutiquam posse violare, quia divinum eo honorem complexus est. Et è contra, Tutò possit quis & firmiter jurare se Fidem Christianam pro virili velle expellere è Regno, modò articulum unicum adjecerit in salutem Regis: nec teneri ad istud ejerandum, abdicandúmve.

Quid ergo (rogare solent) de conscientia stabilienda fiet, in re tam piâ & honestâ, qualis est Principum salus? O novum hominum genus Cœlo editum in Principum incolumitatem, & tutamen! O piissima in Patres Patriæ pectora, nullis minis, nullis illecebris, infortunio nullo à Principum cura & inaudito studio dimovenda! Sola jam quid sit subjici, & parere Gens Presbyteriana novit; solum Fœdus Scoticum docuit quid sit Majestatem colere. Lex Naturæ, Lex Gentium, Lex Gratiæ seu Evangelii, Leges denique terræ vel obmutescunt omnes vel frigent in hac causa. Accedant autem Lumen Fœderis

Scotici,

Scotici, & Ligamen, tum demum quæ sunt Cæsaris Cæsari redduntur: Et folia regum securè figuntur, quum proclive sit priora omnia jura temnere & calcare. Hinc ore vaniloquo pergunt sua seque prædicare, cæteros autem accusare; dicentes, Malignos scil. quovis pacto sibi Regem optare: Independentes autem, & reliquam hominum fæcem nullo modo pati posse: Ipsos autem Fœderatos fratres debito & Legitimo modo regnantem expetere. Quis autem, qualisve sit ille ritus, dubitas? viz. Secundum Codicem Canonum Ecclesiæ Scoticæ, & Corpus Juris Incivilis quod ad hunc usum ipsi collegerunt, etiamnum quotidie deformando Majestatem effingunt. Possim tamen respondere, quod verissimum est; Salutem & Majestatem Regis deprædicatam, & Ligâ Scotica memoratam, revera nullam esse, sed verborum tantum opportunam pompam: quod Actus (optimi Internorum sensuum, & verborum quoque interpretes) perspicuè demonstrârunt; Quis enim in nostris turbis tam hospes est, ut nesciat ut Factio ista novis quotidie inventis & Scholiis, omne Regnandi Jus abradens, ad se summam rerum arripuit potestatem? Pati autem perridiculo nomine *Rex*, Unum hominem frui, nihil autem præter sua consilia & Libidinem audere, Ipsis significat Regnare; quod Generoso & Regio pectori durius habetur & inhonestius, quàm privatam & incelebrem agere vitam. Dico præterea, si ejusmodi impietatis vinculum quod Legitimam nullam habet Circumstantiam, solveretur; non propterea labefieri obsequium in Principes, quod Jure Naturæ, Legibus tam Scripturarum quam Gentis sanctius & fortius retinetur, quam nodis quos pro arbitratu vestro vobis nunc nectitis nunc scinditis. Instant autem. Atqui etiam privatum Jusjurandum nonnihil virtutis videtur addere Publicæ obligationi;

Z z hinc

hinc se Regiæ Majestatis studiosiores gloriantur vincti his novis nexibus, quam nos solutos: hoc autem nihili æstimare, in Regis jacturam cederet. Respondemus, Falsum omnino non esse quod petitis de Jurejurando tali privato, quod subordinatur (ut loquuntur) Publico, & Legitimo; esse verò falsissimum quum coordinatur, imò Contraordinatur Summæ potestati, quoad formam & modum ligandi, licet forte materiam habeat non dissonam, sed honestam.

Pòst audax negotium suscipientes meritis expendi Causam postulant, Regalis imperii vitæque Ajaces hi novi: exulanti Regi reducendo Principes fuisse Fœderales Fratres ubique jactitantes parricidarum furori restinguendo: Quæ ergo levior adorea debeatur, quam Religio libera, & Conscientiæ nullo Episcopalium jugo oppressæ?

Cicero de Senectute.

Ad hæc respondendo non multum esse anxios nos oportet memoria repetentes salsam dicti modestiam, qua Gravissimus vir Fabius Maximus à Cicerone Salinatoris importunam repressisse jactantiam memoratur: qui turpi deditione Oppidum Romani Juris hostibus tradens, fugiensque in Arcem, Fabio, virtute sua Civitatem recuperanti, ait, *Meâ operâ Q. Fabi Tarentum recepisti: Certè, inquit ridens, nam nisi tu amisisses, ego nunquam recepissem.* Pari Presbyterianorum operâ Carolum Regem recepimus, qui nisi istorum operâ nefariâ pulsus exulasset, nunquam rediisset ad suos. Ad cætera diximus quomodo victi & oppressi Fratrum suorum Independentium tyrannide solito æquiores in Regem esse cœperunt, non hujus amore, sed eorum odio; unde reipsâ nonnihil boni ex hac collisione Regi contigit. Quam sincerè autem hîc se gesserint, indicio esse possit consilium habitum post hostes domesticos profligatos, de innodando

dando rege vinculis fœderis sui pestiferi; & lege condenda seu potius religiose servandâ Ipsi, ante Ingressum in Angliam, de Presbyteriali Disciplina colenda & promovenda in Anglia: quæ inhonestissimæ conditiones non nisi Præcellentissimi & Prudentissimi Ducis de Albemarl autoritate & consilio frustratæ sunt: aliàs, vel nullum, vel Servum Regem receperamus. Quod ergo sacrilegè non abstulerunt, dedisse se pro more venditant, juxta illud Salviani: " Latrones hoc uti proverbio solent, ut quibus non " auferunt vitam, dedisse se dicant. De Potestate enim Regiâ nusquam non tam iniquè scribunt loquunturque, ut Populo omnem deberi non vereantur affirmare Authori & fonti, quæ solito sacrilegio vel dolis, vel minis, vel promissis, vel (quod crebrius accidit) armis ipsi non extorserunt. Nec ulla vacat quæstio injuriæ, aut Læsæ & imminutæ Majestatis apud eos, qui quod pauci, vel obscuri expedire putaverint, maximas esse virtutes, etiamnum pietatem statuunt.

Salvianus de Provid. lib. 8.

Quæ Catillonum horum inverecundia cùm in Civilibus satis molesta semper fuerit Principibus, tum in Sacris, Ecclesiæ Rectoribus multò infestior extitit. Tametsi enim aspergillo scripturalium phrasium vanissimas suas omnes, & tetras opiniones de Religione Æruscatores hi solent consecrare; reipsâ tamen nihil minus expectent, ferantque, quàm liberam & sinceram sententiam de iis ex verbo Dei proferri: Quasi enim ipsi soli securè omnia ex Scripturis definire possint & debeant, bilis iis vehementer tumet, & stomachantur, siquis fortè An genuinum sensum Verbi divini ipsi assequantur, controverti velit: & Ipsi judicandi damnandique imprimis, omnes à sua persuasione diffidentes accersendos ad suum Tribunal prædicant, & postulant: Scripturas enim solas soli colunt,

si ipsos audias; Cavendum itaque, vel tremendum potius ne Decretis Multifidi Papæ hujus obnitentes, Spiritui Sancto in Scripturis per ipsos scil. loquenti contradicamus. Quam congrua autem opera sint huic opinioni quam de se conceperunt, speciminis gratiâ, æquis rerum æstimatoribus, Litem unam vel alteram inter nos & Puritanos expendendam hîc proponimus. Diei Dominicæ (quam saltem vulgus eorum mallent Sabbatum appellare) nos adversarios clamant prophanos esse, quod Christianos, id, nulla Scripturarum lege astrictos docemus pari religione, quâ suum zelabant Sabbatum Judæi, colere: Non tamen omnino negamus exemplis Apostolorum, & antiquis perpetuisque traditionibus Ecclesiæ, piorumque praxi dicari debere Divinis officiis. Ante legem Mosis observatum Sabbatum non legimus. Post Legem Christi, non stare fundamentis V. Testamenti dicimus. Porro piaculum nullum esse, ita tempestate & rerum magni momenti statu exigentibus, divinis Officiis ritè & integrè peractis, Civilibus & naturalibus negotiis interesse. Ipsi è contra, Ministrorum quorundam superstitiosulorum præceptis aliter instructi, Sabbatum violatum aut prophanatum, omnium peccatorum gravissimum, credunt: Omnia testimonia V. Test. ubi nuda Sabbati mentio fit, ad Diem Dominicam indocti & inertes Scripturarum interpretes pertinere non dubitant. Omnes divinæ vindictæ interminationes, & effectus in Populum Israeliticum Sabbata antiqua contemnentem, in omnes sub Evangelio, à suo, in plerisque plusquam Judaico rigore, devergentes, effundunt. Nec his satisfeceris, Si Laudabiliorem & sanctiorem eorum dixeris consuetudinem, qui illo tempore plenius religioni attendunt, (modo absit fermentum Mosaicum) quam qui negligentius se habeant; etiamsi Publico Cultui

adsint;

adsint; nisi sub pœna Lethiferi peccati suo ritu colant. Nec dispar ratio de Liturgiâ fixâ & immobili, de Festis diebus habendis, De Episcopali Jurisdictione, de Ecclesiæ potestate (cum modo) imponendi Adiaphora Filiis suis; & aliis nonnullis; propter quæ pridem immaniter excanduerunt, & tam adversus Regales quam Episcopales Ædes undatim confluentes Circumcellionum more, involarunt. Rogamus, & obtestamur, qui præcipere jure possimus, ut sedatiùs controversias has dirimant. Libentissimè ad Scripturas provocantibus adsensum præbemus, vel rationem saniorem: sed frustra nimis difficilem morum & verborum temperantiam postulamus: Numero statim, non pondere verborum nos aggrediuntur. Negamus nos autem vocem S. Spiritûs in Scripturis quidquam decrevisse in nostræ Causæ præjudicium: Et ne sine causa obstupescant; postulamus, non ut sint absolutè & simpliciter Judices, (quod indesinenter calumniantur adversarii) fideique nostræ dominentur, sed, quæ illa sit sententia, quam tulisse Scripturas de controversis articulis prædicant, Prima, Media, Proxima Sæcula Universæ Ecclesiæ dijudicent. Hîc autem confestim excipiunt, aiuntque, Patres antiquos hallucinatos in multis fuisse, uti scripto luculento ostendit Dominus Dallæus, *De Usu Veterum, &c.* & proinde tutò se non posse iis Arbitris errori obnoxiis Litem committere. De hodiernarum Ecclesiarum sententia, de mente Scripturarum, vultis ergo ut vobiscum agamus, eâque utrique acquiescamus? Multò minus. Tam Orientalis enim (dicitis) quàm Occidentalis Ecclesia jamdudum errorum luto volutavit. Quid ergo de Reformatis dictis Ecclesiis existimatis, & primùm Lutheranis? Num ipsis mediantibus Scripturarum in his quæstionibus sensus certior illucescat? Hic quoque hæretur: & cau-

causantur, Istas non esse satis defæcatas, aut debitè Reformatas. Ad judicium ergo & praxim Ecclesiarum institutarum ad Normam Calvini, causa deferatur. Vos Germanicæ, Belgicæ, Helveticæ, Gallicanæ Ecclesiæ appellamus, te etiam Arcem & Metropolim Presbyteralis Reformationis Geneva, non recusamus hic Judicem: viz. Num Ecclesia quæ Liberum reliquit Fidelibus, ad sancta vel Civilia, non servilia convertere se, religiosè servato publico cultu, contra Mandata divina peccet, diebus scil. Dominicis? Num ipsæ, Episcopali licet ordine destitutæ, propterea damnant? Num molienda, & movenda, & turbanda omnia docent, ut eo exterminato locus à synedrio Presbyterali occupetur? Num potestas omnino vel neganda vel adimenda Ecclesiæ de disponendis omnibus extrinsecis ad Fidem, *secundùm Ordinem*? Vel fas jusve credunt sententiâ publicæ autoritati contranitenti, Privatis jùdicare de iis quæ fiunt *secundùm Ordinem?* Nonne apertè contraria docent, faciuntque omnes? Quid hic ergo Nostri Sectarii? Inficias non possunt ire: subjiciunt tamen; Dolendum equidem tam puras Ecclesias humani non nihil hîc passas, minusque orthodoxè sentire. Ad Scoticas autem Ecclesias, si placeat appellare, lubenti admodum animo advolant, quibuscum sacro sunt juncti fœdere. Quocunque autem modo res geratur, ab illa Donatistarum rupe firmissima nullis artibus avelli se patientur; hanc Anchoram immobiliter retinebunt; hanc vocem indesinenter ingeminabunt, post naufragam alioquin universam spem elabendi, viz. *Sanctum est quod volumus: Sanctum est quod volumus:* Adduntque de proprio, *Scriptum est quod credimus*, *Rectum est quod docemus & facimus.* Quis vero tandem vel ipsis Sanitati, vel nobis Incolumitati locus sit reliquus, quando Crepantes interdum

terdum Scripturarum & Ecclesiarum Veterum, & fere semper Recentiorum autoritatem ipsis faventem, inania verba duntaxat nobis dant, revera autem, omnes ad seipsos solos controversias revocant; & impotenter security ferociunt & indignantur (quod ipsis est disputare & pro Scripturis contendere) si fulgure Scripturarum pueriliter ludentibus non statim pareamus, & subditis subjiciamur.

Habent nihilominus post omnia alias conclamata & perdita, unicum adhuc asylum sanctum prorsus & inconcussum quo se tutissimos & securos ab omni adversariorum ictu fore noverint. Statue enim, inquiunt, quod Legitima nos Autoritas traheret, quod præcepta non iniqua ferantur, quòd nulla mali labecula revera nobis adhærescat Ecclesiæ ritus moresque sequentibus, utpote in se Adiaphora, & à natura peccati eo ipso aliena: Penes nos tamen ea licitè facere nequaquam est. Quid ita vero O boni? Conscientiæ nimirum nostræ (aiunt) maximè iis obnituntur, & exhorrent. Atqui jam dictum comessumque non est à vobis, nihil istis cæremoniis inesse mali? An cuiquam antehac auditum fuit, Conscientias piorum posse vel debere offendi gravarique de non malo? Neutiquam sane: pergunt tamen. Quicquid illud sit, sive malum, sive non malum; certe conscientias nostras istiusmodi actus vehementissime aversari sentimus: & ita se re habente in foro animi nostri, nefas plane & impium saltem nobis esset iis interesse. Quæris autem unde tandem, nulla, ne apparentis quidem mali suspicione divexante, Conscientiæ ipsorum tam miserè sint obfirmatæ: hærent stupentque plane: hoc duntaxat sæpius gementes & ingeminantes, Conscientias suas, ut illa committant nullo modo pati. Ex hoc autem perverso & deplorato disputandi modo eorum, non ambigam ipsas veras

veras animorum obſtinatiſſimorum cauſas facile inveniſſe: Non enim ratione, non juſtitiâ, aut religione, ſed duriſſima Aſtrorum catena trahi, & ineluctabili fato conſcientias ipſorum immobiles ligari exiſtimandum: Cum fatis vero & fatuis diſputare aut contendere non didici.

Quod ſi verò longam & nobilem ſeriem Præſtantiſſimorum, apud nos maximè, Reformatorum Epiſcoporum, Confeſſorum, & Martyrum (quibus hiſtoriæ noſtræ plenæ ſunt) qui voce, ſcriptis, carceribus, vinculis, ſanguine demum ipſo noſtræ doctrinæ & Eccleſiæ ritus & conſuetudines Heroino animo confirmârunt, & iis repurgandis fœliciter inſudârunt, Sectariis his exhibeamus; Certè ipſis nominibus & facinoribus eorum nonnihil confunduntur, Frontem tamen commaſculantes extremo hoc effugio uti ſolent, & modeſtâ calumniâ frigidarum Laudum: fuiſſe ſcil. illos, fatentur, nomine, virtute, doctrina & pietate viros egregios: ſed diluceſcente Reformationis Phoſphoro natos, & propterea pro luce ſubfuſcâ iſtâ, quâ fruebantur, & captu imperfecto, non temnendam dediſſe operam inſtaurandæ Religioni Orthodoxæ; ſed plurima deſiderata eſſe, & noctem Romanæ ſuperſtitionis non eſſe ſatis fugatam: Suis autem obtutibus claram meridiem Reformationis uſurpantibus, multa offerri quæ operâ quoque ſuâ & arte digna ſint, ut omnibus numeris perfecta ſit Reformatio, & Chriſtus in Solio ſecurè figatur, imperetque.

Hæc autem pulchra & turrita verba tam facile fuerit cuipiam leviſſimo oris ſpiritu difflare, quam iis condere & ornare: Viderunt enim, viderunt certè Viri iſti optimi & Oculatiſſimi, ſi non omnes (quis enim in tanta catervâ non ſuſpicetur ſimpliciores & imperitiores quoſdam reperiri) ſaltem pars melior & doctior,

doctior, reconditas has Gnoſticorum recentiorum vanitates & pias ineptias, viſaſque ſpreverunt, & damnârunt: Incruſtationes Scripturarum denudârunt in gratiam Anierarchiæ novæ detortarum. Quis verò non rideat Sophiſma contra receptiſſimam Philoſophorum omnium ſententiam, & Prudentum experientiam? Aiunt enim Schiſmatici, Majores noſtros parum potuiſſe & profeciſſe ob obſcuriorem auroram Reformationis. Atqui Philoſophia & experientia docent, non ſolere homines trepidè & præparcè moveri ab extremo in extremum, ſed proruere potius, & in alterum exceſſum excuſſo jugo libenter ferri: quod nullibi clarius accidit quàm in Reformanda Eccleſiâ. Tam odioſa enim meretricia forma & facta Romanæ Eccleſiæ doctis utique, bonis, & prudentibus aliter viris repente cœperunt haberi; ut modum neſcirent complures, fugiendo, ſed in ἀμελείαν ἀνθέλκης inciderent: illudque admitterent quod Declamatores quidam apud Auguſtinum, qui crediderint, *Niſi nimium vituperetur Cacus parum laudaretur Hercules.* Niſi nimium vituperetur Papa, parum laudarentur Lutherus & Calvinus: Ego ſanè ſoleo & illum, & hos graviter erraſſe apertè pronunciare; maximè autem omnium noſtros Puritanos, qui ut ſecuriùs errent, novum iſtum Canonem delinquendi ſibi excogitârunt; ac ſi non longè eſſet diſſimilis ratio in Rerum naturalium indagatione, & Divinarum: Illic enim, ubi è puteo profundo & perobſcuro eruenda veritas eſt, (juxta veterem Philoſophum) ſenſim fortaſſis, & lentis gradibus animus humanus ſe movet ad rerum notitiam: Hîc autem non tam ratione noſtrâ, quàm fide & intuitu Revelatæ in Scripturis veritatis procedentibus, ſubita lux noſtris mentibus ſuboriatur: Cui, debito ordine adjungentes Lumen Catholicæ traditionis conſtantioris, & purioris; neſcio quid

Auguſt. de Civitat. Dei.

Aa 2 queratur,

queratur quis extremam difficultatem, (non dico singulas controversias absolutè definiendi, sed) præcipua capita cùm Ecclesiæ constituendæ, tum Fidei stabiliendæ, modo animum sincerum, liberumque à sequioribus affectibus adferat, explicandi; quibus tamen hoc genus hominum (si quod aliud) miserè laborans decumbit. Deus benedictus in æternum, author omnis boni Dati auferat hanc iis spiritualem Epilepsiam, & salvificâ suâ gratiâ exuscitet, restituatque in sana membra Ecclesiæ, ut à deviis errorum semitis reduces, recto & fraterno pede nobiscum incedant ad beatissimam Fidei, Spei, & Charitatis metam, & coronam æternam, per Jesum Christum, Amen.

FINIS.

Elenchus eorum quæ in Apologia adversus JOANN. DALLæUM *continentur.*

In Generali Apologia.

In Reſponſionis Particularis Libro Primo.

Cap. 5.

Libri Secundi Particularis Responsionis.

FINIS.